209

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 16
Numero: 219

Tratados purgationes

# IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI, IN PORPHYRII INSTITVTIONES,

## & in vniuerſum Ariſtotelis Organum verſio.

*Eiuſdem in eoſdem libros obſeruationes.*




LVGDVNI,

*Apud Guliel. Rouillium, ſub ſcuto Veneto.*

M. D. LIII.

*INDEX VOCABVLORVM DVNTAxat quæ ad Dialecticam artem pertinent, Dialecticorum vulgo olim incognitorum, quibus his libris contra veterem vertendi modum Perionius, ex Latinis ac præſertim Cicerone vtitur. Iis autem è regione adiungenda duximus vulgo Dialecticorum vſurpata, vt in dictione Ciceroniana minus verſati, facilius hanc verſionem intelligerent.*

| | |
|---|---|
| Adſignificare. | Conſignificare. |
| Affirmatio & negatio. | Propoſitio affirmatiua & negatiua. |
| Aiens & negans enunciatio. | Propoſi. affirmatiua & negatiua. |
| Attributa generis & definitionis. | Accidētia generis & definitionis. |
| Captio. | Paralogiſmus. |
| Conferri cum aliquo. | Dici ad aliquid. |
| Cōiuncta. Grçcè κατὰ συμπλοκὴν. | Complexa & cum complexione. |
| Coniunctio. | Propoſitio copulatiua. |
| Connexum. | Propoſitio conditionalis. |
| Cōtrario & cōtradictorio nomi (ne opponi. | Contrarie & contradictorie op- (poni. |
| Cum adiūctione. | Cum addito. |
| Defendere rem aliquam in diſputationibus. | Defendere poſitionem ſuam. |
| Demōſtratio ex effectu, & demōſtratio qua res cōuenire docet. | Demonſtratio quia eſt. |
| Demōſtratio ex cauſſa. Demonſtratio qua quæque res conueniat oſtenditur. | Demonſtratio propter quid. |
| Dici de toto aut vniuerſo genere. Dici de nulla generis parte. | Dici de omni & dici de nullo. |
| Dici de vel in aliquo & nullo. | Prædicari de aliquo vel nullo. |
| Dici in quçſtione qua quid quidque ſit quæritur. | Prædicari in eo quòd quid eſt. |
| Dici in quçſtione qua quale quid ſit, quæritur. | Prædicari in eo quòd quale eſt. |
| Differentia. | Differentia ſpecifica. |
| Diſiunctio. | Diſiunctiua. |
| Diſiunctio ex contrariis. | Propoſitio de diſiunctiuo extre- (mo. |
| Enunciatio quæ de re præterita aliquid dicit. | Propoſitio de præterito. |
| Enūciatio quç de re futura, de eo quod fieri poſsit aut nō poſsit. | Propoſitio de futuro poſsibili & impoſsibili. |
| Enūciationes aduerſis cōtrariæ. | Propoſitiones ſubcontrariæ. |
| Extremitas. Græcè ἐπιφάνεια. | Superficies. |

| | |
|---|---|
| Formarum & formis. | Specierum & ſpeciebus. |
| Genus primum, Caput generis. | Genus generaliſsimum. |
| Genera quorum alterũ ab altero cõtinetur, vel quorũ vnũ alteri (gen⁹ eſt. | Genera ſubalterna. |
| Incõmodũ & abſurdũ. | Inconueniens. |
| Inſtantia Grece ἐνιστῶτα. | Præſentia. |
| Inſtantia, præterita & futura. | Propoſitio de ineſſe, præterito (& futuro. |
| In orbem probare & docere. | Circulariter probare. |
| Latiùs patere vel manare, Græce ἐπιπλέιον ὑπάρχειν. | In plus eſſe vel ſuperius eſſe, vt animal in plus eſt quàm homo. |
| Mutua probatio. | Demonſtratio circularis. |
| Negationes infinitarũ cõnexio-(num. | Propoſitiones negatiuæ & copu(latiuæ. |
| Omnino. | Simpliciter & abſolute. |
| Omnino, Vniuerſe, καθόλου. | Vniuerſaliter. |
| Ponere. | Supponere. |
| Poſtulatum. Græce ἀξίωμα. | Dignitas. |
| Prima forma. | Prima figura. |
| Prius temporum ordine. | Prius tempore. |
| Prius naturæ ordine. | Prius natura. |
| Propoſitio quæ nulla ratione doceri demõſtrariq; poteſt, Grece (ἄμεσος. | Propoſitio immediata. |
| Quadam ex parte. | Secundum quid. |
| Quantitas continua & deiũcta. | Quantitas continua & diſcreta. |
| Ratiocinatio q̃ directo ad fidem ſpectat, q̃ directo rem probat, Græce συλλογισμὸς δεικτικός. | Syllogyſmus oſtenſiuus. |
| Ratiocinatio per quam quis incommodo vrgetur. | Syllogiſmus ducens ad impoſsibile & inconueniens. |
| Reciprocari. Græce ἀντιστρέφειν. | Redargutio. |
| Refutatio Græce ἔλεγχος. | Cõuerti & dici ad cõuertentiam. |
| Res quæ definitur. | Definitum in neutro. |
| Reſiſtere, Occurrere: Græ. ἐνιστα-(σθαι | Inſtare vel dare inſtantiam. |
| Scire rem ex effectu. | Scire quia eſt. |
| Scire rem ex cauſſa. | Scire propter quid eſt. |
| Simul temporis ordine. | Simul tempore. |
| Simul naturæ ordine. | Simul natura. |
| Species vltima. | Species ſpecialiſsima. |
| Specialis argumentatio. | Particularis. |
| Vniuerſa propoſitio. | Vniuerſalis. |
| Vocabulũ aut verbũ. Græc. ὅρος. | Terminus. |
| Vrgeri incommodo. | Duci ad inconueniens. |



# PORPHYRII INSTITVTIONES AD CHRYſaorium, interprete Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno.

QVIA *neceſſaria eſt, Chryſaori, ad Categoriarum rationem quæ ab* Ariſtotele *tradita eſt, generis, differentiæ, ſpeciei, proprij, accidentiſque cognitio, earúmque rerum tractatio, & ad definiendum & ad ea omnia quæ de diuiſione & demonſtratione præcipiuntur, magnum adfert adiumentum: tibi quidem inſtitui breuiter quæ à maioribus didici, exponere.* In *quo ego prætermiſsis obſcurioribus quæſtionibus, eas interim tractabo, quæ ad ſenſum popularem accommodantur.* Ac *primùm ne longe abeam, de generibus ac formis, cohæréantne ipſa per ſeſe, an in ſolis animis ſint.* Et *ſi cohæreant per ſe, utrum corpora ſint, ánne corporis expertia: & num auulſa ſint & diſtracta ab ijs quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, an in ijs ipſis hæreãt ac nitantur: hæc inquã, prætermittam omnia, præſertim cùm hoc arduum ſit, ſubtilioréque egeat diſputatione. Quo autem pacto de illis ipſis, iiſque quæ diximus, cum ueteres omnes, tum uel maximè* Peripatetici *probabiliter diſſeruerint, quidque ſenſerint, docebo.*

## DE GENERE.

GEnus & ſpecies non uno modo dicuntur. Nam genus dicitur aliquorum, & qui ad unum quiddam & qui inter ſeſe quodammodo affecti ſunt, & cognatione quadam coniuncti, multitudo. Qua quidem ſignificatione Herculeorum genus ex unius Herculis collatione appellatũ eſt, multitudiniſq; nõnullorũ qui inter ſe cõiuncti ſunt ſocietate ea quæ & ab illo ducta eſt, & ex diuiſione qua à cæteris generibus ſeparatur, nominata. Dicitur etiã alio modo genus, unde alicui ortus principium eſt, ſiue ab eo qui genuit, ſiue ab eo loco in quo quiſque ortus eſt. Sic enim & Oreſtem à Tantalo, & Hylum ab Hercule duxiſſe genus dicimus: itémque Pindarum Thebanum genere, Platonem Athenienſem. Dat enim ut pater, ſic patria ortus cuique initium. Quæ mihi quidem prima uidetur occurrere ſignificatio. Nam & Herculei dicuntur ij qui ab Hercule genus habuerunt, & Cecropidæ ij qui à Cecrope: itémque his finitimi. primúmque certè uocatum id genus eſt, quod cuique dat ortus cauſam & initium: deinde multitudo eorum, qui ab uno principio ut ab Hercule, quaſi quodam capite manarunt. Quam quidem multitudinem definiuimus ſeiunximúſque à cæteris, cùm uniuerſam multitudinem quæ ab Hercule fluxiſſet, Herculeorum genus nominaremus. Iam alio etiam modo genus appellatur, id, cui ſubijcitur ſpecies, quæ ex illis ducta uidetur appellatio. Nam & initium eſt genus id formarum quæ ei ſubiectæ ſunt, & uidetur uniuerſam multitudinem quæ ipſi ſubiecta eſt continere. Sed cùm his tribus modis genus notetur, tamen de tertio apud Philoſophos tantum oratio eſt, idque hoc modo definiunt: Quod de multis, ſpecie autem differentibus dicitur, cum quid quicque ſit quæritur, ut animal. Eorum enim quæ dicuntur, partim de uno tantummodo dicuntur, uelut indiuidua, cuiuſmodi eſt Socrates,





hic homo, hæc res: partim de multis, ut genera, ut ſpecies, ut differentiæ, ut propria, ut accidentia ea quæ communiter in multis, non propriè in uno inſunt. Eſt autem genus, ut animal: ſpecies, ut homo: differentia, ut rationis particeps: proprium, ut aptum ad riſum: accidens, ut id quod album eſt, quódque nigrum, ut ſedere. Genera autem ab ijs differunt, quæ in uno ſolum dicuntur, quòd in multis dicuntur: ab ijs quæ in multis ſunt, à ſpecie, quòd ſpecies etſi de multis illæ quidem dicuntur, ſed tamen ſpecie minus differẽtibus, uerùm numero. Homo enim cum ſpecies ſit, de Socrate & Platone dicitur: qui non ſpecie ſed numero ſolum inter ſe differunt. At uerò animal cùm nomen generis non obtineat, de homine, boue, equóque dicitur: qui ſpecie etiam, non ſolũ numero differunt. Porrò autem inter genus & proprium hoc intereſt, quòd proprium de una modò ſpecie cuius proprium eſt dicitur, iiſque indiuiduis quæ ſpecies continet: ut ridens, de ſolo homine, ſinguliſque hominibus dicitur. Genus autem non ſolum de una ſpecie dicitur, ſed de multis, iiſque differentibus. Poſtremò genus & differentiæ, communiáque accidentia hoc inter ſe differunt, quòd etſi de multis etiam ſpecie differentibus, & differentiæ dicantur, & communia accidentia, non tamen in quæſtione dicuntur ea, qua quid quicque ſit, ſed in ea, qua quale quicque ſit quæritur. Si qui enim rogent, quidnam ſit illud tandem, quo de hæc dicantur omnia: genus reſpondemus, differentias & accidentia non reſpondemus: quippe cum hæc de re dicantur non in quæſtione qua quid quicque ſit, ſed quale quicque ſit quæritur. Nam & cum qualis ſit homo, quærit aliquis, rationis eum participem: & cum rogamur, qualis ſit coruus, nigrum eſſe reſpondemus. Quorum rationis particeps differentia eſt: niger autem accidens. At quum interrogamur quid ſit homo, animal reſpondemus, quod genus eſt.

*Quamobrem genus hoc ipſo quòd in multis dicitur, ab ijs ſeparatur omnibus, quæ de uno tantummodo dicuntur: quòd de ſpecie differentibus, ab ijs quæ ut ſpecies dicuntur & propria. Quòd uerò in quæſtione dicitur, qua rei natura indagatur, & à differentijs ſecernitur & ab accidentibus communibus, quæ non in quæſtione qua uis & natura rei, ſed qua qualitas & modus inueſtigatur, dicuntur omnia de ijs, quibus quicque dicitur. Nihil igitur redundans, nihil parum explicatũ continet quæ generis notioni cõſtituta eſt definitio.*

## DE SPECIE.

*Species autem in uniuſcuiuſque forma dicitur. Ex quo illud imprimis ſpecies quidem eſt digna quæ imperet. Vocatur etiam id ſpecies, quod ſubeſt generi. Hinc ſoliti ſumus dicere, hominem ſpeciem eſſe animalis, quod genus eſt: & candorem coloris ſpeciem, & triangulum figuræ. Quòd ſi ſpeciei fecimus mentionem, cum generis uim definiendo explicaremus, hoc modo, Quod de multis, ſpecie autem differentibus in rei natura quærenda: dicitur & generis, cum ſpeciem definiremus his uerbis: Species eſt quod ſubeſt generi, nemo reprehendat. Illud enim intelligendum eſt, quoniam genus alicuius genus eſt, & ſpecies alicuius ſpecies: utendum fuiſſe neceſſariò utroque nomine, cum uis & natura utriuſq; definiendo aperiretur à nobis. Speciem etiam definiunt hoc modo, Species, id eſt quod generi ſubijcitur, & de qua genus in quæſtione qua quid quicque ſit quæritur, dicitur. Rurſus etiã hoc modo, Species eſt, quod de multis numero differentibus dicitur, in quæſtione qua rei natura exquiritur. Quanquam ſpeciei ultimæ, quæq; tantummodo ſpecies eſt, non etiam genus, hæc propria definitio eſt: aliæ earum omnium quæ non ſunt ultimæ. Quod hinc ſciri poteſt, quia in quaque categoria quiddam primum eſt, & quiddam ultimum: inter quæ duo, alia interiecta ſunt, quæ eadem & genera ſunt &*





*ſpecies. Eſt autem primũ genus, ſupra quod aliud genus eſſe nunquam poteſt. Vltimum uerò, quod nullum aliud ſequitur. Inter primum autem & ultimũ alia interiecta ſunt, quæ eadem & genera ſunt & ſpecies, ſed ſi cum alio alioq; conferantur. Idq; in una categoria perſpici poteſt. Subſtãtia enim genus eſt illa quidẽ, quæ corpus complectitur: & corpus, corpus animatũ: corpus animatũ, animal: animal, animal rationis particeps: animal rationis particeps, hominem: homo, Socratem, Platonem, & ſingulos homines: ita tamen, ut eorum omnium primum genus ſit ſubſtantia, ſolúmque genus: homo uerò ſpecies ultima, & modo ſpecies: corpus autem & ſubſtantiæ ſpecies, & animati corporis ſit genus. itémq; animatum corpus ſpecies corporis eſt, genúſque animantis. Rurſum animans, ſpecies eſt animati corporis: genus ratione utentis animãtis. & animal ratione utens ſpecies animalis eſt, & genus hominis. At uerò homo animalis ratione utentis eſt ille quidem ſpecies, ſed hominum ſingulorum eſt ſpecies tantummodo, non etiam genus. Ita quicquid ante indiuidua proximè dicitur, id omne non generis, ſed modo ſpeciei nomen obtinet. Vt igitur ſubſtãtia quæ in ſummo ſita eſt, propterea ſummũ genus habetur, quòd genus eſt nullum ea antiquius: ſic homo quia ſpecies eſt, qua nulla ſit iunior & poſterior, neque quicquam quod in ſpecies, & formas diuidi queat, ſed ſola indiuidua (indiuiduũ enim eſt Socrates, itémque Plato, & hoc quod albũ eſt) ob eã cauſam in ſpeciei numero modò, & ultimæ, atq; ut diximus infimæ, nõ etiã generis habetur. At uerò quæ in medio locata ſunt, ſuperiorum ſpecies & formæ, poſteriorũ genera dicũtur. Itaque duæ ex his cõparationes affectionéſque ducuntur: una, qua ad ſuperiora affecta ſunt, ex qua eorũ formæ ſpeciéſq; appellantur: altera, qua ad inferiora, ex qua eorũ genera nominantur. Summa autem & extrema uno modo ſolum cõparantur. Genus enim principale, cum*

ſit ſummum omnium, ad ea affectum eſt quæ complectitur: ad ea autem quæ eo antiquiora ſunt, quoniam ſummum eſt primúmque principium, atque, ut diximus, cuius nullum eſſe genus ullo modo poteſt, ad ea, inquam, nullo modo affectum eſt. Atq; etiam infima ſpecies unam comparationem habet, eam qua ad ſuperiora & priora ſe quorum ſpecies eſt, affecta eſt. Non enim aliam habet, qua cum inferioribus conferatur, ſed eam ipſam qua indiuiduorum ſpecies nominatur. Sed indiuiduorum propterea ſpecies dicitur, quòd ea complectitur: eorum autem quæ ſuperiora ſunt, ſpecies illa quidem dicitur, ſed quòd eam illa continent. Primum quidem genus definiũt hoc modo, Quod cùm genus ſit, non eſt ſpecies. item hoc modo, Cuius genus eſſe nullo modo poteſt. Speciem autem ultimam hoc modo, Quod ſic ſpecies eſt, ut non etiam genus ſit. Item, Quod ita ſpecies eſt, ut in ſpecies diuidi nullo modo queat. Item hoc modo, Quod de multis iiſque numero differentibus dicitur, cum rei natura quærẽdo inueſtigatur. Quæ autem inter extrema interiecta ſunt ὑπάλληλα genera ac ſpecies nominant, & unumquodque eorum ponunt eſſe genus & ſpeciem, ſed ſi ad aliud & aliud comparetur. Nam ea omnia quæ ſuperiora ſunt & antiquiora ultima ſpecie, aſcendendo uſque ad ſummum genus ὑπάλληλα genera & ſpecies uocantur, ut Agamemnon, Atrides, Pelopides, Tantalides, & extremum Iouis. Et in ortus quidem & familiarum deſcriptione, ad unum ferè initium & quaſi caput, uerbi gratia, ad Iouem cætera referuntur. Generum autem & formarum non eſt eadem ratio: propterea quòd id quod eſt, non eſt commune genus omnium: nec omnia quæ ſunt, ut placet Ariſtoteli, ad unum primũ genus capútque referuntur: ſed ponẽda ſunt ut in categorijs, decẽ prima genera, quaſi decem initia & capita rerum. Nam ſi quis omnia eſſe dicat, ambiguè, inquit, non una ratione appellabit. Si enim id quod

eſt



eſt commune, genus eſſet omnium rerum, una ratione ac modo eſſe dicerentur. Quum uerò ſint decem prima, nominis eſt ſolum, non etiam rationis, quæ nomini conſtituta eſt ſocietas & communio. Ac prima quidem decem ſunt, formarum autem infimarum certus eſt numerus, non infinitus: indiuiduorum, quæ formas ultimas ſequuntur, infinitior. Quocirca iubebat Plato, eos qui à ſummis generibus ad infimas ſpecies deſcendiſſent, inſiſtere: deſcendere autem per media eos qui differentijs ijs quæ ſpeciem complent, diuiderent: indiuidua uerò omittere omnino: quòd ſcientia comprehendi nullo modo poſſent. Ac eos quidem qui deſcendunt, ad infimas ſpecies neceſſe eſt multitudinem diſpertiendo decurrere: qui autem ad ſumma nituntur genera, ij in unum multitudinem concludant neceſſe eſt. Nam quum ſpecies, tum genus uel multo etiam magis, multa in unam naturam colligit. Singulæ autem res contrà unum in multa partiuntur. Nam & ſpeciei communione ac ſocietate unum efficitur ex multis, & ſingulorum natura ex una & communi re, multæ fiunt. Vt enim res ſingulæ & priuatæ diuidendi, ſic quod commune eſt uim habet comprehendendi efficiendíque unum. Sed cum quid genus eſſet, quid ſpecies, explicatum ſit à nobis, cúmque unum genus ſit, ſpecies multæ (ſemper enim in multas partes genus diuiditur) genus quidem ſemper de ſpecie dicitur, & ſuperiora omnia de inferioribus: ſpecies autem neque de genere proximo, neque de ſuperioribus ullis dicitur, quòd non reciprocetur. Aut enim paria de paribus dici oportet, ut quod ad hinniendum aptum eſt, de equo: aut maiora de minoribus, ut de homine animal. at minora de maioribus dici non conuenit. Neque enim ut hominem eſſe animal dicis, ſic animal eſſe hominem rectè poſſis dicere. In quibus autem ſpecies dicitur, in ijs etiam ſpeciei genus, & generis genus ad primum uſque dicetur neceſſario. Si enim uerè di

rè dicitur Socrates eſſe homo, & homo animal, animálque ſubſtantia: uerè etiam Socrates dicetur eſſe animal & ſubſtantia. Quando enim ſuperiora de inferioribus dicuntur: & ſpecies de diuiduo, & genus de ſpecie indiuiduóque dicetur. Summum etiam genus tum de genere dicitur aut de generibus, ſi multa ſunt media, tum de ſpecie, tum de indiuiduo. Nam & ſummum genus de omnibus generibus, formis, indiuiduíſque, quæ ei ſubiecta ſunt, dicitur: & genus quod infima ſpecie prius antiquiúſque eſt, de omnibus formis infimis & indiuiduis. Quæ autem ſpecies eſt modo, de indiuiduis omnibus, & indiuiduum de uno ſolum ſingulorum. Indiuiduum autem Socrates dicitur, & hoc quod album eſt, & hic qui accedit Sophroniſci filius, ſi modo Socratem ſolum filium habeat. Quæ indiuidua nominantur ex eo, quòd ex proprietatibus ſuis quicque conſtat, quæ omnes in alio eadem eſſe nullo modo poſſunt. Socratis enim proprietates nunquam in alio eædem eſſe poſſunt: at hominis cõmunis & uniuerſi proprietates eædẽ eſſe poſſunt in multis, aut potius in omnibus ſingulis, quia homines ſint. Quare & indiuiduum à ſpecie, & ſpecies à genere continetur: quippe cum genus quiddam totum ſit, pars indiuiduum, ſpecies partim pars, partim totum: ita tamen, ut pars ſit alterius, totum non alterius, ſed in alijs ſit. Siquidem totum in partibus ineſt. Ac de genere quidem & ſpecie, quidque ſit ſummum genus, quid infima ſpecies, quæq; talia genera ſint & ſpecies, quæ indiuidua, quótque modis genus & ſpecies dicantur, diximus.

## DE DIFFERENTIA.

Differẽtia autem communiter, propriè & maximè propriè dicitur. Aliud enim ab alio differre communiter dicitur, quòd quauis commutatione uel à ſe differt, uel ab altero. Nam & Socrates à Platone diſtabat, cum commutatus

erat,



erat, & à ſe ipſe, puer cum eſſet, & cum in media ætate: cum quid ageret, & cum nihil. Idq; genus differentiæ ſemper in commutationibus ſpectatur ijs, in quibus rei modus & affectio conſiſtit. Propriè autem, inter aliqua intereſt, cùm aliqua affectio uel accidens id quod elui funditus non poteſt, diſsimilitudinem facit. Affectio autem aut res caſu eueniens ſeparari non poteſt, qualis eſt cæcitas oculorum, naſi aduncitas, aut cicatrix quæ ex uulnere quaſi callum obduruit. Ea autem maximè propriè inter ſe differunt, quæ differentia diſtant ea quæ ſpeciei eſt efficiens. uelut, hoc homo equo præſtat, quòd eſt rationis particeps. Omnino igitur differentia omnis eum in quo ſit diſsimilem alij facit, atq; commutat. Sed hoc intereſt, quòd communis & propria immutant: ea autem quæ eſt propria maximè, omnino alium eum in quo inſit, efficit. ita fit, ut quæ alium efficiunt eum, in quo ſitæ ſunt, eæ ſpeciei efficientes appellentur: quæ autem commutant, omnino differentiæ. Nam & rationis particeps, ſi animali addatur, id ad aliud genus transferet, ſpeciémque animalis conficiet: & motus tantummodo id diuerſum facit ab eo qui non mouetur. Ita differentia illa ad aliud genus animal transtulit, hæc modo commutauit. Ac ijs quidem differentibus quæ aliud genus efficiunt, & genera in partes diuiduntur, & conficiuntur definitiones, quoniam ex generibus & differentijs omnis conſtat conficitúrque definitio. Ex ijs autem quæ commutant modò, uarietates ſolum & commutationes oriuntur. Ergo ut paulò altius repetam, illud quidem iam perſpicuum eſt, differentias alias ſeparari poſſe ab eo in quo ſint, alias non poſſe. quandoquidem moueri, ſtare, ægrotare, ualere, & cætera eiuſdem generis, ſeparari poſſunt: aduncitas autem naſi, & narium, ut ita dicam, ſimitas, & particeps expérſque rationis euelli, diſtrahique non poſſunt. Sed earum quæ ſeiungi non poſſunt,

aliq

aliqua diſtinctio eſt. Aliæ enim ex ſe & ui ſua conueniunt rebus, aliæ caſu & fortuitò. Nam homini per ſe conuenit rationis particeps & mortalis, & quod aptum animum habet ad percipiendam ſcientiam: aduncæ autem & ſimæ nares, temerè & caſu, non ui ſua. Quocirca quæ per ſe inſunt, ea in definitione qua rei uis & natura explicatur, adhibentur, iiſque res alia efficitur. at quæ fortè temerè, nec ad definitionem eius generis adduntur, nec aliam rem faciunt, ſed modò commutant. Deinde quæ ui ſua & per ſe rei conueniunt, nec amplificari, nec minui poſſunt. quæ caſu, etiam ſi ſeparari non poßint, tamen & contentionem capiunt & remiſſionem. Nam nec genus de formis ſuis cum dicitur, illa magis & minus ſibi adiungi patitur, nec differentiæ generis, quibus diuiditur in partes: cum præſertim ex his definitio explicetur, & rei nullius uis & natura quæ una eademque eſt, imminui poßit nec amplificari. At uerò aduncis ſimiſque naribus magis & minus eſſe, & colore aliquo quis leuiter uel multum infici imbuique poteſt. Iam ergo tria differentiarum genera eſſe perſpicimus, alia quæ abeſſe poſſunt, alia quæ non poſſunt. rurſúmque eorum quæ abeſſe non poſſunt, quædam quæ ui naturáque ſua adſunt, nonnulla quæ caſu & fortuitó. Itémque ex ijs differentibus quæ per ſe inhærent, alia eſſe quibus genera in partes & formas diuidimus, alia quæ ſpeciem efficiant. Velut quoniam animalis naturales differentiæ hæ ſunt, animatum, ſenſus rationiſq; particeps, & expers rationis, mortale & immortale: hæ quidem duæ differentiæ, animatum & ſenſus particeps, animalis uim naturámque ac ſpeciem abſoluunt. (eſt enim animal nihil aliud, quàm natura animata, ſenſus compos) hæ autem, mortale & immortale, rationis particeps, & rationis expers, genus in partes diuidunt. his enim in formas & ſpecies genera partimur. Sed quæ genera diſpertiũt, eædem formas ſpe

ciéſq;



ciéſque complent, cùm præſertim his differentis, particeps rationis, & expers rationis, mortale & immortale, animal diſtribuatur in partes, ita tamen ut particeps rationis & mortale, hominis: particeps rationis & immortale, Deorum: expers rationis & mortale, beluarum genus compleant. Eademq; ratione cum ſummæ ſubſtantiæ differentiæ diuidentes hæ ſint, animatum, inanimũ, ſenſus particeps, ſenſus expers, ex his duæ illæ, animatum & ſenſus particeps ad ſubſtãtiam additæ, animal complent, hæ autem animatum & ſenſus expers, plãtam. Quoniam igitur hæ omnes quodammodo ſumptæ & intellectæ, efficientes ſunt formarum quodam certo genere diuidentes, factum eſt ut procreatrices formarum omnes ſint appellatæ: quarum quidem in generum diuiſionibus rerúmque naturis definiendo explanandis uſus eſt maximus, at earum quæ caſu & fortuitò ſeparari non poſſunt, non item: ac earum multo etiam minor, quæ abeſſe poſſunt. Has autem definiunt hoc modo, Differentia eſt qua forma & ſpecies genus ſuperat. Homo enim ratione & mortalitate uincit animal, quoniam animal horum nihil eſt. Vnde uerò formæ differentias habeant? nec enim omnes habent contrarias, quoniam iſto pacto eadem res ſimul contrarias formas haberet, ſed ui ſua in ſe differentias quæ eis ſubiectæ ſunt, genera complectuntur, re uera & actu nullam. Ita fit, ut nec quicquam ex ijs quæ nulla ſunt fiat, nec in eodem ſint ſimul formæ contrariæ. Atque etiã hoc modo eam definiũt, Differentia eſt quæ de multis, ſpecie autem differentibus in quæſtione qua quale quid ſit indagatur, dicitur. Nam rationis particeps & mortale de homine dicuntur, ſed in quæſtione qua quale quicq; ſit, non in ea qua quid quicq; ſit, quæritur. Cum enim quid ſit homo interrogamur, aptè reſpondemus animal: cum uerò quale ſit animal rogamur, particeps rationis & mortale rectè reſpondeamus. Nam res omnes ex

mate

materia & ſpecie cōſtant, aut ex ijs quæ proportione materiæ & ſpeciei dicuntur. Vt enim ſtatua ex æris materia fit, & ex figura tanquam ex ſpecie: ſic homo & communis & ſingularis, ex genere proportione materiæ, & ex differentia proportione ſpeciei efficitur. Atque ut illic totum quiddam eſt ſtatua, ſic hîc animal rationis particeps mortale homo. Definiunt eam etiam hoc modo, Differentia id eſt, quod uim habet ad ea ſecernenda quæ ſubiecta ſunt ſub idem genus. Rationis enim particeps, & expers rationis, hominem equúmque, qui eidem generi quod eſt animal ſubiecti ſunt, inter ſe diſtinguit & ſeparat. Et hoc modo, Differentia eſt, quo quicque diſtinguitur. Neque enim genere inter ſe homo & equus differunt, quòd & nos & equi ſumus animantes: ſed particeps rationis cum acceſſit, nos ab illis ſeparauit. Item rationis participes ſumus nos quidem & angeli: ſed cum additum fuit mortale, nos ab illis diſtinxit. Sed illud intelligi par eſt, eos qui accuratius & ſubtilius differentiæ perſpiciunt ac perſequuntur rationem, non quiduis eorum quæ ſeparant omnia quæ eidem generi tributa ſunt, in differentiarum numero habere, ſed quod ad rem eiuſque uim & naturam aperiendam pertineat, quodq; ſit pars rei. Non enim aptum eſſe ad nauigandum differentia hominis eſt, etiam ſi hominis ſit proprium. Dicamus enim licet animantium alios aptos eſſe ad nauigandum, alios non eſſe, hominem ab alijs ſeparantes: ſed tamen aptum eſſe ad nauigandum non explet naturam hominis, nec eius pars eſt: uerùm opportunitas quædam tantummodo, quòd non ſit differentia talis, quales ſunt eæ quas efficientes formarum appellauimus. Quamobrem differētiæ procreatrices ſpecierum ſunt omnes quæ in aliud genus transferunt, quæq; in rei natura explananda adhibentur. Ac de differentia quidem ſatis ferè dictum eſt.

DE



## DE PROPRIO.

PRoprium autem diuidunt quadripartitò. Nam & quod uni ſoli ſpeciei, neq; toti conuenit, ut homini mederi, uel geometræ fungi munere, proprium appellant: & quod toti ſpeciei, etſi non ſoli, uelut, homini bipedem eſſe: & quod in ſola totáq; ſpecie, idq; interdum reperitur, ut omni homini in ſenectute caneſcere: & quartum id, in quod hæc omnia concurrunt & conueniunt, quod in ſola totáque ſpecie, idq; ſemper intelligitur, ut in homine, natum eſſe ad riſum. Quanquam enim non ridet ſemper, tamen ridens dicitur: non quòd ſemper rideat, ſed quòd ſemper aptum animum habeat ad riſum. Quod ei æquè naturale eſt, atque equo aptum eſſe ad hinnitum. Atq; hæc illi propria maxime appellant, quòd reciprocentur. Si enim equus ſit, etiam aptus erit ad hinniendum: & ſi quid aptum ſit ad hinniendum, continuò equus ſit, neceſſe eſt.

## DE ACCIDENTE.

ACcidens uerò, eſt quod adeſt & abeſt ſine eius rei in qua ſitum eſt, interitu. Cuius genera duo ſunt: alterum, quod ſeparari poteſt: alterum, quod non poteſt. Ac dormire quidem in ijs eſt quæ ſeparari poſſunt: nigror ſic in coruo & Aethiope ineſt, ut ſeparari nō poſſit. Poteſt enim & coruus albus & Aethiops intelligi mutato colore, ſine interitu rei cui inhæret. Definiunt illud etiam hoc modo, Accidens eſt quod & ineſſe in eadem re, & non ineſſe poteſt. Item, Quod nec genus eſt, nec differentia, nec ſpecies, nec proprium, ſemperq; in ſubiecta re inhæret. Expoſitis his omnibus quæ nobis propoſita erant ad dicendum, uelut, quid genus eſſet, quid ſpecies, quid differentia, proprium & accidens, iam quid commune inter ſe habeant, quid proprium, diſſeramus.

## De communitatibus & differentiis quinque vocum.

Communune eſt quidem omnium, ut dixi, de multis dici: ſed ita tamen, ut genus ac differentia de formis & indiuiduis quæ ſunt eis ſubiecta dicantur: ſpecies autem, de ſuis indiuiduis: proprium, de ſpecie cuius ſit proprium, & de indiuiduis quæ ſpeciei ſubiecta ſint: accidens, & de formis, & de indiuiduis. Nam animal de equo & boue, quæ ſpecies ſunt, & de hoc equo, & hoc boue quæ ſunt indiuidua, dicitur. Rationis autem expers tum de equo ac boue, tum de ſingulis dicitur. Sed ſpecies qualis eſt homo, de ſingulis hominibus modò dicitur. At proprium & de ſpecie cuius eſt proprium, & de indiuiduis illi ſpeciei ſubiectis dicitur. Vt quod aptum eſt ad riſum, de homine, & de hominibus ſingulis. Quod uerò nigrum eſt, de ſpecie coruorum, & de ſingulis coruis, quoniam accidens eſt quod ſeparari non poteſt, dicitur: & moueri, quod accidens eſt, quod poteſt ſeparari, de homine equóque dicitur: ſed ita, ut primum de indiuiduis, ſecundo autem loco de iis etiam quæ indiuidua continent.

## De communitatibus & differentiis generis & differentiæ.

Communis eſt autem generi cum differentia, formarum complexio. Differentia enim ſpecies complectitur, etſi non omnes quas genus. Particeps enim rationis etſi non cõtinet ea quæ ſunt expertia rationis, ut animal, at certè hominem & angelum, qui ſpecies ſunt continet. Quæq; de genere, quia genus ſit, dicuntur, omnia de formis iis quæ illi ſubiectæ ſunt, dicantur neceſſe eſt. Sicuti quæ de differentia ut differentia eſt, dicuntur, eadem etiam de ſpecie quam illa efficit, dicuntur. Nam quoniam animal genus eſt, de eo quaſi genere dicetur eſſentia, & quod animatum eſt, & quod ſenſum habet. Quinetiam de formis omnibus quæ animali ſubiectæ ſunt, hæc ipſa uſque ad indiuidua dicentur. Quoniamq; particeps rationis differentia eſt, de eo differẽtiæ nomine dicetur id quod ratione utitur, nec de eo ſolum quod eſt particeps rationis, ſed de iis etiam formis, quas id quod rationis eſt particeps complectitur. Hoc etiam commune illorum eſt, quòd generibus differentiiſq; ſublatis, tollũtur unà ea omnia quæ illis ſubiecta ſunt. Vt enim ſi nullum ſit animal, nec equus eſt nec homo: ſic ſi nihil ſit rationis particeps, animal quod ratione utatur, conſtare nullo modo poteſt. Proprium autem generis eſt, in pluribus dici quàm differentiam, quàm ſpeciem, quàm proprium, quàm accidens. Cum enim animal in homine, equo, aue & angue dicatur, tamen quadrupes de iis tantum quæ quatuor pedes habent, & homo in ſolis indiuiduis, quod ad hinnitum natum eſt in ſolo equo, & ſingulis. itemq; accidens in paucioribus dicitur. Sumendæ autem ſunt differentiæ, quibus genera in partes diuiduntur, non quæ generis uim naturamq; complent. Deinde differentiam genus ui ſua continet, quandoquidem animalium aliud rationis particeps, aliud expers: differentia autem non continet genus. Tum antiquiora prioraq; ſunt genera iis differentiis, quæ illis ſubiectæ ſunt. Itaque ſi tollantur, tollunt differentias, nec ab illis unà tolluntur. Sublatis enim animantibus, rationis compotibus & expertibus nihil loci relinquitur. At uerò genera non tollunt differentiæ. ut enim omnes tollantur, tamen ſubſtantia animata, ſenſus compos, quod animal eſt, mente & cogitatione intelligetur. Præterea genus in quæſtione qua natura rei inueſtigatur, dicitur: differentia in quæſtione, ut dixi, qualitatis. Genus etiam in quaq; forma & ſpecie unum eſt, ut in homine genus eſt animal, differentiæ multæ, ut quod rationis eſt particeps, quod mortale, quod ad mẽtem & ſcientiam percipiendam natum eſt, quibus à cæteris animantibus diſtinguitur. Poſtremo genus materiæ ſimile eſt, formæ differentia. Multa ſunt præterea quæ generis differẽtiæq; propria ſunt & communia, ſed hæc ſatis multa ſunt.

## De communitatibus & differentiis generis & proprij.

GEnus quidem & ſpecies communem habent eam dicendi rationem, qua in multis, ut dixi, reperiuntur. In quo ſpeciem illam intellectam uolo, quæ ſpecies modo eſt, non etiam genus, ut ſit idem ſpecies atque genus. Hoc etiam illorum commune eſt, quòd priora ſunt ijs de quibus dicuntur, & quòd utrunque quiddam totum eſt. Sed hoc differunt, quòd genus ſpecies complectitur: ſpecies continentur, nec genera continent: quippe cùm in pluribus genus, quàm forma dicatur. Præterea genera præponi oportet, quæ differentijs ijs quas efficientes formarum diximus, quaſi efformata ſpecies compleant & abſoluant. Itaq; priora ſunt naturæ ordine genera, tolluntq́;, neq; tolluntur. Si enim ſit ſpecies, genus etiam omnino eſt: at ſi genus ſit, non continuo ſpecies eſt. Genera etiam una ratione de omnibus formis quæ ei ſubiectæ ſunt dicuntur, formæ de generibus non item. Iam hoc ſuperãt formas genera, quòd formas complectuntur: formæ autem genera, quòd proprias differentias. Præterea nec ſpecies ſummum, nec genus infimum locum obtinere poteſt. Generi cum proprio hoc commune eſt, quòd ſpecies ſequuntur. Vt enim ſi quid ſit homo, idem animal: ſic ſi quid ſit homo, continuo ad riſum aptum ſit, neceſſe eſt. Illud etiam, quòd æquè genus de formis dicitur, atq; proprium de ijs indiuiduis quæ ipſum participant. Aeque enim homo & bos animãtes ſunt, & Anytus & Melitus æque apti ad riſum. Atq; etiam illud commune eſt, quòd una ratione & genus de ſuis formis, & proprium de ijs quorum proprium eſt, dicitur. Inter ea autem intereſt, quòd genus prius eſt, poſterius proprium. Primùm enim animal eſſe debet, deinde differentijs proprijsq́; diſtingui ac diuidi. Et genus quidem de multis formis dicitur, proprium autẽ de una aliqua forma cuius ſit proprium.





Præterea proprium uiciſſim commeat retro, cum de eo dicitur, cuius eſt proprium: at genus de nullo uiciſſim dicitur. Non enim ſi quid ſit animal, id cõtinuo ſit homo: neq; ſi quid animal, idcirco aptum ſit ad riſum. Sin aliquid ſit homo, continuo etiam aptum animum ad riſum habeat, neceſſe eſt: uiciſſimq́; ſi quid aptum animum ad riſum habeat, homo. Præterea ineſt proprium in tota ſpecie cuius proprium eſt, & in ſola ea, idq́; ſemper: genus uerò etſi in tota ſpecie cuius genus eſt, & ſemper, attamen non in ſola ea reperitur. Præterea ſi propria tollantur, non etiam genera ſecum unà tollunt: cum interim ſublatis generibus, formæ eæ, quarum ſunt propria, cõſtare nullo modo poſſunt. Ita ſublatis ijs quorum ſunt propria, ipſa etiam tollantur neceſſe eſt.

## De communitatibus & differentiis generis & accidentis.

COmmunis eſt generi cum accidente, de multis, ut dixi, dicendi ratio, ſiue in ijs ſit accidentibus quæ ſeparari poſſunt, ſiue in ijs quæ non poſſunt. Nam & moueri in multis dicitur, & quod nigrum eſt in coruis & Aethiopibus, alijsq́; nonnullis quæ ſine animis ſunt. Hoc autem inter genus accidensq́; intereſt, quòd genus formis prius ſit & antiquius, accidentia poſteriora formis. Vt enim accidens ſtatuatur id quod abeſſe non poteſt, certè id accidente prius eſt, cui inhæret. Hoc etiam, quòd æquè genere participant ea quæ illo participant: accidens non æque. Cõtentionem enim remiſſionémque capit accidentium communio, generum non item. Item, quòd primum in indiuiduis accidentia inhærent, genera & ſpecies naturæ ordine priora ſunt indiuiduis ſubſtantijs. Et quòd genera in quæſtione naturæ de ijs quæ illis ſubiecta ſunt dicuntur: accidentia uerò in quæſtione qualitatis uel modi cuiuſuis rei. Si enim rogatus fueris, qualis ſit Aethiops, nigrum eſſe reſpondebis: ant quomodo affectus ſit Socrates,

ægrotare eum,uel ualere dices. Ac genus quidem quid à cæteris quatuor differat, diximus. Vnumquodq; autem eorum à quatuor cæteris etiam differre uidebitur. ita cum quinque ſint,& unumquodque à cæteris quatuor diſtet, effici uidetur,ut quater quinque ducta,uiginti differentias omnes expleant. Non ita eſt, ſed quoniam ſemper enumerantur deinceps,ex duobúſque una differentia,quia iam ſumpta eſt, relinquitur: ex tribus duæ,ex quatuor tres, ex quinque quatuor colliguntur differẽtiæ: profecto ex quatuor,tribus, duabus,& una,decem fiunt. Nam quoniam quid genus à differentia,quid à ſpecie,quid à proprio & accidente differret, dictum eſt, idcirco quatuor hinc oriuntur differentiæ. Quid autem differentia à genere differret tum dixi, cum quid ab ea differret genus,oſtendi. Reliquum eſt igitur,ut quid à ſpecie,proprio, & accidente differat, doceamus: ex quo tres naſcuntur. Rurſum quid ſpecies à differentia intereſſet dixi,cum quid differentia à ſpecie diſtaret,dicerem. quid etiam differret à genere ſpecies docui,cum quid genus à ſpecie differret,docerem. Ita reſtat,ut quid ſpecies à proprio & accidente differat,diſſeramus: quæ duæ fient differẽtiæ. Illud tandem ad diſputandum relinquetur, quid inter proprium interſit & accidens. quandoquidem quid à ſpecie,quid à differentia & genere differret antè docui, cum eorum inter ſe differentiam traderem. Si ergo quatuor generis, differentiæ tres,ſpeciei & cæterorum duæ diſtinctiones in unum conferantur,ſi denique proprij ab accidente una,certè ex omnibus decem fient: quarum quidem quatuor generis & cæterorum iam oſtendimus.

De communitatibus & differentiis ſpeciei & differentiæ.

Communis igitur differentiæ cum forma,par æquáq; cõmunio eſt. Singuli enim homines æque participes ſunt homi



hominis differentiæq; rationis,ex qua participes rationis nominantur. Hoc etiam eis commune eſt, quòd ſemper adſunt iis,quibus ipſorum conuenit communicatio. Semper enim Socrates & rationis eſt particeps & homo. Proprium autem differentiæ eſt,in quæſtione dici qua quale quicq; ſit, ſpeciei uerò in ea qua quid quicque ſit,quæritur. Nam ſi homo qualitate aliqua affectus ſumatur & intelligatur, non omnino qualis ſit,ſed quia differentiæ generi accommodatæ eum talem fecerint. Iam in multis formis ſæpe differentia cernitur, uelut quadrupes in pluribus animantibus ſpecie differentibus: ſpecies autem ſola indiuidua quæ ſub ſpecie ſubiecta ſunt complectitur. præterea prior eſt differentia ea ſpecie quæ ex ipſa nominatur. quandoquidem ſublato eo quod rationis eſt particeps,homo conſtare nullo modo poteſt: at homine ſublato, quod rationis eſt particeps minime tollitur, cum angelus cohæreat. Præterea coniungitur differentia cum alia differentia. Siquidem quod rationis eſt particeps, quódque mortale,in uim naturámque hominis concluduntur. Species autem cum ſpecie non copulatur, ut aliud inde genus oriatur. Equam enim quandam ſi certus aſinus contrectet,inde mula naſcetur: at ſi omnino equam aſinus contrectet,nunquam mulam poßit gignere.

De communitatibus & differentiis proprij & differentiæ.

Differentiæ autem cum proprio hoc commune eſt, quòd æque illis participant ea, quibus cum communicantur. Aequè enim id omne quod particeps eſt rationis, eſt compos rationis: & quæ nata ſunt ad riſum, æquè nata ſunt omnia. Illud etiam iis commune eſt,& ſemper conuenire & omnibus quæ continent. Quamuis enim bipes debilitatum quid habeat,ad id certè ad quod natum eſt, ſemper accommodabitur. Et id quod ad riſum natum eſt,etiam ſi non rideat ſem

per, tamen ex eo quod natum eſt ſemper intelligetur. Differentiæ autem proprium eſt plerunq; in multis formis contineri, ut rationis particeps in angelo & homine dicitur. Proprium autem in una ſpecie cuius eſt proprium. Et differentia quidem ex iis conſequens eſt, quorum differentia, etſi id uiciſsim retro non commeet. Proprium autem uiciſsim etiam retro commeat, quòd reciprocetur ipſum, & ea quorum proprium eſt.

De communitatibus & differentiis accidentis & differentiæ.

Hoc differentiæ cum accidēti commune eſt, quòd in multis dicuntur: Cum eo etiam quod ſeparari non poteſt, illud commune eſt differentiæ, quòd ſemper & omnibus quæ complectuntur, conueniunt. Nam bipes ſemper homini conuenit, & nigror coruis omnibus. Sed hoc differunt, quòd ſpecies differētia continet, nec continetur. (Nam & angelum & hominem particeps rationis complectitur) accidens uerò quodammodo complectitur, quia ſit in multis: quodammodo continetur, quòd non unum aliquod accidens, ſed multa recipiant ea, quibus inhærere ſolent. Præterea nec intendi differentia, nec remitti poteſt: at accidentia & intentionem capiunt & remiſsionem. Cúmque contrariæ differentiæ miſceri iungíque inter ſe non poſsint, tamen contraria ſæpe accidentia coniunguntur. Ac differentiæ quidem & aliorum hæ ſunt communitates ac proprietates. Nam ſpecies quid à genere differret, & differentia, dictum eſt tum cum quid genus & differentia à cæteris diſtaret, oſtendimus. Reſtat ut quid à proprio & accidente interſit, dicamus.

De differentiis & communitatibus ſpeciei & proprij.

Hoc igitur ſpeciei cum proprio commune eſt, quòd inter ſe reciprocantur. Nam ſi quid homo ſit, etiam aptū ad riſum erit: & ſi quid aptum ad riſum ſit, homo. Nam ſæpe diximus, quod aptum eſt ad riſum, ex eo quòd natum ſit ad riſum, intelligendum eſſe. Atque etiam illud commune eſt, quòd æquè conueniunt. Aequè enim & ſpecies inſunt in iis quibuſcum communicantur, & propria in iis quorum ſunt propria. Hoc uerò differunt, quod ſpecies aliorum eſſe genus poteſt, proprium aliorum proprium eſſe non poteſt: quódque ſpecies antè cohæret quàm proprium, proprium ſpeciei innaſcitur. Sit enim homo neceſſe eſt, ut ſit aptus ad riſum. Cúmque ſpecies ſemper in ſubiecta re inſit reipſa, proprium interdum potentia ineſt, atq; interdum ſolum adeſſe poteſt. Homo enim ſemper eſt Socrates, non ſemper ridet, quanquam ſemper ad riſum aptum animum habeat. Præterea quorum definitiones diuerſæ ſunt, ea inter ſe differunt. Cúmque ſpeciei ſit, ſubeſſe generi, de multíſque dici in quæſtione qua rei natura quæritur, quæq; ſunt eiuſdem generis: proprij eſt uni alicui, eíque omni ſempérque conuenire.



De communitatibus & differentiis ſpeciei & accidentis.

Hoc autem commune ſpeciei cum accidente eſt, quòd in multis dicuntur. Raræ autem ſunt aliæ cōmunitates, quòd id quod accidit, & id cui quid accidit, diſtent inter ſe plurimum. Proprium autem ſpeciei eſt, in quæſtione qua quid quicque ſit quæritur, de iis dici quorum eſt ſpecies: accidentis autem in ea qua quale quid ſit, aut quo modo affectum ſit. Illud etiam ſpeciei proprium eſt, quod uniuſcuiuſque rei natura unius eſt formæ particeps: accidentis quod multorum accidentium & eorum quæ ſeparari poſſunt, & eorum quæ non poſſunt. Præterea ſpecies antè intelliguntur quàm accidentia, etiam ſi non poſsint ſeiungi (rem enim ſubiici oportet, ut ei quid accidat) accidentia uerò poſterius

naſcuntur, habéntque naturam ſuam omnem in ſubſtantia cohærentem. Speciei etiam æqua eſt párque communio, accidentium etiam eorum quæ ſeiungi non poſſunt, non item. quoniam Aethiops alius alio colore nigro poteſt magis minúſue imbui & infici. Nunc ſupereſt ut de proprio & accidente diſſeramus. Quid enim proprium à ſpecie, quid à differentia & genere differret, diximus.

### De communitatibus & differentiis proprij & accidentis.

Commune eſt illud proprio cum accidēti indiſcreto, quòd illa in quibus cernuntur, conſtare ſine ipſis nullo modo poſſunt. Vt enim conſtare homo ſine eo non poteſt quod ad riſum aptum ſit: ſic eſſe ſine nigro colore Aethiops nullo pacto poteſt. Et quemadmodum in ijs omnibus, quorum eſt proprium, & ſemper ineſt proprium: ita accidens quod ſeiungi non poteſt. Hoc uerò differunt, quod proprium uni modo ſpeciei conuenit, uelut homini id quod ad riſum aptum eſt, accidens autem quod ſeiungi non poteſt, uelut niger, non ſolum Aethiopi conuenit, ſed coruo etiam, & carboni, & ebeno, aliiſque nonnullis. Iam proprium & id cuius eſt proprium reciprocantur, in omnibúſque æquè ineſt proprium: accidens autem id quod ſeparari non poteſt, non reciprocatur. Propriorum etiam æqua eſt párque communio: accidentium alia maior, alia minor. Sunt præterea aliæ multæ communitates & proprietates eorum omnium quæ adhuc commemorauimus, ſed eæ ſatis multæ ſunt ad ea diſcernenda, eorúmque inter ſe comprobandas communitates.

FINIS.

ARIST



# ARISTOTELIS STAGIRITAE CATEGORIAE, interprete Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno.

HOMONYMA dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, definitio autem naturæ, nomini congruens, alia atque alia, ut animal, homo, & depictum animal. Hæc enim nominis tantummodo ſocietate coniuncta, definitione ea quæ naturam eorum uimq; nominis explicat, differunt. Si quis enim quæ ſit utriuſque eorum natura, quia animalia ſint, dicat, utriuſque propriam conſtituet definitionem.

Synonyma autem dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & eadem nomini attributa naturæ definitio, ut animal, homo, & bos. Nam & animal communi nomine eorum utrunque appellatur, & eadem eſt quæ naturam explicat, definitio. Etenim ſiquis reddat definitionem quæ quid ſit utrumque, quatenus animalia ſunt explicet, certè eandem attribuet utrique.

Paronyma autem uocantur ea, quæ orta ab uno uariè commutantur: ut à grammatica, grammaticus: fortis à fortitudine.

Eorum quæ dicuntur, partim coniuncta ſunt, partim ſim-

plicia

plicia. Ac coniuncta quidem, ut homo currit, homo uincit. Simplicia ſunt, homo, bos, currit, uincit.

Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, nec in ſubiecto inſunt ullo, ut homo: de ſubiecto enim dicitur quopiam homine, in ſubiecto autem nullo ineſt. Alia in ſubiecto ſunt illa quidem, ſed de ſubiecto nullo dicuntur. In ſubiecta autem re eſſe dico id quod in re aliqua ineſt, non tanquam pars, nec ab eo cui ineſt ſeiungi ſepararíque poteſt. Veluti grammatica aliqua in ſubiecto ineſt animo, ſed de ſubiecto nullo dicitur. Eodémque modo hic uel ille candor, eſt ille quidem in ſubiecto corpore (eſt enim in corpore color omnis) attamen de nullo ſubiecto dicitur. Quædam & de ſubiecto dicuntur & ſunt in ſubiecto, ut ſcientia in ſubiecto animo ineſt, ac de ſubiecta grammatica dicitur. Nonnulla nec in ſubiecto ſita ſunt, nec de ſubiecto dicuntur ullo, ut ſinguli homines, ut ſinguli equi. Nihil enim eius generis neque in ſubiecto eſt, neque de ſubiecto ullo dicitur. Omnino autem & indiuidua & res ſingulæ de ſubiecto nullo illa quidem dicuntur, ſed eorum nonnulla in ſubiecto eſſe nihil prohibet. Nam grammaticæ ſingulæ ſunt in ijs, quæ in ſubiecto inſunt, nec de ſubiecto ullo dicuntur. Cum alterum de altero tanquam de ſubiecto dicitur, quicquid de prædicato dicitur, id omne de ſubiecto quoque dicetur. Veluti quia homo de quopiam homine dicitur, & animal de homine: ob eam etiam cauſam animal de ſingulis hominibus dicetur. Singuli enim homines & homines ſunt & animalia. Quæ genere differunt, nec unum ab altero continetur, eorum etiam differentiæ ſpecie differunt, ut animalis & ſcientiæ. Animalis enim differentiæ ſunt, terrenum & bipes, & uolucre, & aquatile: at uerò harum nulla ſcientia eſt. quoniam inter ſcientiam & ſcientiam hoc ipſo quòd bipes ſit, nihil intereſt. Eorum autem generum quorum unum altero continentur,

nihil



nihil prohibet eaſdem eſſe differentias. Nam quæ ſupra ſunt genera de ijs que ijs ſubiecta ſunt generibus dicuntur. Ita fit, ut omnes quæ ſunt prædicati, ſubiecti etiam ſint futuræ differentiæ. Quæ autem ſimplicia ſunt, ea uel ſubſtantiam ſignificant, uel quantitatem, uel qualitatem, uel quæ cum aliquo comparantur, uel locum, uel tempus, uel accubationem, uel habere, uel facere, uel pati. Eſt autem ſubſtantia, ut populariter dicam, ut homo, ut equus. Quantitas, ut quod duorum cubitorum eſt, quódque trium. Qualitas, ut candor, grammatica. Quæ cum aliquo comparantur, ut duplum, ut ſimplum, ut maius. In loco, ut in foro, in Lycio. In tempore, ut cras, anno ſuperiore. Situm eſſe, ut iacere, ut ſedere. Habere, ut armatum eſſe, ueſtitum eſſe. Facere, ut ſecare, urere. Pati, ut ſecari, uri. Nihil autem eorum quæ enumerata ſunt, per ſe in affirmatione & negatione dicitur, ſed ex eorũ mutua quadam coniunctione omnis & affirmatio & negatio naſcitur. Nam & omnis affirmatio & negatio, aut uera eſt, aut falſa, & nihil eorum quæ ſimplicia ſunt, non coniuncta, uerum eſt aut falſum, ut homo, ut candor, ut currit, ut uincit.

## De ſubſtantia.

Subſtantia autem quæ & propriè & primùm, & maximè appellatur, ea eſt quæ nec de ſubiecto ullo dicitur, nec in ſubiecto ullo ineſt, ut quidam homo, quidam equus. Secundo autem loco ſubſtantiæ uocantur ſpecies eæ, in quibus quæ primum nominantur naturæ inſunt: Itémque earum formarum genera, uelut quiſpiam homo, ſpecie quidem hominis continetur. Speciei autem genus eſt animal. Hæ igitur ſecundæ naturæ ſubſtantiæq; nominantur, ut homo, ut animal. Perſpicuum eſt autem ex ijs quæ dicta ſunt, eorum quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſſe, & nomen de ſubiecto dici, & definitionem, ut homo de ſubiecto quopiam homine di

ne di

ne dicitur, & nomen etiam dicitur. Siquidem hominem, ad quempiam hominem accommodabis. Atque etiam hominis de aliquo homine dicetur definitio. Homo enim quiſpiam, & homo eſt, & animal. Ergo & nomen de ſubiecto dicetur, & definitio. At uerò eorum quæ in ſubiecto continentur, permulta ſunt, quorum neque nomen neque definitio de re ſubiecta dicitur: nonnullorum nomen nihil prohibeat dici de ſubiecto interdum, etiam ſi non poßit definitio. Veluti res candida cum ſit in ſubiecto corpore, de ſubiecto dicitur: candidum enim corpus dicitur. At rei candidæ definitio nunquam de corpore dicetur. Cætera uerò omnia uel de primis ſubſtantijs ſubiectis dicuntur, uel in ijs ſubiectis continentur. Quod perſpici poteſt ex ijs quæ ſingulatim proponuntur. ueluti animal de homine dicitur, de quopiam igitur etiam homine dicetur. Si enim de ſingulorum hominum nemine, ne de homine quidem dicetur omnino. Rurſum ineſt color in corpore, ergo & in aliquo corpore. Nam ſi in nullo eſt ſingulorum corporum, neque in uniuerſo corpore. Ergo hoc iam apparet, reliqua omnia aut de ſubiectis primis ſubſtantijs dici, aut in eis ineſſe ſubiectis. Quocirca ſublatis primis naturis atque ſubſtantijs, nihil loci relinquitur cæteris omnibus. Porrò ſecundarum ſubſtantiarum ſpecies potius ſubſtãtia eſt quàm genus, quoniam ad primam naturam propius accedit. Si enim quid ſit prima eſſentia quiſpiam explicet, planius id & aptius faciat uſus ſpecie, quàm ſi genus adhibuiſſet. Vt ſi certum hominem explices, planius id efficies adhibito hominis nomine, quàm animalis. Eſt enim magis propria ſpecies cuiuſpiam hominis, at genus communius. Item ſi quis quid ſit aliqua arborum ſingularum aperiat, apertius docebit, ſi arborem dicat eſſe, quàm ſi plantam. Iam primæ ſubſtantiæ quia cæteris omnibus ſubiectæ ſunt, reliquáque omnia de eis dicuntur, aut in eis ſunt, idcirco

maxi



maximè ſubſtantiæ naturæq; primæ nominantur. Quam autem habent rationem ad cætera omnia primæ eſſentiæ, eandem habet ſpecies ad genus. Subijcitur enim generi ſpecies: quippe quum de ſpeciebus genera dicantur, nec ſpecies generibus ex hac parte reſpondeant. Ita fit etiam ex his: ut ſpecies magis quàm genus nomen obtineat ſubſtantiæ. At uerò ſpecies nulla earum quæ genera non ſunt, magis quàm altera ſubſtantia eſt. Nemo enim cuiquam ſingulorum hominum nomen hominis adhibebit aptius, quàm equi, cuipiam equorum ſingulorum. Similitérque in primis eſſentijs ac naturis, nihil magis aliud alio ſubſtantia eſt. Neque enim quiſquam ſingulorum hominum, uerius eſſentia eſt, quàm bos aliquis. Iure igitur poſt primas eſſentias, ſpecies ſolæ ac genera eſſentiæ ſecundæ nominantur. Hæc enim ſola eorum quæ dicuntur, quæ ius ſit primæ ſubſtantiæ explicant atque declarant. Nam ſi quis uelit explicare quæ uis ſit & natura cuiuſpiam hominis, iſque uel ſpeciem afferat uel genus, aptè ille quidem fecerit, ſed multo planius ſi hominem eſſe dicat, quàm ſi animal, feciſſe uideatur. At ſi quid cæterorum omnium afferat, alienius id futurum eſt & obſcurius: ut ſi candidum eum dicat, uel currere, aut aliud quiduis generis eiuſdem. Quapropter ex reliquis rebus omnibus, hæ ſolæ meritò ſubſtantiæ uocantur. Præterea quoniam cæteris omnibus primæ ſubſtantiæ ſubiectæ ſunt, quoniámque reliqua de eis omnia dicuntur, uel inſunt in ipſis, ob eam cauſam principales dicuntur ſubſtantiæ. Quemadmodum autem ſunt ad cætera omnia primæ ſubſtantiæ, ſic & genera ſunt & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia: de his enim cætera omnia dicuntur. Vt enim quempiam hominem grammaticum dices, ſic & hominem grammaticum & animal: ſimilitérque in cæteris omnibus. Hoc autem omni ſubſtantiæ commune

eſt

eſt, non ineſſe in ſubiecto. Nam nec in ſubiecto prima ſubſtantia eſt, nec de ſubiecto ullo dicitur. de ſecundis etiam id perſpicuum eſt, eas in nullo eſſe ſubiecto. Homo enim etſi de ſubiecto quopiam homine dicitur, tamen in nullo ſubiecto ineſt. Neque enim in quodam homine homo ineſt. Itémque animal de ſubiecto quopiam homine dicitur, quum interim animal in aliquo homine non inſit. Iam uerò eorum quæ in ſubiecto inſunt, nihil impedit, quo minus nomen illud quidem interdum de ſubiecto dicatur, ſed tamen nunquam definitio poteſt. At ſecundarum ſubſtantiarum & definitio de ſubiecto & nomen dicitur. Hominis enim alicui homini conuenire dicas definitionem, itémque animalis. Non igitur in ijs quæ in ſubiecto inſunt, eſſe ſubſtantia ullo modo poteſt. Sed non eſt ſubſtantiæ hoc proprium: quinetiam ſunt in ijs quæ non inſunt in ſubiecto, differentiæ. Nam gradiens & bipes de ſubiecto aliquo homine dicuntur, nec ſunt in ſubiecto ullo. Neque enim in homine bipes ineſt, neque gradiens. Atque etiam de eo differentiæ definitio, cuius eſt differentia dicitur, ut ſi gradiens de homine dicatur, dicetur etiam de homine gradientis definitio. Eſt enim homo gradiens. Nec uerò conturbare nos debent ſubſtantiarum partes, quòd inſint in ſubiectis rebus uniuerſis, ne quando eas ſubſtantias negare cogamur. Non enim ita definiuimus ea quæ ſunt in ſubiecto: quæ ut partes ineſſent. Hoc autem & eſſentijs ipſis & differentijs tributum eſt, ut quæ de eis dicuntur, συνωνύμως, dicantur omnia. Omnes enim quæ ex illis ducuntur dicendi rationes, aut de indiuiduis, aut de formis dicuntur. Ex prima enim ſubſtantia, quoniam de ſubiecto nullo dicitur, nulla dicendi ducitur ratio. At ſecundarum ſubſtantiarum partes & formæ de indiuiduis dicuntur: genus autem & de ſpeciebus & de indiuiduis. Itémque differentiæ de formis indiuiduiſ-

que



que dicuntur, atque etiam primæ ſubſtantiæ, & formarum ſibi uendicant & generum definitionem, & ſpecies illam generis. Quæ enim de prædicato dicuntur, de ſubiecto quoque dicuntur omnia. Eodemq; modo differentiarum definitio formis & indiuiduis accommodanda eſt. Synonyma autem definita ſunt ea quorum nomen commune eſt, eademq; definitio. Omnia igitur quæ à ſubſtantijs & differentijs proficiſcuntur, συνωνύμως dicuntur. Omnis etiam ſubſtantia quiddam hoc uel illud ſignificat. Ac in primis quidem eſſentijs non eſt id dubium, ſed uerum eſt eas hoc quiddã ſignificare uel illud: præſertim cum indiuiduum, quódque unum numero eſt, declaretur illis & exprimatur: ſecundæ autem uidentur illæ quidem ſimiliter figura appellationis, hoc quippiam ſignificare, cum dicitur, homo, uel animal: non tamen id uerum eſt, ſed qualitatem potius ſignificant. Neq; enim res una ſubiecta eſt, qualis eſt prima ſubſtantia, quinetiam de multis homo animálque dicuntur. Quanquam non omnino qualitatem ſignificat more uocabuli albi. Nomen enim albi niſi qualitatem nihil ſignificat omnino. At genus & ſpecies in ſubſtantia qualitatem eſſe explicant. Significant enim qualem eſſe aliquam ſubſtantiam. Sed genere quàm ſpecie plura explicantur. quoniam qui nomen animalis profert, plura quàm is qui hominis cõplectitur. Iam hoc etiam ſubſtantijs inſitum eſt, ut ipſis nihil ſit cõtrarium. Nam primæ quidem ſubſtantiæ, ut cuipiam homini uel cuipiam animali, quid contrarium eſſe poßit? Nihil enim eis repugnat. Ne homini quidẽ aut animali. Sed hoc proprium nõ eſt ſubſtantiæ, quinetiam in pleriſq; alijs rebus hoc cernitur, ueluti in quãtitate. Neque rei duorum cubitorum aut trium quicquam contrarium eſt, neque decem, nec cuiquam rei eiuſdẽ generis. niſi forte dicat aliquis multa paucis eſſe contraria, aut magna paruis. profectò certæ quantitatis nihil cuiquam rei eſt contrarium. Præterea

c

non uidetur ad ſubſtantiam illud magis aut minus poſſe accedere. Quod non ita dictum uelim, quaſi ſubſtantia alia, alia nec magis nec minus ſubſtantiæ nomẽ obtineat: hoc enim cõceſſum eſt: ſed hoc uolo, nullam ſubſtantiam, id ipſum quod ſuapte natura eſt, nec magis nec minus ſibi uendicare. Veluti homo qui ſubſtantia eſt, profectò non magis quàm ipſe, nec minus, nec alter altero nomen ſubſtantiæ obtinebit. Neque enim alter altero nomen hominis magis obtinet, ſicuti res alba alia, alia albior eſt, & minus alba: & honeſtum aliud alio honeſtius eſt, & minus honeſtum. Quinetiam idem ſeipſum magnitudine aliqua & exiguitate ſuperare dicitur, ut corpus cum candidum ſit, hoc tempore quàm antea, albius uocatur: & quod calidum eſt, magis minúſq; calidum. At uerò eſſentia nec magis, nec minus eſſentia nominatur. Neq; enim homo nunc magis quàm antea nomen hominis obtinet, nec quicquam eorum quæ ſubſtantia appellantur. Quare non patitur ſubſtantia illud magis aut minus ſibi tribui. Sed hoc ſubſtantiæ eſt proprium maxime, una eadémque cum ſit numero, uim habere accipiendi contraria. Vt cæterorum omnium quæ non ſint ſubſtantiæ nihil quiſquam afferre poſſit, quod unum idémque manens contraria poßit accipere. Vt color cum ſit unus & idem numero, niger non dicitur, nec albus: neque eadem actio uitioſa & recta. Eadem eſt cæterorum omnium ratio, quæ ſubſtantiæ non uocantur. At ſubſtantia cùm una ſit eadémque numero, uim habet accipiendi contraria. Veluti unus idémque homo aliàs albus, aliàs eſt niger: interdum calidus, interdum frigidus: nonnunquam bonus, nonnunquam improbus: quod in cæteris omnibus non reperitur. Niſi forte aliquis occurrat, confirmans contraria accipere & orationem poſſe & opinionem. uidetur enim eadem uera & falſa oratio: ut ſi uera eſt oratio, ſedere aliquem: quum is ſurrexerit, hæc ipſa oratio falſa erit. Eadem

eſt



eſt ratio opinionis & ſententiæ. Si quis enim uerè ſedere aliquem ſentiat, quum ſurrexerit, male exiſtimabit, ſi eandem de eo habeat opinionem. Quòd ſi cui hæc probabuntur, attamen ratione quadam magna eſt diſsimilitudo. Nam ſubſtantiæ ipſæ mutatæ uim habent accipiendi contraria. quum enim ex calido quippiam fit frigidum, ipſum immutari ſolet, quoniam & quod nigrum eſt ex albo commutatur, & bonum ex malo. Itemq; cætera omnia commutatione accedente contraria accipiunt. At uerò oratio & opinio, manent ipſæ quidem immobiles omni ex parte: ſed re ea quæ ſubiecta eſt immutata, in eis contraria naſcuntur. Manet enim hæc eadem oratio, ſedere aliquem: re uerò mutata interdum uera, interdum falſa eſt. Eadem eſt ratio opinionis. Quapropter hoc quidem pacto proprium erit ſubſtantiæ immutatione ſui ipſius accipere poſſe contraria. Quòd ſi quis orationem & opinionem contraria accipere comprobet, profectò non ita eſt. Neque enim ex eo quòd aliquid acceperint, contraria ſuſcipere dicuntur oratio & opinio: ſed quia in re alia aliqua affectio nata eſt. Nam quia res eſt aut non eſt, idcirco uera eſt aut falſa oratio, non quia poßit ea accipere in ſe contraria. Omnino enim à nemine nec oratio mutatur, nec opinio. Nunquam igitur contraria accipient, niſi in eis aliqua affectio gignatur. At ſubſtantia quòd contraria in ea ſunt, ex eo uim habere dicitur accipiendi contraria. Nam & morbus in ea eſſe, & ualetudo poteſt, & candor & nigror, quæ cum omnia in ſe accipit, uim habere accipiendi contraria dicitur. Quare naturæ ac eſſentiæ hoc proprium eſt, uim habere accipiendi contraria, immutatione ſui, cum unum & idem numero maneat. Ac de ſubſtantia quidem hactenus.

## De quantitate.

Qvantorum autem aliud deiunctum eſt, aliud coniunctum: & partim ex partibus conſtant, quæ ſitum

quendam inter ſe habent, partim ex ijs quæ non habent. Eſt autem deiunctum, ut numerus, ut oratio. Continuum, ut linea, extremitas, corpus, & præter ea locus & tempus. Nam numeri partium terminus communis nullus eſt, qui cum eius partes coniungantur. Velut ſi quinque ſint partes decem, cum nullo communi termino quinque & quinque coniuncta ſunt, ſed ſeparata, neque tribus & ſeptem ullus cõmunis terminus accommodatur. nec poßis omnino in numero communem ullum partium terminum reperire, ſecretæq; ſunt ac ſeparatæ. ita numerus in eis eſt quæ ſecreta ſunt. Similis eſt ratio orationis. Nam quantam eſſe orationem ex hoc perſpici poteſt, quòd ſyllaba breui longáque ponderatur. id quod de uocis oratione intellectum uolo. Partes enim eius cum nullo communi termino & fine coaptantur, quoniam terminus communis nullus eſt, quo cum ſyllabæ cohæreant: uerum per ſe quæque ſecreta eſt. Linea autem continuata eſt. Licet enim communem ſumere terminum, punctum uidelicet, quo cum eius partes coniungantur: & extremitatis lineam. Nam plani partes ad certum communem terminum omnes pertinent. Item in corpore potes reperire communem terminum, lineam, uel extremitatem, cum qua coniunctæ ſint partes corporis. Atque etiam locus & tempus ſunt generis eiuſdem. Nam & id tempus quod adeſt, quódque præſens eſt, cum præterito & futuro copulatur. Eſt & locus in ijs quæ continuata ſunt: locum enim certum corporis partes occupant, quæ cum aliquo communi termino coaptantur. Loci ergo partes, quibus ſingulæ corporis partes continentur, cum eodem termino quo cum corporis partes cohærent. Ita in continuatis eſt locus: quandoquidem ad certum communem terminum eius partes pertinent. Præterea alia ex partibus conſtant, quæ habent ſitum inter ſe, alia ex ijs quæ non habent. ueluti lineæ partes ſitum certum tenent, quoniam

unaq



unaquaq; alicubi ſita eſt: poteſque ubi quæque ſita ſit in plano, explicare, quáque cum parte reliquarum omnium coaptetur. Itemque plani partes ſitum certum obtinent. Aeque enim doceri poteſt ubi ſingulæ ſitæ ſint, & quæ inter ſe aptæ. Eadem eſt ratio ſolidi corporis & loci partium. At uerò in numero, quem eius partes inter ſe ſitum habeat, aut ubi ſitæ ſint, aut quæ inter ſe uinctæ atq; aptæ, docere nemo poteſt. Ne temporis quidem. Pars enim nulla manet tẽporis. Quod autem non manet, quî ſitum certum habeat? quin potius ordinem certum id obtinere poßis dicere, quia temporis pars alia prior, alia poſterior eſt. Similiterque in numero, quòd unum prius quàm duo & duo ante quàm tria numerantur. Ita ordinem quendam certum obtinent, ſitum autem eorum nunquam certè poßis reperire. Eadem eſt ratio orationis. Nulla enim eius pars manet, ſed prolata & miſſa uox iam reuocari nullo modo poteſt. Non igitur ſitus ullus erit eius partium, ſiquidem nulla manet. Alia igitur ex partibus conſtant quæ ipſæ in loco ſitæ ſunt, alia ex ijs quæ non ſunt. Sed propriè quanta nominantur ea ſola quæ diximus, impropriè & caſu cætera omnia. Hæc enim ſpectantes & intuentes, cætera quanta appellamus. Veluti multum album aliquid dicimus, quòd extremitas magna ſit: actionem & motionem diuturnam, quòd multum interiectum ſit temporis. Neque enim quicquam eorum per ſe quantum dicitur, ut ſi quis doceat quanta ſit actio, eam tempore explicabit, anni unius, aut ſic quodammodo. Et qui res quàm ſit alba exprimet, extremitatis ratione explicabit. Nam quàm longa eſt extremitas, tam album aliquid eſſe confirmauerit. Ita ſit, ut ſola ea quæ enumerata ſunt, propriè quanta dicantur, reliqua omnia non per ſe illa quidem, ſed caſu & fortuito. Iam quantis nihil contrarium eſt. Nam ſecretis perſpicuum eſt nihil repugnare, ut rei trium aut duorum cubitorum, uel

extremitati, neque ulli eorum quæ ſunt generis eiuſdem. Nihil enim eis contrarium eſt. Niſi forte dicat aliquis & multa paucis, & magna paruis eſſe contraria. Atqui non ſunt hæc in quantis, ſed in ijs quæ cum aliquo comparantur. Nihil enim per ſe magnum aut paruum dicitur, ſed quod cum alio comparatur. ut mons paruus, milium magnũ: quia hoc maius ſit omnibus ijs quæ ſunt eiuſdem generis: ille quia minor alijs eiuſdẽ generis. Fit igitur cum altero collatio. Nam ſi per ſe magna aut parua dicerentur, nunquam certè mons paruus, nec milium magnum uocaretur. Præterea in uico multos eſſe, Athenis paucos, cum ſint multo plures, dicimus: & domi multos, in theatro paucos, cum ſit multo maior numerus. Iam res duorum & res trium cubitorum cæteráque eiuſdem generis, quantitatem ſignificant: magna autem & parua non quantitatem ſignificant, ſed potius comparationem. Nam ex altero ſpectatur quod magnum eſt & quod paruum. Perſpicuum eſt igitur, ea in ijs eſſe quæ cum aliquo comparantur. Præterea ſiue quis hæc ponat in quantis, ſiue non ponat, tamen nihil eis eſt contrarium. Quod enim non poteſt per ſe intelligi, cum aliquóque comparatur, qui poteſt ei quicquam eſſe contrarium? Præterea ſi magna paruis contraria ſunt, in eodem ſimul contraria erunt, & idem ſibiipſi aduerſum. Accidit enim, ut res eadem ſit ſimul magna & parua. Eſt enim ad hanc parua, eadem magna ad alteram. Eadem igitur res eodem tempore & parua eſt & magna. Ita ſimul contraria accipit. Nihil autem ſimul contraria accipit. ut in ſubſtantia perſpici poteſt, in qua cum eſſe contraria poſſint, tamen nulla ſimul in morbo eſt, & ualet, nec alba & nigra ſimul eſt, nec aliud quicquam eſt, in quo ſimul contraria eſſe poſſint. Atque etiam eadem res ſibi ipſa aduerſa erit. Si enim res magna paruæ contraria eſt, eadem etiam ſimul



ſimul & magna & parua, certè eadem res ſibi erit contraria. At fieri non poteſt, ut aliquid ſibi ſit contrarium. Non igitur ſunt parua magnis contraria, nec multa paucis. Ex quibus efficitur, ut etiamſi quis hæc non dicat in ijs eſſe quæ cum aliquo comparantur, ſed in quantis, tamen eis nihil ſit contrarium futurum. Sed quantorum repugnantia in loco apparet maximè. Summum enim locum infimo contrarium ponunt, mediam regionem infimum locum appellantes, quòd inter medium & mundi terminos longiſſimum interiectum ſit interuallum. Atque etiam ex his ducunt cæterorum contrariorum definitionem. Contraria enim definiuntur, quæ in eodem genere plurimum differunt. Nec uerò illud magis aut minus in quantis reperitur: ut res duorum cubitorum non aſciſcit alia alia magis rei huius naturam atque rationem. Quod eodem modo iudicandum eſt de numero: ueluti tria non magis quàm quinque trium aut quinque nomen obtinent, nec quinque potius quàm tria: ne tempus quidem aliud alio magis aut minus temporis appellatur nomine. Omninóque ſingula quæ dicta ſunt neque illud magis neque minus admittunt. Quanta igitur illud magis aut minus reſpuunt. At quantorum maximè proprium eſt, paria aut imparia nominari: quanta enim quæ diximus omnia uel paria uel imparia uocantur; ut corpus par uel impar dicitur. Itémq; numerus & tempus par & impar. Similitérque ſingula quæ dicta ſunt, uel æqua uel non æqua dicuntur. Cætera uerò quæ non ſunt in quantis, non admodum æqualia, uel inæqualia nominantur. Vt commutatio non admodum dicitur æqua uel non æqua, ſed potius ſimilis uel diſſimilis: & res alba non ferè æqua uel non æqua, ſed ſimilis uel diſſimilis. Eſt igitur hoc quantorum maximè proprium, ut paria uel imparia dicantur.

## De iis quæ cum aliquo conferuntur.

EA autem cum aliquo conferuntur, quorum uis omnis & natura ad alia refertur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur, ueluti maius quicquid ipſum eſt, id omne alteri tribuit. aliquo enim maius dicitur: & duplum, id ipſum quod eſt, ad alterum refertur, quoniam alicuius rei duplum eſt: itémque cætera omnia eiuſdem generis. Sūt etiam hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur, ut habitus, ut affectio, ut ſcientia, ut ſitus. Hæc enim omnia quicquid ſunt, aliorū ſunt, aut quomodocunque aliter cum altero conferuntur, ac nihil præterea. Nam & habitus, alicuius habitus dicitur: & ſcientia, alicuius ſcientia: & ſitus, rei cuiuſpiam ſitus. Eadem eſt cæterorum omnium ratio. Sunt igitur quæ cum aliquo conferuntur ea, quorum uis omnis & natura alterius eſſe dicitur, uel quæ quoquo modo ad alterum referuntur, ut mons ad alterum magnus dicitur, quippe cum ad aliquid mons magnus nominetur. Quod ſimile eſt, alicui etiam ſimile dicitur, cæteráque omnia generis eiuſdem eodem modo cum aliquo conferuntur. Sunt etiam quædam ſitus genera, ut accubatio, ut ſtatus, ut ſeſsio: ſitus autem in ijs ducuntur, quæ cum aliquo conferuntur. Sed iacere, ſtare, ſedere non ſunt ipſa quidem ſitus: ab ijs autem generibus ſitus quæ diximus, orta ſunt. Reperitur etiam in ijs quæ cum aliquo conferuntur repugnantia, ut uirtus uitio eſt contraria, cum utrunque in ijs ſit quæ cum aliquo comparantur: & ignorationi ſcientia. Nec uerò omnibus data ſunt contraria. Duplo enim nihil aduerſatur, nihil triplo, nec ulli eiuſdē generis. Illud autem magis & minus in ijs reperitur, quæ cum aliquo conferuntur. Nam & quod ſimile ac diſsimile eſt, ſimilius diſsimiliúſque dicitur: & quod par & diſpar eſt, aliud alio magis par & diſpar, cum utrunque in numerum eorum ueniat,

quæ



quæ cum aliquo conferuntur. Quod enim ſimile eſt, cuipiam ſimile: & quod impar eſt, alicui impar eſſe dicitur. Quanquam non omnia quæ cum aliquo comparantur, illud magis aut minus admittunt. Neque enim duplum magis aut minus duplum quàm aliud habetur, nec quicquam eiuſdem generis.

Omnia uerò quæ in hoc genere ſunt, reciprocantur. Velut ſeruus, domini ſeruus: uiciſsimque dominus, ſerui dominus eſſe dicetur. Et ut duplum ſimpli duplum, ſic uiciſsim ſimplum dupli ſimplum habendum eſt: itémque & maius minore maius, & minus maiore minus dicitur. Eadem eſt ratio cæterorum, niſi quòd interdum caſus diſsimilitudo rationem dicendi conſequetur. Quanquam enim ſcientia rei quæ ſub ſcientiam cadit, eſt ſcientia: & res quæ ſcientiæ ſubiecta eſt, ſcientiæ res dicitur: & ſenſus, rei quæ ſub ſenſum cadit ſenſus eſt, uiciſsimq; res ſubiecta ſenſui, ſenſus res habetur: tamen id reciprocari nonnunquam non poteſt, quoties non accommodatum ad id quod dicitur, uerbum exprimit is qui rem declarat. Vt ſi quis alam auis eſſe dixerit, non uiciſsim dicat auem alæ eſſe, cum præſertim primum quod dedit, non eſſet uerum proprium, auis ala. Non enim hoc ipſo quia auis ſit, ala eius propria eſt, ſed quia pennigera ſit: ſiquidem pleriſque alijs pennæ attributæ ſunt, quæ in numero auium non habentur. Ergo ſi aptè & accommodatè ad rationem dicendi uerbum exprimatur, continuo reciprocantur. Velut penna pennigeri penna, uiciſsimque, penniger pennæ penniger. Atque etiam hoc loco interdum ſanè, ſi nullum accommodatum ſit rebus nomen impoſitum, nomina facienda ſunt neceſſariò. Vt ſi confirmetur nauis eſſe gubernaculum, haud probè fiat. Neque enim hoc ipſo quòd nauis ſit, eius gubernaculum eſſe dicitur, cum naues ſint, quæ nulla gubernacula habeant. Itaque non eſt hoc loco reciprocatio. Nauis enim non ſolet dici gubernaculi: aptiórque ratio di-

cendi fiat, ſi gubernaculũ rei gubernaculo inſtructæ eſſe dicatur: quandoquidem res inſtructa gubernaculo, gubernaculo inſtituta eſt. Similis eſt ratio cæterorum, ut caput aptius rei capite donatæ tribuatur, quàm animali: quippe quum non quia animal ſit, caput habeat: uacant enim capite multa animalia. Sed ita facillimè nomina imponentur rebus quarum nulla ſunt propria, ſi à primis, iiſque quæ uiciſſim inter ſe reſpondent, imponentur. Id quod in iјs perſpici poteſt de quibus modò diximus, ut à penna pennigerum, à gubernaculo res inſtructa & munita gubernaculo. Quare quæ cum aliquo conferuntur, ſi aptè & accommodatè dicantur, reciprocantur omnia. Nam ſi ad quiduis accommodentur, non ad id ad quod referuntur, non reciprocantur. Hoc autem confirmo, ne ea quidem uiciſſim inter ſe reſpondere poſſe, quæ omnium conſenſu reciprocantur, etiam ſi impoſita eis ſint nomina, ſiquidem ad aliquid eorum quæ accidunt, non ad id cui uiciſſim reſpondent, accommodabuntur. Veluti ſeruus ſi non domini, ſed hominis, aut bipedis, aut cuiuſpiam eius generis confirmetur ſeruus, certè nulla futura eſt inter eos reciprocatio. Neque enim homo eſſe ſerui homo dici poteſt, propterea quòd non eſt ea apta & propria dicendi ratio. Quòd ſi aptè & accommodatè ad id ad quod refertur, uerbum exprimatur, apta ad ipſum illud ſemper erit dictio, etiam ſi omnia quæ aduentitia ſunt detrahantur, iјs ſolis remanentibus, cum quibus illa conferuntur. Vt ſeruus ſi cum domino conferatur, profectò ſublatis detractiſque omnibus, quæ domino aſcititia & aduentitia ſunt: uelut eum bipedem eſſe, & natum ad ſcientiam & cognitionem, & hominem, relicto illo ſolo, eum herum eſſe, tamen ſemper ſeruus ad ipſum referetur. Siquidem ſeruus, domini ſeruus nominatur. Nam ſi parum accommodatum ad id cum quo confertur, nomen reddatur, ſeparatis cæteris omnibus, relicto autem eo uno, cui adiunctum



ctum erat minimè cum eo conferetur. Accommodetur enim exempli gratia, ſeruus ad hominem, & ala ad auem, ſeiungatúrque ab homine heri appellatio, iam ſeruus cum homine non comparabitur, præſertim cùm ſublato domino ſeruus nullus ſit: itémque ab aue ſeparetur pennigeri ratio, non iam ala ueniet in numerum eorum quæ cum aliquo conferuntur. Sublato enim pennigero, nullius certè ala eſt futura. Quapropter uerbum dandum eſt, cum quo alterum ritè conferatur. Quòd ſi nomẽ ſit impoſitum, facilis eſt uerbi accommodatio. Sin nullum ſit, profectò faciendum nouum neceſſario eſt. Quæ ſi hoc pacto omnia tribuantur, perſpicuum eſt, quæ cum aliquo conferuntur, reciprocatum iri omnia. Iam quæ ſunt in hoc genere, ſimul ſunt naturæ ordine. Ac in pleriſque id uerum eſt, in aliјs non item. Simul enim atque duplum eſt, & ſimplum eſt: & ſi ſimplum ſit, duplum quoq; eſt: & ſi dominus ſit, ſeruus ſit neceſſe eſt: & ſi ſeruus ſit, & dominus. Similis eſt ratio cæterorum. Atque etiam tollunt hæc inter ſe omnia. Neque enim ſublato duplo, eſſe ſimplum ullo pacto poteſt, aut ſimplo ſublato duplo loci aliquid relinquitur. Eadem eſt aliorum ratio, quæ ſunt eiuſdem generis. At non in omnibus iјs quæ cum aliquo conferuntur, id uerè dicitur, ea ſimul eſſe ordine naturæ. Nam res ea quæ ſcientiæ ſubiecta eſt, prior eſt naturæ ordine ſcientia, quòd ferè res quæ iam ſunt, ſcientia compræhendamus. In paucis enim, aut in nullis potius ſcientiam ſimul eſſe cum re quæ ſub ſcientiam illam cadit, perſpici poteſt. Præterea ſublata re quæ ſub ſcientiam cadit, ſcientia quoque tollitur. At ſublata ſcientia, id quod cadit ſub ſcientiam non tollitur. Siquidem ſi nulla ſit res ſubiecta ſcientiæ, non eſt ſcientia, quoniam nullius erit rei ſciẽtia. At uerò ſublata ſciẽtia, nihil prohibet rem eſſe eam quæ ſub ſciẽtiam cadat. Vt orbis quadratum, ſi ſcientia compræhẽdi poſſit, necdum eius ſcientia eſt, cum interim

terim cadere poſſit ſub ſciētiam. Iam uerò ſublato animante, nullus locus ſcientiæ relinquitur, cum interim res multæ compræhendi poſſint ſciētia. Similis etiam ratio eorum eſt, quæ in ſenſibus cernimus. Res enim ſubiecta ſenſui, ſenſu antiquior eſt. Sublata enim re, quæ cadit ſub ſenſum, ſenſus tollatur neceſſe eſt: ſenſu uerò ſublato, non tollitur quod ſenſu percipi poteſt. Nam ſenſus & in corpore ſunt, & corpus ambiunt. Atqui ſublata re quæ ſenſus mouet, etiā corpus, quoniā in ijs quæ ſenſus mouētia ſunt habetur, tollitur. Et ſi nullum ſit corpus, nullus futurus eſt ſenſus. Re igitur, quæ ſubiecta eſt ſenſui, ſublata, ſenſus unà tollitur: ſenſus autem ſi ſubtrahatur, ſenſus mouentia quæ ſunt, minimè tolluntur. Sublato enim animali, ſenſus quidē tollitur, corpus autem quod cadat ſub ſenſum, remanet: ut calida, dulcia, amara, cæteráque omnia quæ ſenſum mouēt. Poſtremo ſenſus unà cum eo quod uim habet ſentiēdi exiſtit: quandoquidem unà cum animali ſenſus oritur. Res autem ſubiecta ſenſibus, animali & ſenſu antiquior eſt. Nam & ignis & aqua & cætera eius generis ex quibus conſtant animantes, animalibus & ſenſibus omnibus antecedunt. Senſu igitur id quod ſenſus mouet, eſt antiquius. Sed hoc loco quæſtio quædam exiſtit, nulláne eſſentia, id quod uidetur, in ijs ſit quæ cum aliquo conferuntur, an id fieri poſſit in nonnullis ſecundis ſubſtātijs. Nam id quidem uerum eſt de primis ſubſtantijs, quippe cum nec tota nec partes primarum naturarū ad aliqua referantur. Neq; enim aliquis homo cuiuſpiam homo dicitur, neque hic uel ille bos alicuius certus bos. Similis eſt ratio partium. Manus enim aliqua, non appellatur alicuius certa manus, ſed alicuius manus: & caput quoddam non cuiuſpiam quoddam caput, ſed alicuius caput uocatur. Quod idem in ſecundis eſſentijs contingit: ut homo cuiuſpiam homo non dicitur: nec bos, bos alicuius, nec lignum, alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſio.

Atque



Atque id quidem perſpicuum eſt, hæc talia omnia in ijs non eſſe quæ cum aliquo conferuntur. De quibuſdam autem ſecundis eſſentijs quæſtio eſt: ueluti caput, alicuius caput: & manus, cuiuſpiam manus dicitur: itémque cætera generis eiuſdem. Videntur igitur hæc in ijs eſſe quæ cum aliquo cōferuntur. Ac ſi ſatis explicata perfectéque tradita eorum eſt definitio quæ cum aliquo cōferuntur, profectò aut magni negotij eſt, ſubſtantiam nullam in hoc genere eſſe docere, aut certè id fieri non poteſt. Sin ſecus, ſuntq; ea quæ cum aliquo cōferuntur, quorum uis omnis etiam natura in eo poſita eſt, ut ad aliquid affecta ſint, certè aliquid quod cōtra hæc ualeat, afferatur. Et quāquam prior definitio in omnia ea ualeat quæ cum aliquo cōferuntur, tamen non idem eſt quicquid hæc ipſa ſunt, aliorum dici, quod in ijs eſſe quæ cum aliquo conferuntur. Ex quo perſpicuum eſt, eum qui certò ſciat aliquid eorum quæ in hoc genere ſunt, etiam illud cum quo confertur, probè intellecturum. Quod etiam hinc intelligi poteſt. Nam ſi quis quippiam in ijs eſſe quæ cum aliquo conferuntur, ſciat (eſt autem idem uis & natura eorum quæ ſunt in hoc genere, quid ad aliquid quoquo modo affectum eſſe) illud etiam ſciat neceſſe eſt, quam ad rem id ipſum quoquo pacto ſit affectum. Nam ſi quam ad rem illud affectum ſit quoquo modo, prorſus ignorat: ne illud quidem intelliget, an ad aliquid affectum ſit quoquo modo. Atque id in rebus ſingulis perſpici poteſt. Vt ſi quis hoc uel illud certò ſciat duplum eſſe, is continuo cuius id ſit duplum probè nouerit. Si enim nullius eorum quæ certa ſunt & definita, duplum ipſum nouerit, ne illud quidem an ſit duplum prorſus intelliget. Itémque ſi certò ſciat quiſpiam hoc uel illud eſſe melius, idem quo illud ſit melius ſtatim probè intelligat neceſſe eſt. Illud autem haud improbè noſcet, id eſſe deteriore præſtantius. Opinio enim hæc eſt, non ſcientia. Non enim iam certò ſciet, deterio

deteriore melius eſſe, quoniam ſi res ita ferat, nihil eo ſit deterius. Quapropter illud quidem perſpicuum eſt, ſi quis probè norit aliquid eorum quæ cum aliquo conferantur, eum neceſſe eſſe illud etiam probè noſſe, cum quo conferatur. At uerò caput, manum, & cætera eiuſdem generis, quæ ſunt in eſſentijs, ea quidem quicquid ſunt quiſpiam certò ſciat neceſſe eſt: id uerò cum quo conferantur, non neceſſe eſt. Cuius enim hoc caput ſit, cuiúſque hæc manus, cognito capite, cognitáque manu, certò ſciri non poteſt. Non ſunt igitur hæc in ijs quæ cum aliquo conferuntur. Quòd ſi hæc non ſunt in ijs quæ cum aliquo conferuntur, certè uerè dicitur, ſubſtantiam nullam in numerum eorum uenire quæ cum aliquo conferantur. Quanquam autem difficile eſt, aliquem qui in his non ſit multum diúque uerſatus, de his talibus certum aliquid affirmare, tamen ſingillatim de eis quæſtionem ponere, magnæ utilitatis eſt.

## De qualitate.

QValitatem autem uoco, ex qua quales aliqui nominantur. Qualitatis autem genera ſunt plura. Vnum, habitus & affectio. Sed habitus hoc differt ab affectione, quòd habitus longinquior eſt & permanentior, quales ſunt ſcientiæ, atque uirtutes. Scientia enim in ijs eſt quæ permanent, diuturnáque ſunt, etiam ſi ſcientia aliquis ſit mediocriter inſtructus, niſi ui morbi aut alicuius eiuſdem generis permagna inciderit mutatio. Eadem eſt ratio uirtutis. ut iuſtitia, ut temperantia, & cætera eiuſdem generis, non facile euelli mutarique poſſunt. At uerò affectiones facile commutari, celeriterque euelli poſſunt & diſtrahi: ut calor, ut frigus, ut morbus, ut bona ualetudo, omniaque quæ ſunt generis eiuſdem. Nam & his homo quodammodo afficitur, & celeriter ex calore in frigus commutatur, & ex bona ualetudine in morbum. Quod idem in cæteris ta=

libus



libus contingit, niſi aliqua eorum longinquitate temporis in naturæ habitum ſic transferantur, ut uel omnino tolli non poſſint, aut ægrè eijci: quales animi commutationes habitus appellari licet. Illud autem perſpicuum eſt ex his in habitibus habenda eſſe, ea quæ diuturniora ſunt, quæq; permanentiora. Nam qui ſcientiæ aliquam particulam tenent, non firma memoria, ſed exili, in ijs habitum eſſe non ſolemus dicere, quanquam quodammodo affecti ſunt ſcientia, aut in bonam, aut in malam partem. Hoc igitur inter habitum & affectionem intereſt, quòd hæc facilè deſiſtere poteſt, ille diuturnior eſt, difficulterque diuellitur. Habitus uerò etiam affectiones ſunt, affectiones autem non neceſſe eſt uiciſſim eſſe habitus. Nam & ij in quibus habitus inſunt, ijs etiam afficiuntur: & qui affecti ſunt, ij non continuo habitibus ſunt præditi. Alterum genus qualitatis eſt, ex quo aliquos ad cæſtibus contundendum, & ad curſum ualere, alios ad bonam ualetudinem, & ad morbos procliues eſſe dicimus, & omnino ea omnia quæ à ui naturali, aut imbecillitate appellantur. Non enim ex eo hi dicuntur, quòd affecti ſint quodam certo genere, ſed quia uim quandam aut imbecillitatem eis natura tribuit, qua aptos animos habent ad facile aliquid faciendum, nihilue patiendum. ut pugiles & curſores dicuntur, non ex eo quòd affecti ſunt quodammodo, ſed quòd natura ualent, aut non ualent ad aliquid facile obeundum. Valentes etiam appellantur, quòd uim habeant naturalem ad facilè reſiſtendum ijs, quæ extrinſecus occurrunt. Imbecilli autem, quòd natura nihil ualent ad facile obſiſtendum impulſionibus quæ extrà incidunt. Similis eſt ratio durorum & mollium. Durum enim dicitur ex eo, quòd in eo uis inſit quædam innata, impediens quo minus facile ſecari queat. Molle autem, quòd in eo uis ea non inſit. Tertium qualitatis genus conficiunt patibiles qualitates ac perturbationes. in quo genere ſunt,

dulced

dulcedo, amaror, acrimonia, quæq; ſunt eiuſdem generis: itemq; calor, frigus, candor, atror. Has autem patibiles eſſe qualitates hinc perſpici poteſt, quod ea in quibus inſunt, qualia ex eis nominantur. Vt mel, quia dulcedine perfuſum eſt, dulce appellatur: & candidum corpus, quod candore præſtet. Quod idem in cæteris contingit. Sed patibiles qualitates uocantur, non quod ea quæ eas receperūt, affecta ſint aliqua ex parte: neque enim mel ex eo dulce dicitur, quod affectum ſit quippiam, nec quicquam tale. Itémque calor & frigus qualitates uocantur patibiles, non ob eam cauſam quod ea in quibus inſunt, paſſa ſint aliquid. Sed patibiles qualitates ex eo dicuntur, quod in ſenſibus omnes hæ qualitates, quas modo nominaui, motum quendam & affectionem efficiant. Nam & dulcedo quendam motum affert guſtatui, & calor tactui, & cæteræ eiuſdem generis. At uerò candor & nigror aliique colores non eodem modo, quo ea quæ diximus, qualitates patibiles dicuntur: ſed quod à perturbationibus motionibúſq; natæ ſint. Nam commutationes multas colorũ ex perturbationibus oriri, hinc intelligi poteſt, quod is qui erubuit, ruber exiſtit: & qui metuit, pallidus, itemq; in cæteris eiuſdem generis. Quocirca ſi cui natura aliquam talem motionẽ tribuerit, ucriſimile eſt eum ſimili fore colore. Quæ enim, cùm pudore aliquis affectus eſt in corpore naſcitur affectio, eadem à naturæ inſtitutione exiſtat neceſſe eſt, ut naturæ etiam ſimilis color oriatur. At quæ qualitates ortum habent & originem ab affectionibus, quæ uix tolli poſſunt, ac permanent, patibiles nominantur. Siue enim à prima inſtitutione naturæ pallor aut atror extitit, qualitas dicitur (quales enim ex eis appellamur) ſiue lõgo morbo aut ardore eædem comparatæ ſunt qualitates, nec facile corrigi poſſunt, aut per omne tempus ætatis ualent, qualitates etiam hæ patibiles nominantur, ſiquidem ex ijs quales appellamur.

Quæ



Quæ autem ab ijs quæ facilè euelli poſſunt oriuntur, motiones dicuntur, qualitates non item, quandoquidem non ex ijs homines quales nominantur. Neque enim qui erubuit, ob idipſum quòd pudore affectus eſt, ruber uocatur: nec qui metu expalluit pallidus: ſed magis quia ei aliquid accidit. Ita perturbationes ſunt hæc quidem omnia, qualitates non ſunt. Similiter in animo & patibiles qualitates dicuntur & perturbationes. Quæ enim ſimulac orti ſumus, ex motionibus quæ difficulter euelli poſſunt, oriuntur: eæ etiam qualitates nominantur. ut mẽtis è ſua ſede amotio, ut ira, & cætera eiuſdem generis. Nam quales ex ijs nominamur, ut amentes, ut iracundi. Itémque omnes mentis ex ſuo ſtatu depulſiones, quæ non natura, ſed temerè & fortuito hominibus eueniunt, aut quæ uix euelli poſſunt, & ſiqua ijs ſimilia: quippe cum ex ijs quales nominemur. At quæ conſtant ex ijs quæ facile ac cito diſſipari poſſunt, uocantur perturbationes. ut ſi quis ira commotus, fiat iracundior. Neque enim iracundus appellatur ex eo quòd in hac perturbatione iracundior exiſtat, ſed ex eo potius quòd aliquid acceperit, & quaſi paſſus ſit. perturbationes igitur hæ, non qualitates uocãtur. Quartum qualitatis genus eſt figura, & ea quæ in quoque eſt forma, itemq; rectitudo, & obliquitas, & ſi quid aliud his ſimile eſt. Nam ex his aliquid quale dicitur. Nam & triangulum, & quadratum, & rectum, & obliquum eſſe, quale quiddam nominat. Atq; etiam ex forma quale aliquid nominatur. Rara autem & craſſa, aſpera & læuia quale quiddam illa quidem uidentur ſignificare, ſed aliena ſunt ab ea quæ qualitatis propria eſt affectione. Situ enim partiũ potius uerba talia declarant. Craſſum enim quid dicitur, quòd eius partes inter ſe propè cohæreant. Rarum autem id, cuius partes inter ſe diſiunctæ ſunt. Læuia, quòd partes quodam modo in rectum ſitæ ſint. Aſpera, quòd partes aliæ emineant, aliæ ſuperentur.

d

Alia etiam ſunt genera qualitatis, ſed hæc ſunt ferè quæ maxime in omnium ore uerſantur. Ac qualitates quidem quid ſint qualéſq;, diximus. Qualia autem ſunt ea quorum nomina ex ijs aut quoquo alio modo deducuntur. pleraq; enim ac fere omnia ab ijs nomina duxerunt. ut à candore candidus, à grammatica grammaticus, à iuſtitia iuſtus, itemq; cætera eiuſdem generis. Sunt autem quidam, qui quoniam nomina nulla impoſita ſunt qualitati, nomina ſua ab eis non trahant. uelut curſor & pugil is qui ex ui innata nominatur, nomen non traxit ab ulla qualitate. Neque enim impoſita ſunt rebus ijs nomina, ex quibus quales hi appellantur, ut in ſcientijs à quibus hi pugiles aut palæſtrici nominantur propter affectionem. Artes enim pugilum, & palæſtra dicuntur, à quibus quales ij nominis adiunctione & coniugatione appellantur. Interdum impoſitum nomen eſt qualitati, cum interim id quod quale ex ea dicitur nomen non mutuatur ab ea. ut à uirtute bonus. Bonus enim dicitur aliquis, quòd uirtutem habeat: non tamen à uirtute nomen mutuatur. Idq; in paucis contingit. Sunt igitur qualia ea, quæ nomina ſua ab ijs qualitatibus de quibus diſſerui, aut quoquo alio modo deducuntur. Eſt autem qualitatibus inter ipſas repugnantia. ut iuſtitiæ iniuſtitia contraria eſt, & candor atrori, itemq; cætera eiuſdem generis. Eadem eſt eorum ratio, quæ ex ijs qualia nominantur. uelut iuſta iniuſtis contraria ſunt, & nigra candidis. Nec hoc in omnibus contingit. Rubris enim aut fuſcis, coloribúſue talibus, nihil contrarium eſt, cum ſint qualia. Illud etiam intelligendum eſt, ſi quod contrarium in qualibus eſt, alterū etiam in ijs fore, quod ſingulatim cæteras categorias intuenti perſpicere licet. uelut, Si iniuſtitiæ contraria ſit iuſtitia, iuſtitia autem ſit qualitas, qualitas iniuſtitia ſit neceſſe eſt. Nulla enim categoria, nec quantitas, nec quæ cum alio comparantur, neq; locus, neq; prorſus



ſus aliquid eiuſmodi, præter qualitatem iniuſtitiæ coniungitur & accommodatur. Similis eſt ratio cæterorum omnium quæ in qualitate contraria ſunt. Recipiunt etiam intentionem & remiſsionem qualia. Nam & album aliud alio albius minusq; album dicitur, & aliud alio magis minúſue iuſtum. Atq; etiam incrementum in qualitate uerſatur. quod enim album eſt, fieri poteſt albius. Sed in pleriſq; id fit, non in qualitatibus omnibus. Nam iuſtitiáne alia, alia magis minúſue iuſtitia dicatur, quæſtio eſt. Quod idem in cæteris affectionibus contingit. Nonnullis enim hæc in dubium ueniunt. Iuſtitiam enim iuſtitia minorem maiorémue, aut ualetudine ualetudinem dici non putant oportere. Alium quidem alio & magis ualere dicunt, & iuſtiorem, quod idem fit in grammatica cæteriſq; affectionibus omnibus. Sed ea quæ ex ipſis nominātur, ſine ulla controuerſia magis & minus ſibi adiungunt. Nam & alio alius peritior grammaticus eſt, & ualentior, & iuſtior, itemq; in cæteris. At uerò triangulus & quadratum illud magis & minus non probant, neq; ulla alia figura. Ea enim in quæ trianguli orbiſq; definitio ualet, omnia æquè trianguli orbéſq; ſunt. Eorum autem quæ trianguli orbiſq; minus recipiunt definitionem, nihil aliud alio magis dicetur. Nam nihilo magis quadratum quàm altera parte longius, eſt circus: quippe cum in neutrū ualeat circi definitio. Omnino autem, niſi utraq; rationem eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterum altero magis minúſue dicatur. Non igitur in omnibus qualibus illud magis minúſue dicitur. Ac eorum quidem quæ adhuc commemorata ſunt, nihil eſt qualitatis proprium. Similia autem aut diſsimilia aliqua in ſolis qualitatibus reperiuntur, præſertim cum nihil ſimile aut diſſimile dicatur alia re ulla, niſi ex qua illud quale appelletur. Eſt igitur qualitatis propriū, ab ea aliquid ſimile aut diſſimile nominari. Sed nihil eſt quòd uerear, ne quis nos dicat,

cum de qualitate diſputaremus, multa enumeraſſe eorum quæ in ijs eſſe dixerim quæ cũ aliquo cõferantur. Etſi enim habitus & affectiones ad ea retulimus, quæ cum aliquo conferuntur, in iiſque ſunt ferè qualitatis genera omnia, tamen res ſingulæ nullæ in ijs reperiuntur. Nam & ſcientia quæ genus eſt, quicquid ipſa eſt, alterius eſſe dicitur (alicuius enim ſcientia uocatur) & res ſingulæ nullæ quicquid ipſæ ſunt, ad alios referunt. Vt grammatica non dicitur alicuius grammatica, nec muſica alicuius muſica: niſi forte hæc ipſa propter genus in ijs ſunt quæ cum aliquo conferantur. Velut grammatica alicuius ſcientia dicitur, non alicuius grammatica: & muſica alicuius ſcientia, non alicuius muſica. Non ſunt igitur res ſingulæ in ijs quæ cum aliquo conferuntur. Quales autem ex ſingulis ſcientijs nominamur, quoniam eæ inſunt in nobis, & artifices ex eo dicuntur, quòd nonnulli ſingulis ſcientijs præditi ſint. Quare ſingulæ ſcientiæ etiam qualitates erunt, ex quibus quales appellamur, nec in ijs ſunt quæ cum aliquo conferuntur. Poſtremo ſi idem ſit & in qualitatibus & in ijs quæ cum aliquo conferuntur, non alienum eſt id ipſum in utroq; genere collocare.

## Agere & pati.

Atque etiam agere patiq; & repugnantiam recipiunt, & magis ac minus. Calfacere enim & refrigerare ſunt inter ſe contraria: & caleſcere & frigere, & gaudere ac dolere. Reperitur igitur in his repugnantia, item magis & minus. Nam & calefacere magis ac minus licet, & minus caleſcere & magis, & maiorem minoremq; percipere dolorem: Illa igitur agere & pati cum magis minùſque copulantur. Atque de his quidem hactenus. In ijs quæ cum aliquo conferuntur, ſitum eſſe, à ſitu nomen habere diximus. De cæteris categorijs quales ſunt, quando, ubi, & habere, quoniam apertæ ſunt non obſcuræ, nihil aliud trado niſi id quod initio

dixi



dixi: Habere idem declarare, quod ueſtitũ eſſe & armatum eſſe, & Vbi, ut in Lyceo, in foro, cæteraq; omnia quæ de ijs dicta ſunt. Ac de generibus quidem quæ nobis propoſuimus, ſatis multa dicta ſunt.

## De contrariis.

Nunc de contrarijs, quot modis opponi ſoleant, diſſeramus. Contrariorum autem genera ſunt quatuor. Vnum eorum quæ cum aliquo conferuntur: alterum eorum quæ aduerſa dicuntur: tertium eorum quæ priuantia: quartũ eorum quorum alterum ait quid, alterum negat. Hæc autem omnia ut ſimpliciter rem proponam, contraria ſunt, in ijs quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum, ſimplum: in ijs quæ aduerſa dixi, ut bonum malũ: priuantia, ut cæcitas & aſpectus: aientia & negantia, ut ſedet, non ſedet. Ac ea quidem contraria quæ cum aliquo conferuntur, quicquid ipſa ſunt, ad contraria referuntur, aut quoquo modo aliter ad ea affecta ſunt. Vt duplũ ſimpli, quicquid ipſum eſt, alterius eſſe dicitur. Eſt enim alicuius duplum. Scientia etiam & res quæ ſub ſcientiam cadit. ut ea quæ cum aliquo conferuntur, inter ſe contrario nomine opponuntur, quippe cum & ſciẽtia tota in re quæ ei eſt ſubiecta, uerſetur: & res quæ ſubiecta eſt ſcientiæ, ad ſcientiam quæ contraria ei eſt, tota referatur. Res enim quæ ſcientia compræhenditur, alicui ſcientiæ ſubiecta eſt. Quæ igitur, ut ea quæ cum aliquo conferuntur, inter ſe contrario nomine opponuntur, quicquid ipſa ſunt, contrarijs tribuunt, aut quoquo pacto inter ſe affecta ſunt. At uero quæ ut aduerſa, contraria ſunt, neutiquam inter ſe ita affecta ſunt, ut uim naturamq; ſuam inter ſe referant, ſed tamen inter ſe ſunt aduerſa. Non enim bonum, mali bonum appellatur, ſed aduerſum. Differunt igitur hæc inter ſe contraria. Quæ autem aduerſa ſunt eiuſmodi, ut neceſſe ſit alterum ineſſe in ijs, in quibus natura inſunt, aut de quibus dicuntur, inter ea nulla media in-

teriecta ſunt. Quorum uerò non eſt neceſſe ineſſe alterum, in medio eorum aliquid eſt collocatũ. Vt morbus & bona ualetudo, quoniam in corpore naſci ſolent, certe alterum neceſſe eſt, uel morbum uel bonam ualetudinẽ animantis corpori cõuenire. Impar etiam & par in numero dicitur, alterutrũq; neceſſe eſt in numero reperiri: nec inter ægrotationem & ualetudinem, par & impar quicquam medium interiectum eſt. Quorum non eſt neceſſe alterutrum ineſſe in medio eorũ aliquid collocatum eſt. Veluti candor & atror in corpore natura naſcuntur, & tamen non neceſſario alterutrũ ineſt in corpore animalis, cum præſertim non omne corpus album ſit aut nigrum. Item malum & bonum & in homine, & in alijs pleriſq; illa quidem dicuntur, ſed tamen alterutrum non eſt neceſſe in ijs inueniri de quibus dicuntur. Non enim uel mala ſunt, uel proba omnia. Itaq; his interiectum eſt aliquid, ut inter albũ colorem & nigrum, fuſcus & pallidus, & cæteri colores: & inter malum & bonum, quod neq; malum eſt, neq; bonum. Ac nonnullis quidem medijs rebus impoſita ſunt nomina, ut fuſcus & pallidus inter album & nigrũ medij ſunt colores, & cæteri eiuſdem generis. In alijs non eſt facile id quod mediũ eſt nomine ullo appellare & exprimere, definitur autẽ utriuſq; extremi negatione, uelut quod nec bonum eſt nec malum, quod nec iuſtum eſt nec iniuſtum. Priuãtia autem in eodem aliquo reperiuntur, ut in oculo cæcitas & aſpectus. Atq; ut rem in pauca conferam, in quo natura debet ac ſolet eſſe adeptio, in eodem utrumq; dicitur exiſtere. Priuari uerò tum denique dicitur aliquid eorum quæ apta ſunt ad percipiendam rem, cum in quo debet ineſſe, aut quando debet haberi, nequaquam ineſt. Edentulum enim appellamus quempiã, non quòd dentibus careat, & cæcum, non quòd careat oculis, ſed quòd non habeant ea tum cùm natura apta ſunt. Sunt enim quædam quæ à primo ortu oculis careant & dentibus, quæ

tamen



tamen nec cæca nec edentula dicuntur. Priuari autem re, & habere rem, non idem eſt quod priuatio & adeptio, quoniam rei perceptio eſt aſpectus, & priuatio cæcitas: nec habere oculos eſt ipſe aſpectus, nec cæcum eſſe ipſa cæcitas. Nam & priuatio quædam cæcitas eſt, & cæcum eſſe, eſt priuatũ eſſe, non priuatio. Deinde ſi idem eſſet cæcitas, quod cæcum eſſe, profectò de eodẽ utrunq; diceretur. nũc cæcus homo dicitur, cæcitas homo nõ dicitur. Videnturq; inter ſe opponi, priuari re, & habere rem, more eorum quæ priuantia dicimus. Eadem eſt enim ratio repugnãtiæ. Vt enim cæcitas aſpectui repugnat, ſic cæcum eſſe etiam & aſpectum habere inter ſe repugnant. Ne id quidem quod ſub affirmationem & negationem cadit, idẽ quod affirmatio & negatio declarat. Nam & affirmans oratio, eſt affirmatio, negansq; oratio negatio: & quod ſub affirmationem & negationem cadit, res eſt, nõ oratio. Hæc autem inter ſe opponi ut aſſertio & negatio dicuntur, quoniam in ijs eadem ratio repugnantiæ ualet. Nam ut aſſertio & negatio inter ſe contrariæ ſunt, ueluti ſedet & non ſedet, ſic res quæ utroq; eorum continentur, ut ſedere aliquem, & non ſedere, contrario opponuntur nomine. Priuãtia uerò non opponi inter ſe more eorum quæ cum aliquo cõferuntur, hinc intelligi poteſt, quòd uis eorum non ex mutua coniunctione intelligitur & pendet. Non enim aſpectus, cæcitatis aſpectus dicitur, neq; ullo alio modo ad eam affectus eſt. Similiter ne cæcitas quidem aſpectus cæcitas appellatur. uerum oculorũ priuatio cæcitas dicitur, oculorum cæcitas nõ dicitur. Præterea quæ cum aliquo conferuntur reciprocãtur omnia. Itaq; ſi in ijs cæcitas eſſet quæ cum aliquo conferũtur, certè illud etiã reciprocaretur quo cũ iungeretur. At ei uiciſſim nõ reſpõdet. Neq; enim aſpectus cæcitatis aſpectus nominatur. Atq; etiam ne more quidem eorũ contrariorum quæ aduerſa dixi, inter ſe cõtraria eſſe priuãtia, hinc perſpicitur.

Nam contrariorum eorum,inter quæ non eſt medium,alterutrum neceſſe eſt ſemper ineſſe ijs,quibus apta ſunt natura, aut de quibus dicuntur.Inter ea enim nihil medium interiectum eſſe poſuimus, quorum alterutrum in eo reperiretur neceſſario quod uim ad id accipiendum haberet.ueluti inter morbum & bonam ualetudinem, inter parem numerum & imparem.Inter quæ autem medium eſt,nunquam neceſſe eſt alterutrum in ulla re inueniri. Neq; enim neceſſario album eſt aut nigrum, neq; calidum aut frigidum id omne,quod uim habet ad hæc recipienda, quippe cum nihil prohibeat aliquid eorum,quæ inter hæc ipſa media ſunt interiecta, conuenire.Iam uerò inter ea etiam medium aliquid eſt, quorum alterutrum in eo non reperitur neceſſario, quod id recipere poteſt,niſi quibus natura alterum tributum ſit.ut ignis natura calidus eſt, & nix alba.In his enim neceſſario alterum reperitur, non alterutrum,utrumuis occurrat. Neque enim fieri poteſt ut ignis frigidus ſit,aut nix atra.Ergo non neceſſe eſt alterum eorum in omni re ineſſe quæ uim habeat ad recipiẽdum, ſed in ea ſola cui alterum innatum eſt & inſitum: atq; ei alterum definite conuenit, non alterutrum. At uerò priuantium neutrum uerè dicitur,præſertim cum nõ ſemper neceſſe ſit in eo quod recipere illa poteſt ineſſe alterum. Cui enim nondum natura aptus eſt aſpectus,is neq; cæcus eſſe,neque deſpicere dicitur.Ita nũquam hæc in ijs eſſe poſſunt aduerſis & contrarijs, inter quæ non eſt medium. Nec in ijs quidem, quibus medium interiectum eſt.Neceſſe eſt enim in omni re quæ uim habeat ad ea recipienda, ineſſe alterum. quoniam quod tempus à natura conſtitutum eſt ad deſpiciendum,in eo animans uel cæcus eſt uel deſpicit,atq; eorum non præfinitè alterum dicitur, ſed alterutrum. At uerò eorum contrariorum inter quæ medium eſt, nunquam alterum in omnibus quæ recipere poſſunt,ſed quibuſdam ſolum, idq; nõ

præfi



præfinitè alterum,uerùm alterutrum ineſt neceſſario.Quare perſpicuum eſt, neutro modo priuantia inter ſe contraria eſſe, quo contraria ſunt inter ſe ea quæ aduerſa nominauimus. Poſtremo aduerſorum ſi ſit res apta ad accipiendum, fieri poteſt inter ipſa commutatio, niſi ſi cui alterum natura ſit tributum, ut igni ut ſit calidus. Nam & ualentes,in morbum incidere poſſunt,& alba nigra fieri,& frigere quæ caleſcunt. Ex bono etiam improbus, & uiciſsim ex malo probus effici poteſt.Prauus enim,ſi ad meliorem uſum rationémque ex mala deducatur, iam habeat ad uirtutem progreſsionis aliquantum. Cum autem ſemel,uel parum in uirtute proceſſerit, profectò aut perfectam ſapientiam mutatione morũ conſequetur, aut certè magnam in uirtute faciet progreſsionem.Semper enim aptiores animos habet ad uirtutẽ, quamuis parum initio in ea proceſſerit,ut ueriſimile ſit eum maiorem progreſſum eſſe facturum.Quod ſi ſit ſempiternum,tandem certè aliquando, niſi tempus impediat, perfectam ſapientiam conſequetur.At priuantibus nulla inter ſe fieri mutatio poteſt. Etſi enim ex re in priuationem ſit progreſſus commutatio, tamen regreſſus ex priuatione in rem quæ amiſſa eſt, fieri nullo modo poteſt.Neq; enim qui oculis ſemel captus eſt, unquã poſtea iterũ deſpexit, nec caluus comã recepit,nec edẽtulus dentes. Aientia autẽ & negãtia nõ eſſe inter ſe contraria ullo generũ quæ cõmemorauimus, ex hoc intelligi poteſt, quòd in his ſolis neceſſe eſt uerum unũ eſſe, falſum alterũ.Nam nec aduerſorũ neceſſe eſt ſemper alterũ uerum eſſe, alterum falſum,nec eorũ quæ cum aliquo cõferuntur,nec priuantium. Vt bona ualetudo & ægrotatio aduerſa ſunt: neutrumq; nec uerum eſt,neq; falſum. Itémq; duplũ & ſimplum quæ cum aliquo conferuntur, contraria ſunt inter ſeſe,nec alterum uerum eſt aut falſum. Ne priuantia quidem,ut aſpectus & cæcitas. Omninóque nihil quod in coniunctione non

dicitur, uerum eſſe aut falſum ullo modo poteſt. At quæ enumerata ſunt, ſimplicia, non coniuncta ſunt omnia. In ijs etiam aduerſis quæ coniuncta ſunt, id non uidetur contingere. Nam cum ualere Socratem, & Socratem ægrotare aduerſa ſint, tamē nō neceſſe eſt ſemper horū alterum uerū eſſe, falſum alterum. Etenim ſi in uita maneat Socrates, alterum uerum, alterum erit falſum: Sin ex uita exceſſerit, utrūq; falſum. Si enim Socrates nullus ſit omnino, nec ægrotare eum uerum eſt, nec ualere. In priuātibus ſi omnino nullus ſit, neutrum uerum eſt: ſin in uita ſit, non ſemper alterum uerum, alterum falſum eſt. Cum enim deſpicere Socratem, & cæcum eſſe Socratem priuantia ſint, tamen non neceſſe eſt alterum uerum eſſe uel falſum. Nam quo tempore nondum ei natura aptus eſt aſpectus, ambo falſa ſunt: quo autem tempore in uita non manet Socrates, utrūq; etiam falſum eſt, & deſpicere eum, & cæcum eſſe. At aientium & negantium ſiue Socrates in uita ſit, ſiue nullus ſit omnino, ſemper alterum falſum, alterum uerum eſt futurum. Nam ægrotare Socratem, & nō ægrotare, ſi is in uita maneat, perſpicuum eſt alterum uerum eſſe, alterum falſum. Itémque ſi diſceſſerit è uita. Nam ægrum eſſe eum, cum nullus ſit omnino, falſum eſt: non ægrum eſſe, uerum. Quare aientium & negātium proprium illud eſt, eorum alterum uerum eſſe ſemper, falſumq; alterum. Bono autem malum aduerſum eſt neceſſario, idque ex inductione rerum ſingularum intelligi poteſt. ut bonæ ualetudini morbus repugnat, iuſtitiæ iniuſtitia, fortitudini ignauia, & cætera eiuſdem generis. Malo uerò aliàs bonū, aliàs malū aduerſum eſt. Nam parum & nimium quæ ſunt in malis, inter ſe ſunt aduerſa: ſimiliterq; mediocritas, quæ utrique aduerſo nomine opponitur, in bonis eſt. Atque id quidem in paucis perſpici licet, in compluribus ſemper bona malis ſunt aduerſa. Deinde aduerſorum, ſi alterum ſit in rerum natura, non eſt neceſſe eſſe alterum: quandoqui



doquidem ſi omnes ualentes ſint, bona ualetudo erit, morbus non erit. Itémque ſi albi omnes ſint, candor erit, atror non item. Iam ſi Socratem ualere, & Socratem ægrum eſſe aduerſa ſunt: non poſſunt autem ſimul ambo eidem ineſſe, certe ſi alterum ſit, ſtare alterum nullo modo poteſt. Nam ſi Socratem ualere uerum ſit, non erit uerum ægrotare Socratem. Atque etiam illud perſpicuum eſt, in ijs quæ ſunt eiuſdem ſpeciei & generis, exiſtere ſolere contraria ea quæ aduerſa diximus. Vt bona ualetudo, & morbus in corpore animātium, candor & atror omnino in corpore, iuſtitia & iniuſtitia in animo hominis ſitæ ſunt. Poſtremò omnia contraria quæ diximus aduerſa, uel in eodem genere, uel in contrarijs generibus ſita ſunt, uel ipſa genera ſunt neceſſario. Nam & candor ac atror in eodem genere, quia eorum genus color eſt, ſita ſunt: & iuſtitia & iniuſtitia in generibus contrarijs, illius enim uirtus genus eſt, huius uitium: & bonum & malū non ſunt ullius generis, ſed ipſa ſunt genera aliquorum.

## De modis prioris.

PRius aliud alio quadrifariam dicitur. Primum genus eſt & aptiſſimum, tempore, ex quo aliud alio antiquius appellatur. Antiquius enim quid dicitur ex eo, quòd ſtet diutius. Alterum quod non uiciſſim conſequens eſt, cum rei ſtatus exquiritur, quo in genere unum duobus prius eſt. Nam ſi duo ſint, continuo ſequitur unum eſſe. Vnum autem ſi ſit, non neceſſe eſt duo eſſe. Ita non uiciſſim retro commeat, conſequens eſſe ſi unum ſit, ut duo ſint. Prius igitur huius generis dicitur, à quo non commeat retro uiciſſim ſtatus conſequentia. Tertio, quodam ordine prius appellatur, id quod in artibus & orationibus uidere licet. Nam in artibus ijs quæ demonſtrationes adhibent, & conficiunt aliquid, prius ordine & poſterius continetur. initia enim & elementa priora ſunt ordine ijs quæ deſcribuntur, & in grammatica elemen

elementa priora ſunt ſyllabis. Eadem eſt ratio orationum. Principium prius eſt ordine narratione. Extra ea etiam quæ enumerata ſunt genera, quod melius eſt, & in maiore pretio, id prius naturæ ordine uidetur. Solent enim plerique eos qui apud ipſos ſunt in nomine & gloria, quóſque pluris faciunt, principes & antiquiores ſibi dicere: quod genus iam ferè alieniſsimum omnium habetur. Atque hi ſunt ferè prioris modi qui feruntur. Eſt etiam præterea aliud eius genus. Eorum enim quæ uiciſsim retro commeant in argumentatione de ſtatu rei tractanda, quod cauſa eſt quomodocunque, cur ſit alterum id rectè prius naturæ ordine dicitur. Eſſe autem eius generis quædam, hinc intelligi poteſt, quòd eſſe hominem & uera de eo oratio, ſic reciprocatur in argumẽtatione de rei ſtatu, ut ſi homo ſit, uera ſit oratio, eſſe hominem: & uiciſsim retro commeando. Vera autem oratio minime cauſa eſt, cur res ſit: réſque potius cauſa eſt quodammodo, cur uera ſit oratio. Nam quia res ſit, aut non ſit, idcirco uel uera uel falſa oratio dicitur. Quinque ergo modis alterum altero prius habetur.

## De modis ſimul.

Simul autem ſunt ea omnino & propriè, quorum ortus in eodem tempore eſt. Neutrum enim horum nec prius, nec poſterius eſſe poteſt. Hæc autẽ ſimul in tempore dicũtur.

Natura uero ſimul ſunt ea, quæ reciprocantur, illa quidem in argumentatione, quæ ex ſtatu rei ducitur, ſed neutiquam alterum cauſa eſt ortus alteri. quod in duplo & ſimplo cernere licet, quæ ſic reciprocantur, ut ſi duplum ſit, ſimplum ſit: & ſi ſimplum ſit, ſit duplum, & neutrum cauſam alteri ortus afferat. Atque etiam ea quæ ex eodem genere quaſi ex altera parte diuidendo reſpondent, ſimul natura eſſe dicuntur. Ea autem ex altera parte cum diuiduntur, inter ſe reſpondent, quæ ex eadem ſunt diuiſione. ut



pennigerum ex altera parte in diuiſione reſpondet terreno & aquatili. Atque horum nullum altero prius aut poſterius eſt, ſed ſimul natura ſunt. Hæc enim cum ad idem genus pertineant, inter ſe mutuo reſpondent in diuiſione: quandoquidem animal in pennigerum terrenum & aquatile diſtribuitur. Quæ eadem in ſpecies ſecari poſſunt, ut dicamus pennigerum aliud gradiens, aliud aquatile. Sunt igitur illa etiam ſimul à natura, quæ cum ſint ex eodem genere, eadem diuiſione continentur. Genera autem formis antiquiora ſunt ſemper. Neque enim uiciſsim retro cõmeant in tractanda ſtatus argumẽtatione. ut ſi ſit aquatile, ſit animãs: at ſi ſit animãs, non ſit neceſſario aquatile. Sunt igitur ſimul natura, & quæ reciprocãtur, cum neutrũ cauſa ſit ortus & ſtatus alteri: & quæ inter ſe ex eodem genere diuiduntur. Sed ea omnino ſimul ſunt, quorum ortus eodem eſt tempore.

## De motus generibus.

Motus autem ſex ſunt genera, ut ortus, ut interitus, ut acceſsio, deceſsio, commutatio, & loci commutatio. Ac cæteras quidem motiones inter ſe differre, hinc perſpici poteſt, quòd ortus non eſt interitus, nec incrementum imminutio, nec loci commutatio. Eadem eſt ratio cæterarum. In commutatione autem hoc dubium eſt, ſítne neceſſe id quod commutatur, ex aliqua ſuperiori motione mutari. Quod non ita eſt. Accidere enim poteſt, ut omnibus perturbationibus, aut certè permultis agitemur, cum interim nulla cæterarum motionum in huius ueniat ſocietatem. Neque enim aut creſcere, aut imminui neceſſe eſt id quod ex perturbatione mutatur. Similis eſt ratio cæterarum. Ita neceſſe eſt diuerſam eſſe à cæteris motionibus commutationem. Etenim ſi eadem eſſet, profectò quod commutatur omne uel augeri oporteret, uel diminui, uel aliquem alium motum conſequi. At non eſt neceſſe. Similitérque id quod creſcit, aut alio

alio impulſu agitatum eſt, commutaretur neceſſario. Atqui ſunt quædam quæ cum creſcant, eadem tamen nulla conſequitur commutatio. Velut quadratum circuniecto gnomone, creſcit illud quidem, ſed tamen nihil commutatur. Quod idem in cæteris fit eiuſdem generis. Quare differunt inter ſe motiones. Motui autem omnino quies contraria eſt, ſinguliſque ſingulæ. Nam & ortui contrarius eſt interitus, & acceſſioni acceſſio: & loci commutationi, in loco quies. Sed in loci mutatione maxima repugnantia dicitur, ut loci infimi mutationi, ſummi commutatio, & ſummi mutationi infimi loci mutatio maxime aduerſatur. At uerò reliquæ motioni non eſt facile explicare, quódnam ſit contrarium. Nec contrarium illius ullum eſt, niſi quis etiam in hac à qualitate uacuitatem & quietem mutationi in contrariam qualitatem contrario nomine opponat: ſicut in loci mutatione, quietem in loco, aut in contrarium locum mutationem. Eſt enim commutatio nihil aliud, niſi qualitatis mutatio. Ita contraria eſt qualitatis mutationi quies & uacuitas à qualitate, uel certè in contrariam qualitatem mutatio, ut album fieri & nigrum fieri, aduerſa ſunt: quippe cum commutatio ſequatur, quoties in contrarias qualitates fit mutatio.

De habendi generibus.

HAbendi etiam genera ſunt plurima. Aut enim habere ut habitum & affectionem dicitur, aut aliam aliquam qualitatem. Scientiam enim & uirtutes habere dicimur. Vel ut quantitatem, ut qui certa eſt magnitudine, dicitur magnitudinem habere trium quatuórue cubitorum. Vel ut ea quæ corpus ueſtiunt, qualis ueſtis eſt, & tunica. Vel in parte, ut in digito annulum. Vel tanquam partem, ut manum uel pedem. Et tanquam in uaſe, ut modius habet & continet triticum, uel uinum amphora. Nam & amphora uinum, & modius triticum continet. Hæc enim omnia quaſi uaſe con



continente dicuntur. Habere etiam aliquid ut poſſeſsionem dicimus, ueluti domum & agrum. Atque etiam uir mulierem habere, & uirum mulier dicitur. Quæ ſignificatio uerbi habendi una ex omnibus alieniſsima eſt. Neque enim aliud habere mulierem iudicamus, niſi una in domo habitare. Sunt alij quoque fortaſſe habendi modi, nos quidem omnes ferè expoſuimus, qui crebris uſurpantur ſermonibus.

# ARISTOTELIS STAGIRITAE DE INTERPRETATIONE liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

PRIMVM conſtituendum eſt quid ſit nomen, quid uerbum, tum quid negatio & affirmatio, poſtremo quid enuntiatio & oratio. Mentis quidem interpres eſt oratio, ſcripta orationis. Atque ut non iiſdem literis, ſic ne uocibus quidem omnes iiſdem utuntur. At uerò & ſenſa animi quorum primum uerba notæ ſunt, & res quarum ſenſus animi ſpeciem gerunt, idem apud omnes ualent. Sed de his in libris de Animo diximus: non enim ad inſtitutum ſermonem pertinent. Vt autem in animo interdum ueri & falſi notitia expers eſt, interdum neceſſe eſt alterutrum ineſſe: ſic in oratione. Verum enim & falſum in coniu

coniunctione & diſiunctione rerum omne conſiſtit. Quocirca perceptioni animi ei quæ à uero & falſo abeſt, nomina & uerba reſpondent: ut homo, ut id quod album eſt, cum nihil additur præterea. neque enim uerum quicquam falſúmue enuntiatur. Idq; hinc intelligi poteſt, quòd Tragelaphi uerbum aliquid illud quidem ſignificat, ſed nondum quicquam uerè aut falſo dicitur, niſi aut eſſe aut non eſſe omnino adiungatur, aut ad tempus accommodetur.

## De Nomine.

Nomen igitur uox eſt ex inſtituto ſignificans, omnis expers temporis, cuius pars nulla quicquam declarat ſeparatim. Nam in Reipublicæ uerbo, publica nihil per ſe ſignificat, ut in hac oratione, Reſpublica. Sed non eſt ſimplicium iunctorúmq; nominum eadem ratio, propterea quòd in illis pars nullo modo ſignificat, in his pars uult illa quidem ſe ſignificare, ſed tamen ſeparatim nihil declarat omnino: uelut in hoc uerbo pronomen, nomen nihil per ſe ſignificat. Ex inſtituto autem dixi, quòd nullum nomen natura conſtat, ſed cum quaſi nota quædam acceſſerit. Nam ſoni ij qui nullis literis exprimuntur, quales ſunt beluarum, aliquid illi quidem ſignificant, attamen nullus eorum ad nomen pertinet. Non homo etiam nominis uim non obtinet, nec ei nomen ullum impoſitum eſt, quo appelletur: quandoquidem nec oratio eſt, nec negatio. Appelletur ſanè nomen infinitum, quòd æquè in quauis re dicatur tam quæ eſt, quàm quæ nulla eſt. Hæc uerò, Ciceronis, & Ciceroni, & cætera eiuſdem generis, non nomina, ſed caſus nominis uocentur. Nam ſi cum cæteris iungantur, per ſe quidem oratio conſtat: at ſi cum uerbo eſt, erat, uel erit, nec uerum id neque falſum eſt. quod in nomine fit ſemper. uelut his orationibus, Philonis eſt, uel non eſt, nondum quicquam uerè falſóue dicitur.



## De Verbo.

Verbum autem id eſt, quod tẽpus adſignificat, cuius pars nulla ſignificat ſeparatim, ſemperq; ea declarat & indicat quæ de altero dicuntur. Tempus autem dico adſignificare, ut ualetudo nomen eſt, curari uerbum, quod inſtans & præſens ſignificat, & ſemper ea quæ de altero dicuntur indicat, qualia ea ſunt, quæ de ſubiecto dicuntur, uel in ſubiecto inſunt. Non curatur autem & non incendit, non appello uerba, quoniam uerbum ſignificatione ſua tempus includit, & in re aliqua ſemper cohæret. Et quoniam nomen ei nullum impoſitum eſt, uerbum infinitum appellari licet. quandoquidem tam in eo quod eſt, quàm in eo quod non eſt æquè dicitur. Itemq; curabitur & curatus eſt, non ſunt habenda uerba, ſed caſus uerbi. Hoc autem à uerbo differunt, quòd præſens tempus uerbum ſignificat, illa id omne in quo interiectum præſens eſt. Ac uerba ſi ſola dicantur nomina ſunt, ſignificántque aliquid. Nam & qui ea enuntiat, intelligentiam imprimit in animo: & qui audit, quieſcit: ſit autem nécne ſit res, nondum exponit. Neq; enim illud eſſe aut non eſſe rem declarat, nec ſi ipſum eſt per ſe ſolum dicas. Id enim nihil eſt, ſignificat autem coniunctionem quandam, quæ intelligi ſine ijs quæ copulantur, non poteſt.

## De Oratione.

Oratio eſt uox quæ ſignificat, cuius pars aliqua ſeiuncta ſeparatáq; ut nomen, non ut affirmatio, ſignificat: uelut homo aliquid ſignificat, non rem eſſe, aut non eſſe: cui tamẽ ſi quid adiunctum ſit, uel affirmatio erit, uel negatio non uocabuli hominis ſola compræhenſio. Neq; enim in hoc uerbo ſorex, illud rex quicquam declarat, ſed uox eſt ſolum. In iunctis autem ſignificat illud quidem, ut dixi, ſed non ſeparatim. Quanquam autem ex inſtituto, quemadmodũ dixi, nõ ut inſtrumentum, omnis ſignificat oratio, nõ tamen omnis enuntiat

ac dicit,ſed ea ſola quæ uel uerum uel falſum complectitur. Neq; enim omnes complectuntur. uelut precatio, oratio eſt illa quidem,ſed nec uera nec falſa. Ac cæteræ quidem quoniam artis rhetoricæ uel poeticæ propriæ ſunt, ab hac arte omnes expelli ac repudiari debent:quæ autem quid de quodam dicit,ea ſola retinenda eſt.Eſt autem primum enunciationis genus,affirmatio & negatio: cæteræ una coniunctione fiunt. Sed omnis ex uerbo aut caſu uerbi conſtet enunciatio neceſſe eſt.Etenim hominis definitio,niſi eſt, uel erat, uel erit,uel aliquid tale adiungatur,nōdum quicquam enunciat. Nam quid ita totum hoc,animal gradiens bipes, unum quiddam nón multa declarat(neq; enim unam conficient orationem,etiamſi inter ſe continentur) non eſt inſtitutæ diſputationis.Vna autem enunciatio eſt,quæ aut unum aliquid declarat,aut ex una uincta eſt coniunctione. Multæ uerò quæ uel multa,& non unum aliquid ſignificant, uel carent coniunctionibus.Ac nomen quidem & uerbum uocabula ſunt tantummodo.quandoquidem non poteſt is qui ſic aliquid oratione & uoce exprimat,enunciare aliquid, ſiue rogetur, ſiue non rogetur:ſed is demum poteſt,qui omnia uoluerit dicere. Harum autem enunciationum, ſimplex alia eſt, ut quæ aliquid de quodam dicit,uel aliquid cuidam ineſſe negat. Alia autem quæ ex his conſtat,iam quaſi coniuncta oratio eſt. Sed ſimplex pronunciatum,eſt oratio quæ aliquid de quodam dicit,uel negat,pro ratione temporum. Affirmatio eſt enunciatio quæ aliquid de quopiam dicit. Negatio eſt enunciatio qua aliquid ineſſe cuipiam negamus. Quando autem quod in aliquo ineſt,negari poteſt ineſſe,& quod abeſt,alicui dici poteſt adeſſe, & quod adeſt, adeſſe confirmari poteſt, & quod abeſt abeſſe, itémque in cæteris temporibus quicquid aliquis alteri tribuerit, id omne detrahere poteſt, & quod detraxerit,attribuere:profectò omni affirmationi negatio, omniq; negationi contraria ſit affirmatio neceſſe eſt. Sit autem contradictio,affirmatio negatióque contrariæ. Opponi autem contradictorio nomine dico, eam quæ eiuſdem rei eſt, & de eadem re dicit:de qua altera,non ὁμωνύμως, cæteríſque omnibus adiunctis, quæ contra Sophiſtarum moleſtas rationes conſtituta ſunt,& definita à nobis.



De ſubiectis & prædicatis enunciationum.

QVoniam autem res partim uniuerſæ ſunt, partim ſingulæ(uniuerſas autem appello eas, quæ ſuapte natura dicuntur,in multis: ſingulas, quæ non dicuntur: ut homo,in rebus uniuerſis eſt:in ſingulis,Callias)neceſſe eſt effari ineſſe aliquid,aut non ineſſe rerum uniuerſarum cuipiam, aut ſingularum.Ac ſi quis aliquid omnino ineſſe aut non ineſſe in quadam re uniuerſa confirmet,contrariæ erunt enuntiationes.Dico autem in re uniuerſa omnino & totum dici, uelut in his,Omnis homo albus eſt, Nullus homo albus eſt. Sin autem de re uniuerſa non omnino quid enuntietur, non ſunt enuntiationes contrariæ:attamē fieri poteſt, ut quæ declarantur ac ſignificantur contraria ſint. Appello autem nō omnino & totum aliquid de re uniuerſa eloqui, quales hæ ſunt enūtiationes,Homo eſt albus,Homo non eſt albus. Nam cum homo in rebus ſit uniuerſis, non totum & omnino uſurpatum eſt enuntiando. Verbum enim omnis non quiddam uniuerſum ſignificat,ſed omnino dicit.In re autem quæ omnino totúmque dicitur,nunquam uere dici poteſt illud omnino. Neq; enim uera eſſe ulla poteſt aſſertio,in qua de re quæ totum dicitur,aliquid omnino enuntiatur. Ex quo genere illa eſt enuntiatio, Omnis homo omne animal eſt. Affirmatio igitur negationi contradictorio nomine opponitur, quæ rem uniuerſam in eodem ineſſe dicit, ſed non omnino: ut Omnis homo eſt albus, &, Non omnis homo eſt albus: Nullus homo albus eſt, aliquis homo eſt albus. Contrario

*uerò nomine opponitur rei uniuerſæ affirmatio rei uniuerſæ negationi: quales hæ ſunt, Omnis homo iuſtus eſt, Nullus homo iuſtus eſt. Quocirca eſſe hæ ſimul ueræ nullo modo poſſunt. At his contrariæ ſimul in eodem dici uerè poſſunt: ut, Non omnis homo albus eſt: &, Aliquis homo albus eſt. Quapropter quæ ex rebus uniuerſis contradictoriæ conſtant, idque omnino & totum, earum neceſſe eſt alteram ueram eſſe uel falſam. Itémque earum quæ ex ſingulis conſtant, quales hæ ſunt, Albus eſt Socrates, Quæ autem ex uniuerſis rebus, nec omnino conſtant, earum non ſemper una uera eſt, falſa altera. Nam hæ ſimul ueræ dicuntur, Eſt homo albus, non eſt homo albus. Et hæ, Eſt homo pulcher, Non eſt homo pulcher. Nam & ſi quis turpis ſit, non eſt formoſus, & tum cum fit aliquid, id nondum eſt. Sed hoc ſtatim alienum uideri poteſt, propterea quòd hæc enuntiatio, Non eſt homo albus, idem etiam quod illa ſimul, Nemo eſt albus, ualere uideatur. Sed nec idem ualet, nec ſimul etiam illam declarat neceſſario. Vni autem negationi unam affirmationem contradictorio nomine opponi hinc intelligi poteſt, quòd idem negari negatione oporteat, quod affirmatione confirmatũ ſit, & de eodem, uel eorum aliquo quæ ſunt in rebus ſingulis: uel eorum quæ ſunt in uniuerſis, tanquam totum, uel non quaſi totum: ut, Socrates albus eſt, Socrates albus non eſt. Sin autem aliquid aliud eidem ineſſe negetur, aut alij cuipiam non opponetur hæc illi contrario nomine, ſed altera. Huic enim enuntiationi, Omnis homo eſt albus, hæc repugnat, Non omnis homo eſt albus. Et huic, Aliquis homo eſt albus, hæc, Nullus homo albus eſt. Item huic, Eſt homo albus, illa, Non eſt homo albus. Ac unam quidem affirmationem uni negationi contradictorio nomine opponi, qualéſque eſſent, dixi. Hoc etiam docui alias eſſe contrarias, & quales eſſent: contradictionémque non omnem ueram eſſe aut falſam: quáque de cauſa,*

& quan



*& quando uera eſſet aut falſa. Eſt autem ſimplex affirmatio & negatio, quæ unum aliquid de uno dicit, aut de re quæ uniuerſa eſt totum, uel non ita. ut, Omnis homo albus eſt, Non omnis homo albus eſt: Eſt homo albus, non eſt homo albus: Nemo albus eſt, Aliquis homo albus eſt, ſi modo albi uerbum unum idémque declaret. Nam ſi duobus nomen unum impoſitum ſit, ex quibus conſtare non poſsit unum, non ea una & ſimplex affirmatio aut negatio eſt. Vt ſi quis equo & homini nomen ueſtis imponat, ut ſit ueſtis alba, hæc neq; affirmatio ſimplex ſit, neq; negatio. Sic enim nihil differt, dicas. Homo eſt equus albus, an, eſt homo albus, & eſt equus albus. Quòd ſi hæ plures ſunt, multáque declarant, certè prima uel multa declarat uel nihil: quandoquidem nemo equus eſt. Quare ne in his quidem una uera eſt, altera falſa neceſſarió.*

## De futuris contingentibus.

IN *inſtantibus igitur ac præteritis affirmatio aut negatio uera ſit uel falſa neceſſe eſt: in iiſque, ut dixi, quæ ex rebus uniuerſis conſtant omnino, ſemper altera uera eſt, altera falſa neceſſario. Itémque in ijs quæ ex rebus ſingulis. In ijs autem quæ ſunt ex rebus uniuerſis, non tamen omnino & totum dicunt, non neceſſe eſt, de quibus etiam diximus. At uerò in enuntiationibus quæ de rebus ſingulis & futuris dicunt, non ita eſt. Si enim omnis aut uera aut falſa enunciatio eſt, certè omnia inſint, aut non inſint neceſſe eſt. Nam ſi hic aliquid fore dicat, ille idem neget fore, profectò neceſſe eſt uere alterutrum dicere, ſi modo omnis enuntiatio uera eſt, aut falſa: quandoquidem in eodem ſimul utrunque non intelligitur. Etenim ſi uerè dicitur, eſſe album aliquid, aut non eſſe album: neceſſe eſt id eſſe album, aut non eſſe album. Et ſi eſt album, aut non eſt album, uerè id dictum fuit uel negatum. Et ſi non ineſt, id falſum eſt: quòd ſi falſum,*

nec ineſt. Ita neceſſe eſt ex omni æternitate uel affirmationem uel negationem ueram fuiſſe uel falſam. Nihil igitur euenit neque fit forte, temere, caſu: nihil in alterutram partem aut cadet aut non cadet, ſed ex neceßitate omnia fiunt quæcunque fiunt, non in alterutram partem. Nam aut is uerè dixit qui rem confirmauit fore, aut is qui negauit: quoniam æquè eodémq; modo eueniet res, aut non eueniet. Quod enim alterutrã in partem cadit, non hoc modo potius, quàm illo euenit aut futurum eſt. Præterea ſi quid album ſit hoc tempore, ſuperiore tempore fuit uerum, album id futurum eſſe. Ita ex æternitate fuit uerum quicquid fit, id aut eſſe iam, aut futurum eſſe. Quòd ſi ex æternitate fuit uerum, aliquid eſſe iam, aut futurum eſſe, certè id non poteſt non fieri aut fore. Quod autem non poteſt non fieri, fieri non poteſt, ut non ſit: quod autem ut non ſit fieri non poteſt, id neceſſe eſt fieri. Quicquid igitur futurum eſt, id fieri neceſſe eſt. Ita nihil in alterutram partem cadit, neq; fortuito. Si enim fortuito, non ex neceßitate. Quin neutrum uere dici poteſt, neq; futurum quicquam, neq; non futurum eſſe. Primum enim ſi falſa ſit affirmatio, certè uera negatio non erit: & ſi hæc falſa ſit, non erit uera affirmatio. Deinde ſi fuit uerum, album aliquid ſimul & magnum fore, duo illa adſint neceſſe eſt. Et ſi cras ſit adfuturum, cras aderit. Sin autem nec futurum eſt, nec minus futurum cras, nunquam, exempli cauſa, bellum nauale alterutram in partem cadet, quoniam nec fieri nauale bellum neceſſe fuit, nec minus fieri. Atq; hæc ſunt incommoda, & alia eiuſdem generis, quæ ſuſcipere cogimur, ſi neceſſe ſit ex omni affirmatione & negatione, quæ contradictorio nomine opponãtur, ſiue in ijs quæ ex rebus uniuerſis conſtant, ſiue quæ ex ſingulis, alteram ueram eſſe, alteram falſam, nihilq; in alterutram partem caſurum eſſe in præteritis, omniáq; eſſe aut futura eſſe ex neceßitate. Eadémq; ra-





tione omnis è uita tolletur & deliberatio & actio: quoniam ſi hoc faciamus, illud eueniet: & ſi hoc minime faciamus, illud non eueniet. Nihil enim prohibet ad decem millia annorum hunc confirmare hoc uel illud fore, alterum negare, ut ex neceßitate eueniat quod in alterutram partem tum ei licebat uerè dicere. Neque uerò intereſt utrum pronuntiarint aliqui contradictionem, nécne pronuntiarint: quippe cum perſpicuum ſit, hoc uel illo modo res euenire ſolere, etiam ſi nihil nec hic confirmet, nec ille neget futurum. Neque enim quia confirmatum eſt, aut negatum fore aliquid, idcirco id futurum eſt, aut nõ futurum, uel ad decem millia annorũ, uel quouis tempore. Quare ſi ex omni æternitate ea uis & natura rerũ fuit, ut una uera eſſet, neceſſe fuit eam fieri. Ita omnium rerum ea uis fuit ex æternitate, ut ex neceßitate fierent. Si quis enim uerè dixerit fore aliquid, id non poteſt non fieri. Et quod factum eſt, id ex æternitate fuit uerum futurum eſſe, quod fieri non poteſt. Videmus enim rerum futurarum initium & conſilio indagari & actione: omninóque in ijs quæ non ſemper agunt aliquid cernimus illa duo, æquè agere ea poſſe & non poſſe, in quorum quidem poteſtate utrunq; ſitum ſit, & ut res ſit, & ut ne ſit: ita & ut fiat & ut non fiat. Multáq; adeò nobis nota ſunt, quorum uis eſt talis. Velut ueſtis hæc frangi poteſt & diſcidi, nec frangetur, ſed prius atteretur. Similitérq; fieri poteſt ut non diſcidatur. Non enim prius atteri poſſet, niſi fieri poſſet ut ne diſcideretur. Similis eſt ratio eorum omnium in quibus eadem uis reperitur: ex quo perſpicuum eſt, nec eſſe nec fieri ex neceßitate quæcunque fiant, ſed alia in alterutram partem cadere: nec affirmationem ueram aut falſam potius quàm negationem eſſe: alia eſſe in quibus alterum magis & plerunque fiat, & tamen alterum euenire poſſe, alterum non poſſe. Ac quicquid eſt in rerum natura, id ſit quandiu ſtat; & quòd non eſt

quandiu non ſtat, id non ſit neceſſe eſt. Attamen nec quod eſt, id omne eſſe neceſſe eſt: nec quod non eſt, non eſſe. Neq; enim ex neceßitate eſſe quicquid eſt quia ſit, idem ualet quod omnino eſſe ex neceßitate. Quod idem contingit in ijs quæ nulla ſunt. Eadem eſt etiam ratio contradictionis, in qua omne neceſſe eſt uel eſſe uel non eſſe, fore uel non fore. Quãquam non eſt neceſſe eum, qui diſiunctionibus utatur, uerè alterum dicere: ut neceſſe eſt nauale bellum cras geri uel non geri: non tamen geri cras bellum nauale neceſſe eſt, aut non geri, etiam ſi illud geri aut non geri ſit neceſſe. Quoniam igitur eadem ratio eſt ueritatis & orationum & rerum, certè neceſſe eſt ea omnia quorum ea uis eſt & natura, ut alterutram in partem inclinent, contrariáq; recipiant, eadem ratione etiam contradictione contineri. Quod in ijs etiam rebus fit, quæ non ſunt æternæ, quæq; non ſemper nullæ ſunt. Ex ijs enim neceſſe eſt alteram contradictionis partem ueram eſſe, alteram falſam: non quidem hanc uel illam, ſed alterutram. Et quanquam ad ueritatem altera propius accedit, tamen non iam uera eſt uel falſa. Ex quo efficitur non neceſſe eſſe in enuntiationibus contradictorijs alteram ueram eſſe, alteram falſam. Nõ enim eadem ratio, ut dixi, eſt eorum quæ ſunt in rerum natura, & eorum quæ non ſunt, eſſe autem uel non eſſe poſſunt.

## De enuntiationibus infinitis.

QVoniã autem affirmatio omnis quiddã de quodã dicit, ídq; uel non eſt, uel uacat nomine: quoniámq; quod in affirmatione continetur, id & unum eſſe & de una re dici debet (iam autem de nomine & de eo quod uacat nomine diſſeruimus. Illud enim non homo, non nomen, ſed infinitum nomen appello, quòd unum quiddam ſignificat quodam modo nomen infinitum, quemadmodum non ualet non uerbum dico, ſed infinitum) profectò omne effatum aut ex nomine & uerbo, aut ex infinito nomine, uerbóque conſtet neceſſe eſt: Eſſe autem effatum ſine uerbo nullum poteſt. Nam uerba illa, eſt, fit, & cætera eiuſdem generis, quoniam tempus adſignificant, in ijs ſunt quibus certa ſunt impoſita nomina. Prima igitur erit affirmatio & negatio, Homo eſt, Homo non eſt. Deinde hæ, Non homo eſt, Non homo non eſt. Tum hæ, Omnis homo eſt, Non omnis homo eſt. Poſtremo hæ, Omnis non homo eſt, Non omnis non homo eſt. Eadem eſt ratio temporum, quæ extrinſecus adhibentur.

Cum uerò uerbum Eſt in oratione tertium dicitur, tum duo contrario nomine oppoſitarum pronuntiationum genera naſcuntur. Intelligo autem Eſt tertium nomen uel uerbum adiungi, ut in hac enuntiatione, Homo iuſtus eſt. Ob eámque cauſam hæc quatuor erunt, quorum duo affecta erunt ordine ad affirmationem & negationem quaſi priuationes, alia duo non erunt. Illud inquam, eſt, uel nomini iuſti adhiberi poteſt, uel non iuſti. Quod idem fit in negatione. Sunt igitur quatuor. Sed quod dixi, ex hac deſcriptione intelligi licet.

| | | |
|---|---|---|
| Homo iuſtus eſt. Non iuſtus eſt homo. | Huius negatio | Homo non eſt iuſtus. Non iuſtus non eſt homo. |

In his enim eſt & non eſt, nominibus iuſti & non iuſti adiunguntur. Atque hæc quidem eo ordine diſpoſita ſunt, quem in Analyticis oſtendimus. Quod ita fiet etiam, ſi nomine uniuerſo conſtet affirmatio. ut,

| | | |
|---|---|---|
| Omnis homo iuſtus eſt. Omnis homo nõ iuſtus eſt. | Cuius negatio eſt | Non omnis homo iuſtus eſt. Non omnis homo non iuſtus eſt. |

Niſi quòd non poſſunt æquè ueræ ſimul eſſe enuntiationes eæ, quæ rectis lineis, ad perpendiculum inter ſe reſpondent.

Sed tamen ueræ ſunt, interdum eodem tempore. Atq; hæ quidem duæ contradictoriæ ſunt. Aliæ autem duæ cum hoc non homo, quaſi cum ſubiecto quodam adiuncto. uelut,

| | |
|---|---|
| Non homo iuſtus eſt, | Non homo non eſt iuſtus. |
| Non homo eſt nō iuſtus, | Non homo nō eſt non iuſtus. |

His autem plures eſſe cōtradicentes nullo modo poſſunt, hæq; ſine illis, ipſæ inter ſe pugnabunt, quòd illud non homo tanquam nomen ſibi adiungant. Atque in iis etiam omnibus in quibus eſt uerbum non copulatur, ut in illis uerbis ualere & ambulare, idem efficit, ſi ita ponatur, ut ſi eſt coniungeretur. uelut, Omnis homo ualet, Non omnis homo ualet. Et Omnis non homo ualet, Non ualet omnis non homo. Non enim totum hoc, non omnis homo, dicendum eſt, ſed negatio ad hominis uerbum addi debet, quoniam omnis non quiddam uniuerſum, ſed omnino declarat. Quod ex his enunciationibus perſpici poteſt, Valet homo, Non ualet homo: Valet non homo, Non ualet non homo. Inter has enim & illas hoc intereſt, quòd in his nihil prorſus uniuerſum totúmque dicitur, in illis dicitur. Ergo ſignificat omnis & nullus aliud nihil, niſi nomen omnino totúmque dici in enunciationibus. Ita cætera eadem omnia conuenit adhiberi. Quando autem huic enunciationi, Omnis animans iuſtus eſt, illa contraria eſt quæ dicit, nullum eſſe iuſtum animantem, perſpicuum eſt eas nunquam ſimul in eodem ueras futuras eſſe: quæ autem his repugnant, poſſunt interdum: uelut, Non omnis animans iuſtus eſt, &, Eſt aliquis animans iuſtus. Quæ eædem enunciationes conſequuntur: hæc quidem, Nemo eſt iuſtus, huic, Omnis homo eſt non iuſtus: & hæc, Eſt aliquis homo iuſtus, huic, Non omnis homo eſt non iuſtus. quandoquidem ſit aliquis iuſtus neceſſe eſt. Illud etiam perſpicuum eſt, ſi uerè licet negare in ſingulis enunciationibus ei qui rogatus ſit, uerè etiam eundem poſſe dicere, ut, Eſtne ſapiens Socrates? Non. Non eſt igitur ſapiens Socrates. In uniuerſis autem non eſt uera ea quam dixi, ſed negatio, ut, Num omnis homo ſapiens eſt? Non. Omnis igitur homo ſapiens non eſt. Hoc enim falſum eſt, at illud uerum, non omnis igitur homo eſt ſapiens. Atque hæc quidem illi repugnans & contradicens eſt, illa contraria. Quæ uerò ex nominibus & uerbis infinitis inter ſe repugnantes & contradicentes ſunt, qualia ſunt hæc, non homo, & non iuſtus, eæ uacare nomine & uerbo tanquam negationes uideri poſſunt, ſed tamen non ita eſt. Nam cum neceſſe ſit ſemper uerum aliquid uel falſum negationem declarare, qui hoc totum non homo dixerit, nihilo magis atque adeo minus, quàm qui ſolum hominis uerbum pronunciauerit, uere aliquid aut falſo dixerit, niſi quid adiungat. Nec uerò pronunciatum hoc, Eſt omnis non homo iuſtus, idem quod ſuperiora illa declarant: nec illud quod huic repugnans eſt & contradicens, Non eſt omnis non homo iuſtus. Atque hæc, Omnis non homo eſt non iuſtus, par illi eſt, Nullus eſt iuſtus non homo. At uerò nomina & uerba ſi tranſponantur aut traiiciantur, idem ualent. uelut, Eſt albus homo, Eſt homo albus. Si enim ſecus ſit, certè eidem affirmationi multæ ſunt futuræ oppoſitæ negationes. At unam uni eſſe oportere demonſtrauimus. huius enim, Eſt albus homo, negatio eſt, Non eſt albus homo. Huius autem, Eſt homo albus, ſi idem quod illa, Eſt albus homo, non declaret, negatio erit, uel hæc, Non eſt non homo albus, uel illa. Non eſt homo albus. Atqui hæc, Non eſt non homo albus, huius eſt negatio, Eſt & non homo albus. altera autem huius, Eſt albus homo. Duæ igitur ſint unius neceſſe eſt. Ex quo intelligitur, ſi nomen & uerbum tranſponātur traiiciantúrq; in oratione, eandem omnino affirmationem & negationē futuram. Dicere autem & negare unum aliquid multis, aut multa uni conuenire, non

non una & ſimplex affirmatio & negatio ſolet, niſi unum ex multis declaretur: unum autem appello, non ſi nomen unum ſit impoſitum, nec ex illis unum aliquid efficiatur (uelut homo certè & animal eſt, & bipes, & cicur) ſed ſi unum quiddam ex his conſtet. Itaque quoniam ex homine & albo & ambulatione nihil efficitur, ſi quis quid de iſs enunciet, non una pronunciatio ſit, ſed multæ, etiam ſi uox una eſſe uideatur. Itémque multæ ſunt, ſi de uno quodam hæc dicantur omnia. Quocirca ſi dialectica interrogatio reſponſionis petitio eſt, ut uel propoſitio explicetur, uel pars altera repugnantiæ & contradictionis: propoſitio autem unius eſt pars repugnantiæ & contradictionis, profecto nunquam ad hæc unum reſponſum adhiberi poteſt. quandoquidem ne ſi uera ſit quidem una interrogatio eſt. Sed de his in Topicis diximus. Ex quo id etiam perſpicuum eſt, quid eſt non eſſe Dialecticam interrogationem. Nam & optio danda eſt, ut ex interrogatione utram uelit partem contradictionis & repugnantiæ alter eligat: & qui interrogat, antè conſtituere & definire debet, ſit, nec ne ſit hoc homo. Sed quoniam alia coniuncta & copulata ſic dicuntur, ut unum fiat κατηγόρημα ex his quæ ſeparatim dicuntur alia nõ: quæ hoc loco diſtinctio & diſsimilitudo eſt quærat aliquis. Nã & animal de homine ſeparatim uere dicitur, & bipes ſeparatim, atque ea pro uno habentur. Item homo & albus quæ eadem unum ſunt. At uerò non ſi quis ſutor ſit, & bonus, continuo ſutor bonus eſſe dicatur. Si enim quia utrunq; uerum ſit, eſſe coniuncta ambo debeant, permulta incommoda ſuſcipere cogemur. Nam cum hominis albiq; nomen de homine uere dicatur, ergo etiam totum: rurſum cum albi nomen, etiam totum. Ita erit homo albus albus, in quo ad exitum nunquàm perueniet oratio. Itémque erit muſicus albus ambulans, eadémque ſæpe connexa & repetita, nihil in quo conſiſtant habebunt.

Præt



Præterea ſi Socrates, Socrates ſit & homo, etiam Socrates Socrates homo ſit neceſſe eſt. Et ſi homo ac bipes, ſequitur ut ſit etiam homo homo bipes. Illud igitur perſpicuum eſt, abſurda multa conſecutura neceſſario, ſi quis coniunctiones omnino contendat fieri oportere. Nunc quemadmodum hæc conſtituẽda ſint omnia, uideamus. Eorum quidem quæ dicuntur & eorum de quibus alia dicuntur, quæ forte temere dicuntur, aut de eodẽ aut alterum de altero, ea omnia non unũ efficiunt. Velut in hoc, Homo eſt albus & muſicus, nec unum ex albo fit & muſico: ſiquidẽ utrunq; accidens eſt. nec ſi quis albus eſt, idem muſicus ſit, idcirco ex albo muſico fit unum. Forte enim temere aliquis muſicus & albus dicitur. Ita non unum quiddam ex muſico & albo efficitur. Quocirca ne ſutor quidẽ bonus omnino dicẽdus eſt, ſed tantũmodo animal bipes, quòd nõ caſu dicantur. Atq; etiã unũ quiddam nõ conſtat ex iſs omnibus, quæ in altero reperiũtur. Itaq; nec id quod album eſt, album eſt, nec homo, homo animal uel bipes, quòd in homine & bipes & animal cõtinẽtur. Vere autẽ dicitur aliquis omnino homo eſſe homo, aut quidam homo albus, albus homo eſſe. nec id uerũ eſt ſemper. Tumq; id falſum eſt deniq; cum id quod adiunctũ eſt, aliquid repugnãs continet, ex quo etiã repugnãtia cõſequantur. Vt ſi mortuus homo, homo eſſe dicatur. At ſi nihil tale copulatũ reperiatur, totum uere dicitur: aut certè ſi adſit tale aliquid, non ſemper id uerũ eſt: ſi nõ adſit, ne tum quidẽ ſemper uerè dicitur. Velut Homerus aliquid eſt, ut, Poëta. An uerò ſit nec ne ſit, quæſtio eſt. Nam caſu & fortuito de Homero illud eſt, in hac enũciatione, Poëta eſt Homerus, dicitur, non ſua ui atq; natura. Quamobrẽ in quibus dicendi rationibus repugnãtia eſt nulla, ſi pro nominibus definitiones adhibeantur, dicaturq; non caſu & fortuito, ſed per ſe ſuáq; ui: in iſs omnibus, illud aliquid adiunctum etiam omnino uerèque dicetur. Nam quæ nulla ſunt, quia opinabilia

bilia ſunt non uerè aliquid eſſe dicuntur: quippe cùm ea non opinemur eſſe omnino, ſed non eſſe in rerum natura.

De Enunciationibus Modorum.

His autem expoſitis, nunc quemadmodum inter ſe affectæ ſint enunciationes, quæ de eo dicunt quod poſsit fieri aut non poſsit, déque eo quod euenit aut non euenit, de eo denique quod impoſsibile, quódque neceſſarium eſt, diſſeramus. Quam enim uim habeant, magna quæſtio eſt. Si enim ex ijs quæ illis continentur eæ inter ſe pugnant & contradicunt quæ ex uerbis eſt, & non eſt, cõſtant. uelut ſi huius, Eſt homo, negatio eſt, Non eſt homo: non illa, Eſt non homo. Et ſi huius, Eſt homo albus, hæc, Non eſt homo albus: non illa, Eſt homo non albus. (Nam ſi de omni re uel quod ait uel quod negat dicitur, certè uerum eſt, lignum hominem nõ album eſſe. Quod ſi ita eſt, in omnibus ijs etiam in quibus eſt uerbum non adiungitur, quod pro illo eſt dictum erit, idem ualebit, ut huius effati, Homo ambulat, non hæc, Ambulat non homo, ſed illa, Non ambulat homo, futura negatio eſt. quoniam utrum hominem dicamus ambulare, an ambulantem eſſe, nihil intereſt) ſi inquàm ita ſe res habeat in omnibus: profectò huius, Fieri poteſt, nõ hæc, Poteſt non fieri: ſed illa, Non poteſt fieri, negatio ſit neceſſe eſt. Atqui res & fieri & non fieri eadem poteſt. Quicquid enim diuidi, & ambulare poteſt: id & non diuidi poteſt, & nõ ambulare. Cuius ratio eſt, quòd nõ ſemper id omne re ipſa eſt, quod hoc pacto fieri poteſt. Ita ei etiã conueniet negatio. Nam poteſt nõ ambulare quod uim ad ambulandum habet: & non cerni, quod ſub aſpectum cadit. At fieri non poteſt, in eodem uerè enunciationes repugnantes contradicentéſque dicantur. Non igitur huius pronunciati, poteſt fieri, illa, poteſt non fieri, repugnans contradicenſque eſt: præſertim cum ex his efficiatur, ut aut idem de eodem dicamus ſimul & negemus, aut certè ut non ex uerbis eſt & non



non eſt quæ adiunguntur, affirmationes naſcantur & negationes. Quod ſi fieri non poteſt, hoc profectò ſequendum eſt. Ergo huius enunciationis, poteſt fieri, negatio eſt, non hæc, poteſt non fieri, ſed illa, non poteſt fieri. Eadem ratio eſt eius quod contingit. Etenim eius negatio eſt illud, Non contingit. Quod idem fit in cæteris, cuiuſmodi ſunt, impoſsibile, neceſſarium fieri. Vt enim in illis eſt & non eſt uerba additamenta ſunt, illa autem albus & homo ſubiecta: ſic in his eſt & non eſt pro ſubiectis habentur: hæc autem, poteſt, & contingit, acceſsiones ſunt, quæ quidem in his enunciatis, Poteſt fieri, &, Non poteſt fieri, ita quid uerum ſit quídue falſum, ut in illis eſt & non eſt, definiunt & explicant. Huius autem, Poteſt nõ fieri, negatio non eſt quæ ſequitur, Non poteſt fieri, ſed hæc, Non poteſt non fieri. Et huius, Poteſt fieri, non illud, Poteſt non fieri, ſed hoc, Non poteſt fieri. Quocirca quod fieri poteſt & quod poteſt nõ fieri, alterũ alteri conſequitur, quòd idẽ & fieri & non fieri poteſt. Non enim pugnant ſecũ & cõtradicũt, Quod fieri poteſt, & quod poteſt non fieri: ſed, quod fieri poteſt, & quod fieri non poteſt, quoniam diſsident à ſeſe & cõtradicunt, nunquàm in eodem uerè dicuntur. Eodemq; modo de his, quod poteſt non fieri, & quod non poteſt non fieri, iudicandũ. Similitérq; huius, Neceſſariũ eſt, negatio eſt non illud. Neceſſariũ non eſt, ſed illud, Non neceſſariũ eſt. Huius autẽ, Neceſſariũ nõ eſt, illud, Non eſt non neceſſarium. Itémque huius, impoſsibile eſt fieri, non illud, Impoſsibile eſt non fieri, ſed illud, Non impoſsibile eſt fieri. Huius uerò, Impoſsibile eſt non fieri, illud, Non impoſsibile eſt non fieri. In ſumma, eſt & non eſt poni ut dixi, modo ſubiecti debent: hæc autem quæ negationem & affirmationem efficiunt, ad illa ipſa uerba eſt & non eſt addenda ſunt. Atque eæ demum repugnantes & contradicentes exiſtimandæ ſunt enunciationes, in quibus poteſt & non poteſt, conting

contingit, & non contingit, impoßibile eſt & non impoßibile eſt, neceſſarium & non neceſſarium, uerum & non uerum collocantur. Atque conſequentia quæ hinc naſcuntur, diſponenda ſunt hoc modo: Ei enim quod fieri poteſt, illud quod contingit ut ſit, conſequitur, retróque id commeat uicißim. Hæc etiam conſequuntur, quod non impoßibile eſt fieri, & quod non neceſſe eſt fieri. Ex eo uerò quod poteſt non fieri, & quod accidit ut non fiat, id quod non neceſſe eſt non fieri, & quod non impoßbile eſt non fieri conſequentia ſunt. Ex eo etiam quod fieri non poteſt ut ſit, & quod non accidit ut ſit, id quod neceſſe eſt non eſſe, & quod impoßibile eſt eſſe ſequitur. Conſequentia etiam ſunt & id quod neceſſe eſt eſſe, & quod impoßibile eſt non eſſe, ex eo quod non poteſt non eſſe, & quod non accidit ut non ſit. Id quod ex hac deſcriptione intelligi poteſt.

| | |
|---|---|
| Fieri poteſt ut ſit | Quod fieri non poteſt |
| Accidit ut ſit | Quod non accidit ut ſit |
| Non impoßbile eſſe | Quod impoßibile |
| Non neceſſarium eſſe. | Quod neceſſe eſt non eſſe. |

| | |
|---|---|
| Fieri poteſt ut non ſit | Quod non poteſt fieri quin ſit. |
| Accidit ut non ſit | Quod non accidit ut non ſit. |
| Non impoßibile non eſſe | Quod impoßibile eſt quin ſit. |
| Non neceſſarium non eſſe | Quod neceſſe eſt eſſe. |

Quod igitur impoßibile eſt ut ſit, & quod non impoßibile eſt eſſe, ex repugnantibus & contradicentibus eius quod accidit ut ſit, & quod fieri poteſt ut ſit, & quod non accidit ut ſit, & quod non poteſt fieri ut non ſit, ita conſequentia ſunt, ut retro etiam uicißim commeent. Ex eo enim quod poteſt fieri, eius quod impoßibile eſt conſequens eſt negatio hæc, Non impoßibile eſt eſſe. Ex eo autem quod negat id quod ait, quoniam ex eo quod non poteſt fieri ut ſit, id quod impo-





impoßibile eſt eſſe efficitur. Hoc enim totum, Impoßibile eſt eſſe affirmatio eſt, illud negatio, Non impoßibile eſt eſſe. Quam autem uim habeat id quod neceſſe eſt eſſe, uideamus. Atq; illud quidem perſpicuum eſt in his non ita eſſe ut illis, contrariáſque hic conſequi, repugnantes autem quæ eædem contradicentes dicuntur, ſeparatim. Neq; enim huius, Neceſſe eſt non eſſe, illa, Non neceſſe eſt eſſe, negatio eſt, quandoquidem utraq; de eodem uera eſſe poteſt. Quod enim neceſſe eſt non eſſe, id eſſe non neceſſe eſt. Cur autem enuntiationes quæ de eo quod neceſſe eſt dicunt, non eodem modo, quo ſuperiores, altera alteri conſequuntur, hoc cauſæ eſt, quòd ei quod neceſſariũ eſt, id quod impoßibile eſt eſſe, idem ualet, contrario nomine oppoſitũ. Quod enim impoßibile eſt ut ſit, idem neceſſe eſt, non, eſſe quidem, ſed nõ eſſe. Quod autem impoßibile eſt quin ſit, id ſit neceſſe eſt. Ita ſi illa eodem modo ex eo quod poteſt eſſe & non poteſt eſſe concluduntur, certè in his contrà fiat neceſſe eſt: quandoquidem non idem ualent quod neceſſe eſt eſſe, & quod impoßibile eſt ut ſit, ſed uicißim, ut dictum eſt. An autem fieri non poßit, ut hoc modo cõſtituantur repugnantiæ & contradictiones eius quod neceſſe eſt, quæſtio eſt. Huic enim quod neceſſe eſt eſſe, conſequitur id quod fieri poteſt ut ſit. Sin minus, negatio erit conſequens, quoniam neceſſe eſt aliquid aut affirmare aut negare. Ergo ſi non poßit eſſe, impoßibile eſt eſſe. Quod igitur impoßibile eſt ut ſit, id neceſſe erit eſſe: quo nihil abſurdius. Atqui ex eo quod poteſt eße, conſequens id eſt quod non impoßibile eſt eße, ex quo id quod non neceße eſt eße. Ita fit ut quod neceßarium eſt, id non ſit neceße eße, quod fieri non poteſt. Ne ex eo quidem quod poteſt eße id quod neceße eſt eße, aut nõ eße cõcluditur. Nam & cum hoc utrumque accidere unà poteſt, & illorum utrumlibet uerum ſit, quoniam illa uera ſunt futura. Simul enim aliquid & eße &

non eſſe poteſt. Si enim neceſſe ſit eſſe aut non eſſe, utrumque fieri non poterit. Relinquitur ergo, ut id quod non neceſſe eſt non eſſe, ex eo ſit conſequens, quod poteſt eſſe. Nam de eo etiam quod neceſſariũ eſt, iam uerè dicitur, propterea quòd hæc ipſa repugnantia & contradictio ei comparata eſt quod ex eo concluditur quod fieri non poteſt. Ex illo enim efficitur id quod impoßibile eſt eſſe, & quod neceſſe eſt non eſſe: cuius hoc, Non neceſſe eſt non eſſe, negatio eſt. Conſequuntur ergo hæ contradicentes, altera alteri, quemadmodum dixi: quibus ita poſitis, nihil repugnans concluditur. Vtrum autem ex eo quod neceſſe eſt eſſe, id quod fieri poteſt ut ſit, ſit conſequens, quæſtio eſt. Nam ſi non ſit conſequens, conſequẽs contrarium & contradicens erit id, quod fieri non poteſt. Quod ſi quis hoc contrarium aut contradicens eſſe neget, is neceſſe eſt fateatur id eſſe quod fieri poteſt ut nõ ſit, quæ duo falſa ſunt in eo quod neceſſarium eſt. At contrà idem uidetur ſecari poſſe & non ſecari, eſſe & non eſſe. Ita quod neceſſarium eſt, id poterit non eſſe, quod falſum eſt. Illud igitur perſpicuum eſt, non quicquid poteſt aut eſſe, aut ambulare poſſe etiam non eſſe, aut non ambulare, etiamſi id uerè de quibuſdam non dicatur, primum in ijs quæ ſine ratione aliquid efficere poßunt. Vt ignis uim habet ille quidem caloris, ſed quæ rationis ſit expers. Quæ igitur facultates ratione ad agendum impelluntur, eæ multa etiam contraria efficere poſſunt: rationis autem expertes non omnes, cùm præſertim ignis calorem ſua ui gignere & non gignere non poßit, nec ea omnia quæ ſemper agunt. Sunt tamen quædam facultatibus rationis expertibus prædita, quæ ſimul contraria recipere poßint. Quod dixi propterea, quòd non omnis uis ad contraria accipienda apta eſt: ne eæ quidem, quæ ſunt eiuſdem generis. Sunt enim quædam facultates homonymæ. Quod enim uim habet aliquid efficiendi, id non uno modo dicitur; aliùdq; eo dicitur



tur poſſe, quia iam re uera agat ſic: Vt poſſe aliquem ambulare, quia iam ambulet: & uno nomine poſſe eſſe, quod iam in actu ipſo ſit, id quod poſſe eſſe dicitur. Aliud quod futurum ſit ut agat aliquando, uelut cum aliquem ambulare dicimus, quòd futurum ſit ut ambulet. Atq; hæc quidem uis in ijs tantummodo reperitur, quæ habent ſuos motus & appetitus, illa etiam ijs quæ nullos habent. Et utrumq; uerè dicitur, poſſe ambulare aut eſſe, & quod ambulat iam, & quod in actu eſt, & quod uim habet ad ambulandum. At quod hoc modo poteſt, non uerè omnino de re neceſſaria dici poteſt, alterũ poteſt. Ita quoniam ex parte genus conſequens eſt, certè ex eo quod neceſſarium eſt id quod fieri poteſt, etiam ſi non omne, concludetur. Ac fortaſſe quod neceſſariũ eſt, aut non neceſſarium, quaſi fons eſt & cauſa, cur ſint aut non ſint omnia: ut cætera omnia ex eo ſpectari debeant, quòd ex his ſint conſequentia. Quapropter ex his quæ dicta ſunt apparet, in actu & re uera eſſe, quæcunq; fiunt neceßariò. Si igitur priora ſunt æterna, etiam actus & res ui & facultate prior eſt. Atque alia cum uim nullam ut ſint habeant, actus ſunt, ueluti hæ ſubſtantiæ quas primas dicimus. alia uim habent ut ſint, ea quæ naturæ ordine priora ſunt, poſteriora temporis. Alia nunquàm in rerum natura ſunt, ſed ſolum eſſe poßunt.

Vtrum autem affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi contraria ſit, ea quæ omnem hominem iuſtum eſſe dicit, illi, Nemo iuſtus eſt: an hæc, Omnis homo iuſtus eſt, illi, Omnis homo iniuſtus eſt: uelut Callias iuſtus eſt, Callias iuſtus non eſt, Callias iniuſtus eſt: quæ inquàm ex his inter ſe ſint contrariæ, magna quæſtio eſt. Si enim ſenſa animi imitatur oratio, illic autem contraria ſententia de contrario eſt, ut hæc, Omnis homo iuſtus eſt, illi, Omnis homo iniuſtus eſt, certè in ijs etiam enunciationibus quæ uoce exprimuntur, ita res habeat neceſſe eſt. Sin minus

illic opinio & ſententia de contrario contraria eſt, ne hic quidem affirmatio affirmationi contraria erit, uerum negatio, ut dixi. Quæ igitur opinio & ſententia falſa ueræ contraria ſit, uideamus, utrúmne ea quæ negat, an quæ ait. Atq; hinc noſtra omnis manabit oratio. Eſt de bono ſententia, quæ id dicit bonum eſſe: alia falſa, id non eſſe bonum: tertia, id malum eſſe. Harum utra ueræ illi ſententiæ contraria ſit: & ſi una ſit, utra ſit contraria, quæſtio eſt. Atq; illud quidem falſum eſt, ex eo iudicari contrarias ſententias eſſe, quia ſint ex contrarijs. Nam illa de bono ſententia, id bonum eſſe, & de malo, id eſſe malum, eadem fortaſſis etiam uera ſit ſiue multæ ſint, ſiue una. Sunt autem hæc contraria, non quòd contrariorum ſint contraria, ſed potius quòd contrario nomine opponantur. Quòd ſi ſententia de bono eſt, id eſſe bonum, alia non eſſe bonum: & ſi eſt etiam aliud quiddam, quod nec in bonum cadat, nec cadere poſſit: profectò neutra ex illis alijs ſtatuenda cõtraria eſt, quæ cadere dicunt quod nõ cadit in bonum, & cadere negãt quod cadit. (Vtræq; enim hæ incertæ infinitæq; ſunt, & quibus ineſſe aliquid confirmamus quod abeſt, & abeſſe quod adeſt negamus) ſed eæ demum ſtatuendæ ſunt, in quibus falli & decipi ſolemus. Ex quo ſunt genere eæ, quibus ortus & origo rei traditur. Atqui ex contrarijs ortus omnis conſtat & naſcitur: ergo etiam fallaciæ. Si igitur bonum bonum eſt, non malum: illúdq; ſua ui hæreat, hoc caſu & fortuito (accidit enim ut non ſit malum) uerior autem ea eſt de quaq; re enunciatio, quæ ſua ui ex ſe & per ſe uera eſt, & falſa magis quæ ſuapte ſponte & per ſe falſa: profecto falſa ſit neceſſe eſt, tam ea ſententia qua bonum non eſſe bonum defenditur, quia de eo ſit quod ſua ui hæret, quàm ea, quæ bonum in malis eſſe confirmat, quòd fortè id & temerè non conueniat. Ex quo efficitur, ut magis falſa ſit ea ſententia, quæ ex negatione eſt, quàm quæ eſt ex contra-





rio. At is demum errat in quaq; re uehementer, qui in diuerſa & contraria ſententia eſt. Siquidem contraria dicuntur ea, quæ in eodem genere plurimum differunt. Quòd ſi harum altera contraria eſt, magis autem ea eſt contraria quæ negat: certè hæc ipſa ſit contraria neceſſe eſt. Illa autem altera, qua bonum in malis eſſe defenditur, cum ea coniuncta implicatáq; eſt: propterea quòd eũdem neceſſe eſt bonũ nõ eſſe in bonis putare. Iam uerò ſi in cæteris omnibus eodẽ modo res habere debeat, etiam hac ex parte uerè dictum eſt à nobis. Aut enim in omnibus ea quæ repugnat & contradicit contraria eſt, aut in nullis. Quorum autem contraria ſunt nulla in ijs falſa ea ſententia eſt, quæ cum uera pugnat. ut is qui hominem non eſſe hominem putat, fallitur. Si igitur hæ contrariæ ſunt negationes, etiam aliæ quæ contradicunt. Præterea eadem eſt ratio eius quæ bonum in bonis ponit, & eius quæ non bonum in non bonis: & præterea eius quæ bona in non bonis, & eius quæ non bona in bonis collocat. Ei ergo ſententiæ ueræ quæ non bona in non bonis putat, quæ tandem contraria erit? Non ea quidem quæ in malis non bona ducit: quandoquidem ſimul uera eſt interdum, & uera ueræ eſſe contraria nullo modo certè poteſt. Aliquid enim quod non eſt bonum, eſt in malis. Ita ueræ ſimul eſſe poſſunt. Nec uerò ea contraria erit, quæ non bona in non malis numerat, ſiquidem hæc quoq; uera eſt, & ſimul eſſe poſſunt. Relinquitur ergo ut eius qua non bona in non bonis numerantur, illa contraria ſit ſentententia, quæ non bona in bonis eſſe dicit, quoniam falſa eſt. Ita huius, Bonum non eſt bonum, hæc, Bonum eſt bonum, contraria eſt. Ex quo perſpicuum eſt nihil intereſſe, utrum omnis in affirmatione, nécne, collocemus. Nam contraria erit uniuerſa negatio. Vt illi opinioni, Omne quod bonum eſt, eſt in bonis: hæc repugnat, Nihil quod bonum eſt, eſt in bonis. Et certè ſententia ea qua bonum eſſe bonum puta-

tur, ſi bonum totũ & omnino dicatur, idem ualet quod hæc, Quod bonum eſt, id eſt in bonis. Inter hanc autem & illam, Quicquid bonũ eſt, id eſt in bonis, nihil intereſt. Quod idem in eo quoque quod non eſt bonum contingit. Quod ſi ita eſt in ſententia, & ſi intelligentiarum & notionum quæ in animis imprimuntur, interpres eſt oratio, qua aut affirmamus aut negamus: certè affirmationi etiam contraria ſit neceſſe eſt ea negatio, qua idem à toto genere omnino tollitur. ueluti huic, Omne quod bonum eſt, in bonis eſt: uel, Omnis homo bonus eſt, ea in qua nullus uel nemo eſt, contrario nomine opponitur. Contradictorio autem nomine ea, in qua non omne, uel non omnis adhibetur. Illud etiam perſpicuum eſt, ueram enunciationem uel ſententiam ueræ contrariam eſſe non poſſe. Nam & ex oppoſitis & contrarijs, contrariæ ſeu aduerſæ conſtant, de quibus homo idem uerè poteſt dicere: at contraria eidem ſimul conuenire non poſſunt.

*

FINIS.

ARIST



# ARISTOTELIS PRIORVM ANALYTICORVM liber primus, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

## CAP. I.

PRIMVM dicendum eſt qua in re uerſetur quáque de re ſit ea, quam inſtituimus, diſputatio: ea ſcilicet in demonſtratione uerſari, artiſque demonſtrandi, aliquidq; neceſſaria ratione concludendi præcepta tradere: deinde exponendum eſt, quid ſit propoſitio, quid uerbum, quid ratiocinatio, quæ abſoluta & perfecta, quæ imperfecta ſit. Tum quid ſit hoc in illo toto intelligi, aut non intelligi: quidque appellemus in uniuerſo genere, aut in nulla parte dici. Igitur propoſitio oratio eſt, qua aliquid alteri conuenire aut confirmamus aut negamus. Hæc aut generalis eſt, aut ſpecialis, aut indefinita. Dico autem generalem, cùm uniuerſo generi aut nulli generis parti aliquid conuenire dicitur. Specialem autem, cum aut alicui generis parti, aut non alicui, aut certe non omni conuenire. Indefinitam uerò cum uel cõuenire uel non conuenire ſine illo, uniuerſe uel ex parte: ueluti, contrariorum eandem eſſe diſciplinam, uel uoluptatem non eſſe bonum. Hoc autem intereſt inter eam propoſitionem quæ neceſſariò aliquid probat, & eam quæ probabiliter, quòd ea quæ neceſſariò probat, alterius repugnantiæ partis ſumptio eſt (neq; enim qui demonſtrat neceſſariáque

ratione aliquid concludit, interrogat, ſed aſſumit) ea autem quæ probabiliter docet dialecticorúmque propria eſt, repugnantiæ eſt interrogatio. Nihil autem intererit ad conficiendam tractandámque utriuſque ratiocinationem. Nam & is qui demonſtrat, & is qui interrogat concludunt ſumpto illo, aliquid alteri conuenire aut non conuenire. ita fit, ut quæ ualet ad aliquid concludendum propoſitio, omnino ſit oratio qua aliquid in aliquo ineſſe uel ait quis uel negat eo modo quem diximus. Ea autem ad demonſtrãdum ualebit, quæ & uera erit, & ex ijs quæ initio ſunt poſita, ſumetur. Quæ uerò ad diſſerendum ualet, ea, ſi interroget diſputator repugnãtiæ interrogatio eſt: ſin ratiocinationem conficiat, eius quod & uidetur & eſt probabile, quemadmodum in Topicis diximus, aſſumptio. Ac propoſitio quidem quid ſit, & quid inter ſe differant, eæ quæ ad concludendum adhibẽtur, tum ea qua aliquid neceſſario, tum ea qua probabiliter concluditur, accuratè deinceps docebimus. Ad id autem quod nunc agimus, hæc ſatis accurate ſunt à nobis explicata. Verbũ autẽ dico id, in quod propoſitio deſinit, cuiuſmodi eſt tum id quod dicitur, tũ id in quo aliud dicitur, adiuncto uerbo eſſe uel non eſſe, aut etiam ſeparato. Ratiocinatio uerò eſt oratio, ex qua quibuſdam poſitis & conceſſis, aliquid aliud ob eam cauſam quia hæc ſunt, neceſſariò efficitur. Illud autem, quia hæc ſunt, idẽ ualet quod, quia ex his efficitur. Ex his uerò effici, eſt nullũ aliud uerbũ extrinſecus ad rẽ neceſſariam faciendã deſyderare. Ac perfectam quidẽ ratiocinationẽ uoco eam, quæ præter ea quæ ſumpta ſunt, nihil aliud requirit, ut res neceſſaria uideatur. Imperfectam autẽ eam, quæ unum pluráue deſyderat, quæ ſunt illa quidem neceſſaria propter propoſita uocabula, ſed tamen non ſumpta ſunt in propoſitionibus. In uniuerſo autem genere alterius alterum ineſſe, idem declarat quod alterum de toto alterius genere dici: &

de toto



de toto genere dici, eſt ita dici, ut nihil eorum quæ rei ſubiectæ & propoſitæ conueniant, ſumi poßit, in quo alterum non intelligatur. Quod eodem modo iudicandum eſt de illo, de nulla generis parte dici.

## De propoſitionum conuerſionibus ſeu reciprocationibus. CAP. II.

QVoniam autem propoſitio omnis uel rem rei conuenire, uel neceſſario conuenire, uel poſſe conuenire declarat, earumq; aliæ aientes ſunt, negantes aliæ pro ratione cuiuſq; modi enunciandi. Rurſumq; aientes ac negãtes partim generales ſunt, partim ſpeciales, partim infinitæ: ea quæ ex eſt uerbo conſtat, in totum negans, conuerſo uerborum ordine reciprocetur neceſſe eſt: ut ſi uoluptas nulla bonũ eſt, nullum etiam bonum uoluptas erit. Aientem autem conuerti neſſe eſt, non tamen omnino & uniuerſe, uerùm aliqua ex parte, hoc modo: Si uoluptas omnis bonum eſt, aliquod etiam bonum erit uoluptas. Earum autem quæ ſpeciales ſunt, ad partemq; accommodantur, aiens ex parte neceſſariò conuertitur: ſi qua enim uoluptas eſt in bonis, etiam aliquid quod eſt in bonis, uoluptas erit. negans autem non neceſſario. Neque enim ſi homo aliquod animal eſt, idcirco animal, non eſt aliquis homo. Sit ergo primum ea quæ negat in totum a b propoſitio, ſi nulli b parti a conueniat, ne ulli quidem ipſius a parti b conueniet. Si cui enim, ut exempli cauſa, c conueniat, non erit uerum nulli b a conuenire, quandoquidem illud c, ipſius b pars quædam eſt. At uerò ſi b, omni a conueniat, aliqua etiam a pars b conueniet. Nam ſi eorum nulli conueniat, ne a quidem ulli b conueniet: atqui poſitum eſt omni conuenire. Quod idem fiet, ſi ſpecialis ſit propoſitio. Si enim a in aliqua b parte dicitur, b etiam in aliqua a parte neceſſario dicetur. Nam ſi in nulla parte dicatur, nec a in ulla b parte intelligetur. Si uerò a, alicui b parte non conueniat, non ne-

*ceſſe eſt etiam b,alicui a parti non conuenire; ut ſi b animal, & a hominem eſſe ponamus. Non enim homo omne animal eſt, cum interea omnis homo animal ſit.*

### CAP. III.

*EAdem eſt ratio neceſſariarum. Nam & quæ omnino negat uniuerſe,& aientium utraq; quadam ex parte reciprocatur. Si enim neceſſe eſt a,nulli b parti cōuenire,b etiam nulli a conueniat neceſſe eſt. Nam ſi cui poteſt,a etiam alicui b parti poterit. Si uerò neceſſe eſt a, uniuerſo b, aut alicui eius parti conuenire,b etiam alicui a parti neceſſariò conueniet. Niſi enim neceſſe ſit, nec a alicui b neceſſe erit conuenire. Quæ autē ex parte negans eſt,non uiciſſim retro commeat, ob eam cauſam quam ſuprà diximus. In ijs uerò enunciationibus, quæ ex contingendi uerbo erunt, quoniam contingere multis modis dicitur(nam & quod neceſſarium eſt, & quod non neceſſarium, & quod fieri poteſt,cōtingere dicimus) aientes omnes eodem modo reciprocantur. Si enim a omni b,aut eius alicui parti contingit, b etiam alicui a cōtingit. Etenim ſi nulli accidat, ne a quidē ulli b accidet. Id enim ſuprà demonſtratum eſt.Negantium autem non eſt eadem ratio, ſed tum denique erit, cum ea quæ cōtingere dicuntur, eò ducūtur, quòd uel neceſſe ſit ea non conuenire,uel nō neceſſe ſit conuenire.Vt ſi quis dicat accidere,ut homo non ſit equus, aut ut candor in nulla ueſte inſit. Horum enim illud neceſſariò non conuenit,hoc non neceſſe eſt conuenire. Eodémque modo propoſitio conuertitur. Si enim cōtingit ut nemo homo equus ſit,hoc etiam contingit, ut equus nullus homo ſit. Et ſi accidit,ut candor in ueſte nulla inſit, ut ueſtis etiam nulli candori conueniat,accidet.Si cui enim neceſſario conueniat, candorem etiam alicui ueſti neceſſe erit conuenire.Hoc enim ſuprà demonſtratum eſt.Eadem eſt ratio eius quæ ex parte negans eſt. At uerò quæ plerumque euenire aut ſolere euenire*

*dicun*



*dicuntur, quemadmodum id quod contingit exponimus, non eodem modo reciprocantur in negantibus, ſed quæ in totum negat propoſitio, minimè uiciſſim retro commeat: quæ autem ex parte, retro commeat, quod planum fiet, cum de eo quod contingit, diſſeremus. Nunc hoc tantum nobis perſpicuum ſit præter ea quæ dicta ſunt, contingere ut nulli, aut ut alicui non conueniat,in ijs eſſe propoſitionibus quæ aiant. Contingit enim,eodem in loco,quo eſt uerbum, habetur: eſt autem uerbum quibuſcunque nominibus in dicendo adiungatur, affirmationem ſemper facit omnino: ueluti eſt non bonum,aut eſt non album, aut omnino, eſt non hoc, quod etiam pòſt docebimus.In reciprocationibus autem ſimilis erit earū ratio, quæ cæterarum. His autem expoſitis, iam ex quibus, & quando quóq; modo omnis raciocinatio conſtet,dicendum eſt. Pòſt diſſeremus de demōſtratione. Antè enim de ratiocinatione dicendū eſt quàm de demōſtratione, propterea quòd latius patet ratiocinatio.Nam & demonſtratio quædam ratiocinatio eſt, nec omnis ratiocinatio,demonſtratio.*

### Prima forma ſeu figura. CAP. IIII.

*IGitur cum tria uerba eam inter ſe rationem habent in oratione, ut & poſtremum in medio toto dicatur, & medium in toto primo dicatur aut non dicatur, ex uerbis ita locatis, perfecta abſolutaque concluſio naſcatur neceſſe eſt. Medium autem uerbum uoco id quod & ipſum in aliquo, & aliud in ipſo dicitur: quod etiam medium locum obtinet: Primū autem id quod ipſum in alio: Extremū uerò id in quo aliud dicitur.Si enim a de omni b,& b de omni c dicitur: a de omni c dicatur neceſſe eſt. Suprà enim dictum eſt,quemadmodum de uniuerſo genere intelligamus. Item ſi a in nullo b, & b in uniuerſo c intelligitur, neceſſe eſt a in nulla c parte intelligi. Si uerò primum uerbum ex omni medio ſit conſequens, & medium nulli extremi parti conueniat, nihil ex illa uerborum*

*rum*

rum collatione concludetur. Nihil enim ob eam cauſam quia ſint poſita & conceſſa ſuperiora, neceſſe eſt effici: fieri enim poteſt, ut & omni & nulli poſtremi uerbi parti primum conueniat. Ita nec ſpecialis nec generalis ſequitur concluſio. Atqui cum nihil neceſſarium eſt, ex ijs non exiſtet ratiocinatio. Verba quibus primum uerbum poſtremo omni ex parte conuenit, ſint hæc: Animal, homo, equus: quibus nulla ex parte, animal, homo, lapis. Itémque cum nec primum uerbum in medio, nec medium in poſtremo intelligitur, ne tum quidem erit ratiocinationi locus. Verba quibus primum uerbum poſtremo omni ex parte conuenire docebitur, erunt hæc: ſcientia, linea, medicina: quibus nulla ex parte, hæc, ſciētia, linea, unio. Cum uerba quidem ad totum genus accommodantur, perſpicuum eſt quando in hac diſpoſitionis forma reliquus ſit locus, & quando non reliquus ratiocinationi: & ſi ei ſit relictus locus, neceſſe eſſe, uerba ipſa eam inter ſe rationem habere, quam expoſuimus: quam ſi habeant, tum fore locum ratiocinationi. Si uerò uerbum unum uniuerſe dicatur, alterum autem quadam ex parte cum altero collatum: cum propoſitio omni ex parte dicit aut negat, aſſumptio autem quadam ex parte dicit, tum abſoluta ratiocinatio ſit neceſſe eſt. Cum autem aſſumptio uniuerſe dicit aut negat, aut quolibet alio modo uerba collocata ſunt, ratiocinatio tractari non poteſt. Ponamus igitur a in omni b, & b in aliqua c parte intelligi: tum ſi in uniuerſo genere dici id declarat, quod initio dictum eſt, neceſſe erit a alicui c conuenire. Et ſi a in nulla b parte, b autem in aliqua c parte dicitur: a in aliqua c parte, non dicatur neceſſe eſt. in nulla enim parte dici quid eſſet explicauimus. Ita perfecta erit abſolutáque ratiocinatio. Eadem etiam erit ratio, ſi aſſumptio indefinita ſit & aiens, eadem enim erit ratiocinatio, ſi indefinita ſpecialiſque ſumatur. Si uerò in totum aiat, uel neget aſſumptio, non erit concluſio neceſſaria, neque indefinita, neq; ſpecialis, ſiue aiat ſiue neget. Veluti ſi a alicui b conueniat aut non cōueniat, & b omni c conueniat. In aientibus uerba ſumēda erunt, bonum, habitus, prudentia in negantibus, bonum, habitus, indocilitas. Rurſus ſi b nulli c conueniat, & a de quadam b parte aut dicatur aut non dicatur, aut non de toto illo dicatur, ne tum quidem neceſſaria ſequetur cōcluſio. In aientibus hæc uerba ſumētur: albus, equus, cygnus: in negantibus, albus, equus, coruus. Eadem etiam ſumenda erunt, ſi propoſitio indefinita ſit. Non ſequitur etiam, cum propoſitio in totum aut dicit aut negat, & ex parte negat aſſumptio ſi indefinita ſpecialiſque ſumatur. Veluti ſi a toti b conueniat, b autem alicui c non conueniat. Cuius enim parti medium uerbum non conuenit: ei & omni & nulla ex parte primum cōueniat neceſſe eſt. Sint enim poſita uerba, animal, homo, albus: deinde eorum etiam quæ alba ſunt, de quibus homo non dicitur, ſumātur cygnus & nix: ita fiet, ut cum animal illi quidem omni, huic autem nulla ex parte conueniat, neceſſaria concluſio non ſequatur. Faciamus rurſum, ut a nulli b parti cōueniat, b autem alicui c parti non conueniat, ſintq; uerba, inanimatus, homo, album, tum ſumantur cygnus & nix, quorum in neutro homo dicatur: Sic enim quod inanimatum eſt de hoc toto, de nulla illius parte dicetur. Præterea quoniam indefinitum eſt, b alicui c non conuenire, id uerum eſt, ut etiam ponamus & nulla & non omni ex parte cōuenire, propterea quòd alicui non cōuenit. Ita ſumptis eiuſmodi uocabulis, quæ nulli cōueniant, nulla concluſio ſequetur. Hoc enim iam diximus. Perſpicuum eſt igitur, ſi ita uerba inter ſe affecta ſint & collocata, nihil neceſſario effici poſſe. Ex his enim etiam poſſet effici, eodem enim modo oſtendetur, cum propoſitio in totum negabit. Ne tum quidem concluſio ſequetur ullo modo, cùm utraque & propoſitio & ſumptio ex parte aient aut negabunt, uel una

*una aiet & negabit altera,uel una indefinita altera definita,
aut utraque indefinita ſumetur.* Omnium *autē uerba commu
nia erunt hæc, animal, album, equus : animal, album, lapis.*
Ex *ijs igitur, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, ſi qua conclu=
ſio partis in hac prima collocationis forma ſequatur, uerba
eo modo,quem dixi,collocari diſponiq; oportere:eo modo &
ordine ſi collocentur, neceſſe eſſe concluſionem ſequi:ſin alio
modo & ordine, non ſequi neceſſariam concluſionem.* Hoc
*etiam perſpicuum eſt, omnes huius formæ perfectas eſſe ra=
tiocinationes, propterea quòd omnes ijs quæ initio ſumpta
ſunt abſoluantur ſuis omnibus partibus.* Illud *etiam, quæſtio=
nes omneis hac diſponendi argumenti forma probari.* Oſten=
*duntur enim & quæ de toto genere, & quæ de nulla eius par
te dicunt, & quæ quadam ex parte aiunt, & quæ quadam
ex parte negant.* Atque *hanc quidem diſpoſitionis formam
primam uoco.*

### Secunda forma. CAP. V.

CVm *autem idem uerbum unius omni, alterius nulli par=
ti conuenit, aut utriuſque omni, aut nulli parti, hanc ta=
lem uoco ſecūdam formam collocationis. Medium autem uer=
bum in ea appello, id quod tam in propoſitioue quàm in ſum=
ptione dicitur. Extrema uerò ea de quibus illud dicitur, quo=
rum primum eſt id quod medio eſt finitimum, poſtremum id
quod ab eodem lōgius. Medium extra fines extremorum illud
quidem collocatur, ſed tamen primum eſt totius collocationis.*
In *hac forma perfecta quidem nulla ſequitur concluſio, po=
terit autem ſequi & cum generales, & cum non generales
erunt ſumptiones. Cum generales erunt, ita denique neceſ=
ſaria concluſio ſequetur, ſi medium uerbum in propoſitione
de toto genere dicat, & in ſumptione in totum neget, aut
contrà, aliter nullo modo ſequitur. Sit enim poſitum m de
nullo n, de omni autem o dici, quoniam negans enunciatio*
*recip*



*reciprocatur, nulli m, n conuenit, m autem omni o poſitum
eſt conuenire : n igitur nulli o conueniet.* Hoc *enim iam antē
demonſtratum eſt.* Rurſus, *ſi m omni n, nulli autem o conue=
niat, ne n quidem ulli o conueniet.* Etenim *ſi m nulli o conue=
nit, nec o ulli m conueniet.* Atqui *m omni n conueniebat, o
autem nulli n conueniet.* Hic *enim rurſus explicata eſt for=
ma prima diſpoſitionis.* Quoniam *negans enunciatio con=
uertitur, ne n quidem in ullo o intelligitur. ita eadem ſeque=
tur concluſio.* Hæc *autem doceri etiam poſſunt ea ratiocina=
tione quæ compellit ad incōmodum.* Hæc *igitur perſpicuum
eſt, ſi ita collocata ſint & affecta inter ſe uocabula, neceſſa=
riam illam quidem ſequi, ſed non perfectam concluſionem.*
Non *enim ijs modo quæ initio dicta ſunt, ſed alijs etiam per=
ficitur neceſſaria concluſio.* Si *autē m & de n, & de o omni
ex parte dicatur, neceſſaria concluſio non ſequetur. in aien=
tibus uerba ſumenda erunt hæc, eſſentia, animal, homo : in ne
gātibus, eſſentia, animal, numerus, ut ſit medium uerbum eſ=
ſentia.* Nec *tum ſequetur, cum m nec de n nec de o ullo dice=
tur.* In *aientibus, uerba erunt hæc, linea, animal, homo : in
negantibus ratiocinationibus hæc, linea, animal, lapis.* Per=
*ſpicuum eſt igitur, ſi neceſſaria concluſio ex propoſitione &
ſumptione generalibus ſequatur, neceſſe eſſe uerba ita diſpo=
ni, & inter ſe affici, ut initio diximus.* Si *enim ſecus collocē=
tur, non ſequetur neceſſaria concluſio.* Quòd *ſi medium uer=
bum de altero in totum dicatur, cum id fiet in propoſitione ſi=
ue affirmando ſiue negando, & in ſumptione ita dicatur, ut
repugnet uniuerſæ enunciationi (repugnare autē dico enun=
ciationem eam, quæ in totum negat ei quæ ex parte dicit : &
eam quæ omni ex parte dicit, ei quæ negat ex parte) neceſ=
ſe erit ſequi quæ ex parte negabit concluſionem.* Si *enim m
nulli n alicui autem o conueniat, n alicui o non conueniat ne=
ceſſe eſt.* Nam *quoniam negans enunciatio conuertitur, nulli*
*m, n*

*m,n cõuenit. Atqui m alicui oppoſitum eſt conuenire. Ita ſit ut n alicui o non conueniat. Tractatur enim per primã formam ratiocinatio. Rurſus ſi m in toto n, in o autem aliquo non intelligatur, neceſſe eſt n in aliqua o parte non intelligi. Si enim omni conueniat, & m de omni n dicatur, neceſſe erit m, omni o parti conuenire. Atqui alicui non conuenire poſitum eſt. Atq; etiam cum m toti n cõueniet, o autẽ non toti, hæc cõcluſio ſequetur, n non omni o conuenire. Cuius eadem probatio eſt. Si uerò de o toto, de n autem non toto m dicatur, non ſequetur concluſio. Verba ad concludendum omni conuenire ſunt hæc, animal, eſſentia, coruus: nulli autẽ cõuenire, animal, album, coruus. Ne tum quidem ſequetur, cũ m & de o nullo, & de quadam n parte dicetur. Verba ad concludendum conuenire ſunt hæc, animal, eſſentia, unio: non conuenire hæc, animal, eſſentia, ſcientia. Atq; illud quidem dictum eſt, quando ſequetur & quando non ſequetur concluſio, ſi contraria ſit enunciatio ei quæ ad partem, ea quæ ad totum genus accommodatur. Cum autem ſimiles ſunt qualitatis propoſitiones, ut ambæ aientes uel negantes, nullo modo cõcluſio ex ijs ſequetur. Sint enim primùm negantes, earúmque prior neget in totum, ueluti m nulli n, alicui autem o non conueniat, fieri certè poterit, ut n & omni o, & nulli conueniat. Verba quidem quibus nulli cõuenire docebitur, hæc erunt, nigrum, nix, animal. Quibus autem uniuerſe conuenire doceamus, nulla ſumi poſſunt, ſi m in aliqua o parte intelligatur, & in aliqua non intelligatur. Si enim m o uniuerſe & in totum conueniat, m autem nulla ex parte, profectò m nulli o parti conueniet. At poſitum eſt alicui conuenire. Hac igitur ex parte uerba ſumi non poſſunt, idq; oſtendendum eſt nullo certo adhibito tempore. Quoniam enim uerum eſt m alicui o non conuenire, & nulli conuenire ponitur, quoniámque cum nulli conueniret nulla concluſio ſequebatur, profectò ne nunc quidem*



*dem ſequetur. Rurſus ponamus eas eſſe aientes, eo deniq; loco generalem collocemus, ueluti m toti n conuenire, idem autem alicui o conueniat: certè & in omni & in nullo o intelligi poterit. Verba quibus nulli conuenire docebitur erunt huiuſmodi, albus, cygnus, lapis: quibus autẽ oſtendamus omni conuenire, nulla inueniri poſſunt propter eandem cauſam quam ſuprà expoſui, ſed nullo certo tempore adhibito id docendum eſt. Si uerò generalis ſit aſſumptio & m in nulla o parte, & in n aliqua dicatur, n & omni & nulli poterit conuenire. Cum docere uolemus conuenire, hæc uerba, album, animal, coruus adhibebimus: cum non cõuenire, hæc, albus, lapis, coruus. Quòd ſi aientes ſint propoſitio & aſſumptio, tum uerba hæc, album, animal, nix, ad docẽdum nõ conuenire ſumemus: ad docendum conuenire hæc, album, animal, cygnus. Perſpicuum eſt igitur cum eiuſdem ſunt qualitatis propoſitio & aſſumptio, ita ut una ad uniuerſum genus, altera ad aliquam generis partem accommodetur, non ſequi ullo modo concluſionem. Nullo etiam modo ſequitur, cum utraque aut ait ex parte aut negat, uel una ex parte ait, ex parte negat altera, uel neutra generalis eſt uel indefinita. Ad hæc docenda omnia, uerba hæc ſumẽda ſunt, album, animal, homo: albũ, animal, inanimatum. ex ijs igitur quæ dicta ſunt perſpici poteſt, ſi uerba ita ut dictum eſt affecta ſint, neceſſariam ſequi concluſionẽ: & ut ſequatur cõcluſio, neceſſe eſſe hoc modo uerba collocari. Hoc etiã perſpicuũ eſt, omneis huius formæ imperfectas eſſe ratiocinationes, perficiuntur enim omnes quibuſdam extrà petitis & aſſumptis, quæ aut in uerbis ipſis neceſſariò inſunt, aut ut conceſſa ponuntur: ueluti cum aliquid incommodo urgentes oſtendimus. Hoc denique etiam perſpicuum eſt, concluſionum quæ hac forma conficiantur, aientem nullam eſſe, uerum negantes omnes, tum eas quæ ad uniuerſum genus, tum eas quæ ad generis partem accomodãtur.*

## De tertia forma.

CVm uerò eidem uerbo toti unū, alterum nulli eius parti conuenit, aut utrumq; toti aut nulli, eiuſmodi collocationis formam tertiam nomino. In ea autem medium uoco id de quo utrumq; dicimus, extrema uerò ea quæ dicūtur. Primum id quod à medio abeſt longius, poſtremum id quod eidem eſt uicinius. In hac medium eſt illud quidem extra fines extremorum poſitum, ſed tamen poſtremū eſt in diſpoſitione. Perfecta quidem concluſio in hac quoq; non conficitur, ſequi autem poteſt, & cum generales ſunt & cū ſpeciales propoſitiones. Cum generales quidem ſunt, ſi & p & r, toti ſ conueniat, cōcluſio hæc ſequetur, p alicui r parti conuenire. Quoniam enim aiens conuertitur alicui r parti s conueniet. ita quoniam p omni s, s autem alicui r conuenit, p alicui r parti conueniat neceſſe eſt: per primam enim diſpoſitionis formam hæc tractatur ratiocinatio. Hoc etiam poteſt & ea qua incommodo urgemus, & ea qua rem exponimus ratiocinatione monſtrari. Si enim utrumq; de toto ſ dicatur, & eorum quæ ſ ſubiecta ſunt aliquid: exempli gratia, n ſumatur, huic & p & r conuenient, & ſi r ſ quidem omni, p autem nulli conueniat, neceſſaria concluſio ſequetur, alicui r p non conuenire. Ita p alicui r conueniet. Eadem enim erit probationis ratio conuerſa r ſ propoſitione. Quod etiam oſtendi poteſt ea ratiocinatione qua incommodo urgemus, quemadmodum in ſuperioribus. At uerò ſi r nulli, p autem omni ſ conueniat, non erit neceſſaria concluſio. Verba quibus conuenire docebitur, hæc erunt, animal, equus, homo: quibus autem non cōuenire hæc, animal, inanimatum, homo. Nec cum utrumque de nulla ſ parte dicitur. Verba ad docēdum cōuenire hæc ſumēda ſunt, animal, equus, animatus: quibus non conuenire, hæc, homo, equus, inanimatus: ut ſit medium inanimati uerbum. Perſpicuum igitur eſt etiam in hac forma collocationis quādo



do ſequatur & quando non ſequatur cōcluſio, quoties generales ſunt propoſitiones. Cū enim propoſitiones aiētes ſunt, concluſio ſequitur, alicui poſtremi uerbi parti primum conuenire. Cum uerò ſunt negantes, non ſequitur. Cum autē una negans erit altera aiens, ſi propoſitio neget aiátq; ſumptio, neceſſario concluſio ſequetur, alicui poſtremi uerbi parti nō conuenire primum. Quod ſi contrà fiat, non erit neceſſaria. Cum uerò una propoſitionum generalis erit ſpecialiſq; altera: ita deniq; neceſſaria concluſio ſequetur ſi utraque aiat, ut generalem utramuis eſſe faciamus. Si enim r quidem omni, p autem alicui ſ conueniat, neceſſe eſt p alicui r conuenire. nam quoniam aiens propoſitio reciprocatur, ſ alicui p conueniet: ita cū r omni ſ, ſ autem alicui p conueniat, r etiā alicui p conueniet: ex quo fit ut p etiam alicui r conueniat. Rurſus ſi r de aliquo ſ, p autem de omni dicatur, p de aliqua r parte dicatur neceſſe eſt: idem eſt enim genus probationis. Quod etiam eo quod fieri non poteſt & expoſitione demonſtrari licet, ſicuti in ſuperioribus. Quòd ſi propoſitio neget, aiat autem quid de uniuerſo genere ſumptio, concluſio ſequetur. Si enim r ſ omni, p autē ſ alicui nō cōueniat, neceſſe eſt p alicui r nō cōuenire. Nam ſi omni, etiam r ſ omni & p ſ omni conueniet. atqui non conueniebat. idem autem docetur ut incommodo non urgeamus, ſi eorum quæ s ſubiecta ſunt aliquid deſignemus in quo p non intelligatur. Cū porrò ait quid propoſitio, ſumptio autem ex parte negat, non ſequetur neceſſaria concluſio, ut ſi p de omni ſ dicatur, r autem de aliquo ſ non dicatur. Verba quibus ex his concluditur omni r p conuenire, hæc ſunt, animatum, homo, animal: quibus autem nulli r p conuenire concludatur reperiri nulla uerba poſſunt, ſi modo r alicui ſ conueniat, alicui autem non conueniat. Si autem nulli r p, r autem ſ alicui conuenit, p etiam alicui ſ non conueniet: atqui poſitum eſt, omni conuenire. Si enim omni

ſ p conuenit, r autem alicui ſ, p etiam alicui r conueniet. at poſitum eſt nulli cōuenire. Sumenda autem ſunt uerba quemadmodum ſupra dictum eſt: ſi enim incertum ſit alicui non conuenire, etiam quod nulli conuenit, uerè dicitur alicui non conuenire: ſi autem nulli conueniat, nihil effici & concludi poteſt. Quòd ſi ea propoſitio quæ negans eſt, ad uniuerſum genus, ea autem quæ dicit ad generis partem accommodetur, tum deniq; cōcluſio ſequetur cum propoſitio negabit, aiétq; ſumptio. Si enim p ſ nulli, r autem alicui ſ conueniat, p r alicui non conueniet: reuocabitur enim ad primam diſponendæ argumentationis formam, ſi r ſ conuerſa ſit propoſitio. Si porrò ſumptio neget, concluſio non ſequetur. Verba cum ſequi uidebitur concluſio aiens, hæc erunt aſſumenda, animal homo, ferum: cum negans ſequi uidetur, animal, ſcientia, ferum, ut medium utriuſq; ſit ferum. Nec tum etiam ſequetur, cum tam propoſitio quàm ſumptio ita erunt negantes ut una ad uniuerſum genus, altera ad partem generis accommodetur. Verba quibus negans concluſio ſequi uidetur cum ſumptio eſt generalis, hæc ſunt, animal, ſcientia, ferum: quibus aiens hæc, animal, homo, ferum. Cum autem propoſitio ad totum genus, & ad generis partem ſumptio accommodatur, uerba quibus negans cōcluſio ſequi uidetur hæc ſunt, coruus, nix, alba res: cum autem ſequi uidetur aiens concluſio, uerba nulla ſumi poſſunt, ſi r alicui ſ conueniat, alicui autē non cōueniat. (Si enim p r omni, r autem ſ alicui cōueniat, p etiā alicui ſ conueniet, cum poſitum ſit non conuenire) ſed ex indefinita & incerta propoſitione probandū eſt. Cōcluſio etiā neceſſaria nō ſequitur, cùm utraq; ſumptio uel ex parte aiet uel negabit, aut una aiet, negabit altera, aut una ad certā partem aut non ad omnem uel etiam ad incertam indefinitámq; partem accommodabitur. Ad id probandum uerba hæc erunt omnium communia, animal, homo, albū: animal, inanimatū, album:



album: quapropter perſpici licet etiam in hac diſpoſitionis forma quoties ſequetur, & quoties non ſequetur concluſio: & ſi uerba eo modo quem dixi collocentur, neceſſariam ſequi concluſionem: & ſi concluſio ſequatur, neceſſe eſſe hoc modo uerba collocari in argumentatione. Perſpicuum etiam illud eſt, imperfectas eſſe omnes huius formæ ratiocinationes: omnes enim aſſumptis quibuſdam ad perfectam formam rediguntur: Illud quoq;, concluſionem generalem nullam per hanc formam effici poſſe, nec negantem nec aientem.

## CAP. VII.

Hoc etiam perſpicuum eſt, quando in omni diſpoſitionis forma concluſio non ſequatur. Si enim utraque propoſitio uel aiens ſit uel negans, & ad generis partem accommodetur, nihil prorſus ex eis neceſſariò efficitur. Cum autem una earum dicit, negat altera, ſi ea quæ negat in toto genere uerſetur, ſemper ſequitur concluſio: ut ſi a omni b aut alicui conueniat, b autem nulli c conueniat, conuerſis propoſitionibus neceſſe eſt c alicui a non conuenire. Quod idem in cæteris formis contingit, ſemper enim propter reciprocationem ſequitur concluſio. Illud etiam perſpicuum eſt, indefinitum ſi pro certæ rei propoſitione quæ aiat ponatur, eādem in omni diſpoſitionis forma effecturam cōcluſionem. Illud quoq; perſpicuum eſt, omnes imperfectas ratiocinationes prima forma poſſe perfici: aut enim directò docendo, aut incommodo concluduntur omnes. Prima autem collocationis forma utramq; rationem probationis ſuppeditat, ac directa quidem probatione perficiuntur, propterea quòd omnes concluduntur conuerſione, quæ primam formam effecit. Incommodo autem urgendo aduerſarios monſtrantur, quòd falſo conceſſo & poſito per primā formā diſpoſitionis ratiocinatio tractatur, ut in tertia forma. Si & a & b omni c conueniant, fit ut alcui b a conueniat: ſi enim nulli b a conueniat b autem omni c conue=

niat, nulli c a conueniet: at poſitum eſt omni conuenire, quod etiam fit in cæteris. Omnes autem ratiocinationes ad omneis primæ formæ eas quæ in toto genere uerſantur, reuocari poſſunt. nam eas quæ ſecundæ formæ ſubiectæ ſunt, perſpicuum eſt illis perfici, niſi quòd non eodem modo omnes, ſed eæ, quæ ſunt generis uniuerſi, conuerſa ea quæ negat propoſitione, utraq; autem earum quæ ad partem generis accommodãtur, ea quæ ad incommodum compellit ratiocinatione. Eæ autem quæ primæ diſpoſitioni attributæ ſpeciales ſunt, per ſe illæ quidem abſoluuntur, ſed tamen incommodo urgẽdo aduerſarium per ſecundam formam probari poſſunt: ut ſi a omni b, b autem alicui c conueniat. profectò c alicui a cõueniet. Si enim nulli, b autem omni conueniat, certè nulli c, b conueniet. Hoc enim nobis ſecunda forma indicat. Similis autem erit etiam eius quæ negat demõſtratio. ſi enim a in nullo b, b autẽ in aliquo c dicatur, profectò a in aliquo c minimè dicetur: ſi enim in omni dicatur, in nullo autẽ b intelligatur, certè nulli c parti b cõueniet: quod media eſt forma diſpoſitionis. Quoniã igitur omnes mediæ formæ ratiocinationes ad primæ eas quæ uniuerſi generis ſunt reuocãtur, eæ autem primæ formæ quæ ad partem generis accommodantur, ad eas quæ ſecundæ attributæ ſunt: perſpicuum eſt eos quoq; modos qui ſpeciales ſunt, reuocari ad primæ collocationis ratiocinationes. Eæ autem quæ in tertia uniuerſum genus complectuntur, ſtatim illis ipſis ratiocinationibus quæ primæ formæ ſunt, abſoluuntur ſuis partibus, & ſpeciales eiuſdem ſpecialibus. Hæ autem ad illas redactæ reuocatæq; ſunt. Ita etiam ſpeciales tertiæ formæ collocationis. Ex quo perſpicuum eſt omneis reuocatum iri ad primæ formæ generales & uniuerſas ratiocinationes. Atque eæ quidem ratiocinationes quæ conuenire aut non conuenire oſtendunt, quemadmodum affectæ ſint & inter ſe eæ, quæ eiuſdem ſunt formæ, & ad alias



eæ quæ aliarum ſunt formarum, diximus.

## De permixtionibus. CAP. VIII.

QVoniam autem aliud eſt conuenire, aliud neceſſario conuenire, aliud poſſe conuenire (multa enim conueniunt, ſed non neceſſariò, alia autem nec neceſſariò, nec omnino conueniunt, ſed poſſunt cõuenire) profectò uniuſcuiuſque horum ratiocinatio alia ſit, uerbáq; non eodem modo inter ſe affecta ſint neceſſe eſt, uerum una ex ſimplici uerbo, altera ex eo quod neceſſarium eſt, tertia ex ijs quæ fieri poſſunt. Ac earum quidem quæ ex eo quod neceſſe eſt conſtant, eadem ferè ratio eſt, quæ earum quæ ſunt ex uerbo ſimplici, quod rem omnino conuenire declarat. Si enim eodem modo uerba collocentur & in ijs quæ ex uerbo ſimplici, & in ijs quæ ex eo quod neceſſarium eſt conuenire, aut non conuenire, conſtant: tum ſequetur, tum non ſequetur concluſio, niſi quòd huius totius, neceſſe eſt conuenire aut non conuenire, adiectione different. Nam & negantes enunciationes eodem modo reciprocantur, & in toto genere intelligi, & de toto genere dici eodem modo explicauimus: ac in cæteris quidem concluſionibus eodem modo conuerſione docebitur concluſio eſſe neceſſaria, quo in ijs quæ ex uerbo ſimplici conſtant. In media autem forma diſpoſitionis tum propoſitio generalis aiet, ſpecialis autem negabit, & rurſus in tertia forma, cum dicet ea quæ ad genus uniuerſum, negabit autem ea quæ ad generis partem accommõdantur: non ſimiliter demonſtrandum eſt, ſed neceſſe eſt cui utrumq; non conueniat exponere, ex eóq; quod uolumus concludere. In eo enim neceſſaria concluſio ſequetur. quòd ſi neceſſaria ſequitur ex eo quod expoſitum deſignatúmq; eſt, etiam ex illo aliquo ſequetur. Quod enim deſignatum eſt, illius eſt quædam particula; utraque autem ratiocinatio per ſuam quæq; collocationis formam conficitur.

## Mixtio verbi neceſſarij & verbi ſimplicis in prima forma diſpoſitionis. CAP. IX.

*FIt etiam interdum ut cum altera propoſitio ex eo quod neceſſe eſt conſtat, neceſſaria ſequatur concluſio: non tamen cum utrauis, ſed cum prima eius generis eſt: ut ſi a, neceſſario b conuenire ſumptum eſt aut non conuenire, b autem ipſi c conuenire tantummodo, profecto ita ſumptis propoſitionibus a c conueniet aut non conueniet neceſſario. Quoniam enim omni b a neceſſario conuenit aut non conuenit, c autem particula eſt b quædam, perſpicuũ eſt etiam c eorum alterutrum neceſſariò fore. Si autem prima propoſitio non ſit ex neceſſario, & ſit ſecunda, non erit neceſſaria concluſio. Si enim ſit, fiet ut a b alicui conueniat neceſſariò, & per primam & per tertiam formam tractata argumentatione, quod falſum eſt. Fieri enim poteſt ut b ſit eiuſmodi, in quo nulla ex parte c intelligatur. Præterea ex uerbis etiã intelligi licet non fore neceſſariam concluſionem: ut ſi a ſit motus, & b animal, c homo. Animal enim homo eſt neceſſariò, cum interim non neceſſe eſt nec animal nec hominẽ moueri. Idem fiet ſi prima ſit negans, eadem enim erit demonſtratio. In ratiocinationibus autem quæ ſpeciales ſunt, ſi ea propoſitio quæ ad totum genus accommodatur, ex neceſſarij uerbo conſtet, concluſio etiam neceſſaria ſequetur: ſi uerò ſpecialis conſtet, non ſequetur, ſiue neget ſiue aiat generalis enunciatio. Sit igitur primùm generalis propoſitio neceſſaria, & a omni neceſſariò conuenire ponamus, b autem alicui c tantum conuenire, certè a c alicui neceſſariò conueniat neceſſe eſt. C enim quædam eſt b particula, & omni b a poſitum eſt conuenire neceſſarió. Idem etiam fiet ſi neget concluſio, eodem enim modo probandum erit. At uerò ſi in ſpeciali propoſitione uerbum neceſſarij collocetur, neceſſaria concluſio non ſequetur. Nihil enim incommodi ſequetur,*

*quem*



*quemadmodum nec in ijs concluſionibus quæ ad totum genus accommodantur. Itémque in ijs quæ negant. Verba ad id refellendum apta erunt hæc, motus, animal, album.*

## In ſecunda forma mixtionis. CAP. X.

*IN ſecunda autem figura, ſi propoſitio negans uerbum neceſſarij habeat, idem etiam uerbum recipiet concluſio: ſin in aiente poſitum ſit, concluſio ex neceſſario non ſequetur. Eſto enim primùm ea quæ negat neceſſaria, & a nulli b fortuito conueniat, b autem ſolum conueniat quoniam negans conuertitur, ne b quidem a ulli conuenire poteſt. Quoniam autem a c omni conuenit, fit ut nulli c b conuenire poſſit. C enim ſub a ſubiectum eſt. Eadem erit ratio ſi ſumptionem negantem eſſe ponamus. Si enim a, c nulli conuenire poteſt, nec c quidem ulli a poteſt conuenire. At uerò a b omni conuenit, ita nulli b c conuenire ullo modo poteſt. Ad primã enim formam hæc reuocatur ratiocinatio. Non igitur b in c intelligi poteſt, eodem enim modo conuertitur. Si uerò aiens propoſitio ſit neceſſaria, concluſio eiuſdem generis non ſequetur. Ponamus enim a b omni neceſſariò conuenire, c autem nulli conuenire tantummodo, conuerſa quidem ea quæ negat prima forma redit collocationis. In prima autem demonſtratum eſt ſi ex eo quod neceſſarium eſt non conſtet prima quæ neget propoſitio, non fore eiuſdem generis concluſionem: ita ne in his quidem eam neceſſe eſt effici. Iam uerò ſi neceſſaria eſt concluſio, efficitur c a alicui neceſſariò non conuenire. Si enim b c nulli neceſſariò conueniat, nec c b ulli neceſſariò conueniet. Atqui b a alicui neceſſe eſt conuenire, ſiquidem etiam a b omni conueniebat neceſſariò. ex quo fit ut etiam c in aliquo a neceſſariò non intelligatur. Atqui nihil prohibet aliquid eiuſmodi ſumi, cui omni c poteſt cõuenire. Præterea explicandis deſignandiſque uocabulis oſtendi poteſt non ſequi omnino neceſſariam concluſionem, ſed his poſitis & conceſſis, neceſ-*

ſariam. Vt eſto a animal, b homo, c album, eodémque modò ſumantur propoſitiones: fieri poteſt ut nihil eorum quæ alba ſunt ſit animal, ita nihil etiam eorum quæ alba ſunt, homo erit: ſed non neceſſario, quandoquidem accidit ut homo ſit albus, etſi non quandiu nihil quod album ſit, eſt animal: ita his quidem poſitis & conſtitutis, neceſſaria eſt concluſio, abſolutè autem non neceſſaria. Quod idem continget in ſpecialibus ratiocinationibus. Cum enim negãs propoſitio generalis erit & ex neceſſarij uerbo conſtabit, neceſſaria etiam ſequetur concluſio. Cum autem aiens generalis erit & neceſſaria, negans autem ſpecialis, & non neceſſaria: concluſio in qua uerbum neceſſarij poſitum ſit nõ ſequetur. Sit igitur primum negans propoſitio & generalis & neceſſaria.i. quæ ex neceſſarij uerbo conſtet, & a, b quidem nulli conuenire poſſe ponamus, c autem alicui conueniat: quoniam quidem negans conuertitur, nec b, a ulli poterit conuenire, atqui a, c alicui conuenit, ita fit ut neceſſe ſit b, c alicui non conuenire. Rurſus ſit aiens propoſitio tum generalis tum neceſſaria, eáque prima omnium ponatur: ſi a, b omni neceſſariò conueniat, c autem alicui non conueniat, non eſt id quidem dubium, quin b, c alicui non conueniat, ſed non neceſſariò. Eadem enim uerba ad demonſtrandum adhibebuntur quæ in generalibus ratiocinationibus: quoniam ne tum quidem neceſſaria concluſio ſequitur, cum in ea propoſitione quæ ex parte negat, ponitur neceſſarium: ijſdem enim uerbis ad id probandum utemur.

## Tertiæ formæ mixtiones.

IN poſtrema uerò forma diſponendæ argumentationis ſi propoſitiones & generales ſint & aientes, & utrauis neceſſarij uerbum complectatur, ex eis neceſſaria in qua neceſſarij uerbum ponitur ſequetur concluſio. Si autem altera tantum aiat, cum in negante neceſſarij uerbum collocatur,

conc



concluſio etiam in qua neceſſarij uerbum poſitum erit ſequetur: cum uerò in aiente collocabitur, non ſequetur. Sint autem primùm aientes ambæ propoſitiones, & a atque b toti c conuenire ponãtur, in primaq́; propoſitione neceſſarij uerbũ collocatum ſit: quoniam b, c toti cõuenit, c etiã b alicui conueniet, propterea quòd propoſitio generalis in ſpecialẽ conuertitur: ita ſi a, c omni neceſſariò conueniat, & c, b alicui conueniat, a etiam b alicui conueniet neceſſariò, præſertim cũ b, c ut pars generi ſubiectũ eſt. Hoc igitur modo redit prima forma collocationis. Eodẽ etiam modo oſtendetur ſi ſumptioni neceſſarij uerbum adiõgatur. Nam quoniã c in a partem quandã conuertitur, ſi in omni c, b neceſſariò intelligatur, c autem a alicui conueniat, alicui etiã a parti, b neceſſario conueniet. Rurſus eſto prima propoſitio negans cui neceſſarij uerbum adiunctum ſit, ſecunda autem aiens: quia aiens cõuertitur, c b alicui conueniet, a autẽ nulli c neceſſario: ita fiet ut a, b alicui neceſſe ſit non conuenire. b enim ſub c ut pars ſubiectum eſt. quòd ſi in ea quæ ait neceſſarij uerbũ collocetur, non ſequetur neceſſarij concluſio. Sit enim ſumptio aiens, eiq́; neceſſarij uerbum adiunctum ſit, propoſitio autem neget, in eaq́; neceſſarij uerbum non collocetur, quoniam aiens conuertitur, c etiam b alicui neceſſariò cõueniet: ita ſi a, c nulli, c autem b alicui cõueniat, profectò a, b alicui non conueniet, ſed non neceſſariò. Demonſtratum eſt enim in prima forma diſponendæ argumentationis ſi neganti propoſitioni uerbũ neceſſarij non adiungatur, concluſionem minimè ſequi in qua idem uerbũ collocetur. Atque etiam ex uerbis ipſis hoc perſpici poteſt. Sit enim a bonum, b animal, c equus: bonum quidem nulli equo conuenire poteſt, animal autem omni neceſſario conuenit. At non neceſſe eſt aliquod animal non eſſe bonum, quandoquidem accidit ut omne ſit bonum. Aut ſi minus hoc fieri poteſt, at certè uigilare uel dormire uerba ſumenda ſunt, utrumque

enim

*enim in omne animal cadere poteſt. Ac ſi generales ſint ambæ propoſitiones, quoties ſequetur neceſſarij concluſio diximus. Si autē una ſit generalis, altera ſpecialis, & utraq; aiat, quoties generali neceſſarij uerbum adiungitur, eiuſdem generis concluſio ſequetur: eadem erit quæ ſuprà fuit probatio. Quoniam enim aiens etiam propoſitio ſpecialis conuertitur, ſi neceſſe eſt b, c omni conuenire, & a ſub c ſubiectum eſt, certè b a alicui conueniat neceſſe eſt. quòd ſi b a alicui conueniat, neceſſe eſt etiam a b alicui conuenire. Retrò enim commeat argumentatio. Idem fiet ſi in prima propoſitione quæ ſit generalis collocatum ſit uerbū neceſſarij. b enim ſub c ſubiectum eſt. At uerò ſi propoſitio ſpecialis ſit neceſſaria, non ſequetur neceſſarij concluſio. Eſto enim ſumptio ſpecialis, in eaq́; neceſſarij uerbum ſit collocatum, a autem c omni conuenire ponatur, non tamen neceſſariò: conuerſa ſumptione, prima forma naſcitur, ac tum generali propoſitioni neceſſarij uerbum non erit adiunctum, & ſpeciali erit: atqui quoties eo ordine propoſitiones diſpoſitæ ſunt, non erat neceſſaria concluſio, ita ne in his quidē ſequetur. Ex uerbis quoq; id perſpici licet. Sit enim a uigilia, b bipes, c animal: b quidem c alicui neceſſe eſt conuenire, accidit autem ut a c omni conueniat, a etiam b non neceſſariò conuenit: neq; enim neceſſe eſt id dormire aut uigilare quod ſit bipes. Itemq́; ijſdem uerbis demonſtrabitur ſi primæ propoſitioni quæ ſit ſpecialis adiungatur neceſſarium, concluſionē neceſſarij non ſequi. Si uerò una propoſitio aiat & neget altera, quoties generalis negat eiq́; neceſſarium adiungitur, concluſio etiam ex neceſſario ſequetur. Si enim a c nulli poteſt conuenire neceſſariò, b autem c alicui conuenit, a b alicui neceſſe eſt non conuenire. Quoties uerò aienti propoſitioni neceſſarium adiungitur, eaq́; ad totum genus aut ad partem accommodatur, aut in negante quæ ſpecialis eſt idem uerbum collocatur, non ſequitur ex neceſſario concluſio.*

Nam



*Nam cætera alia eadem dicemus, quæ in ſuperioribus. Verba autem cum propoſitio toto de genere dicet adiunctúmque neceſſarium habebit, hæc adhibebimus, uigilia, animal, homo, ut ſit homo mediū: cum autem de parte dicet idemq́; uerbum continebit, uigilia, animal, album. Animal enim neceſſariò alicui quod album eſt conuenit, accidit autem ut uigilia nulli conueniat, nec neceſſe eſt uigiliam alicui animali non conuenire. Cum uerò neganti propoſitioni quæ ſpecialis eſt neceſſarij uerbum adiungitur, hæc ſumēda erunt, bipes, motus, animal, medium animal. Perſpicuum igitur eſt ex uerbo ſimplici concluſionem non ſequi, niſi utraque propoſitio ex uerbo ſimplici conſtet. Ex neceſſario autem ſequi etiam tum cum una tantum eſt ex neceſſario, in utroque autem genere cum & aientes ſunt & negantes concluſiones, neceſſe eſſe alteram propoſitionem ſimilem eſſe concluſioni. Dico autem ſimilem ut ſi concluſio ex uerbo conſtet quod rem ſimpliciter conuenire declarat, altera propoſitio ex eodem, ſi ex neceſſario ex eodem uerbo conſtabit. Ex quo illud etiam perſpicuum eſt, non fore concluſionem nec ex neceſſario nec ex uerbo ſimplici, niſi eiuſdem generis ſumpta propoſitione. Ac de neceſſario quidem quemadmodum conficitur & tractatur, & quid à uerbo quod rem ſimplicem conuenire indicat, differat, ſatis ferè dictum eſt.*

### Mixtio contingētis, earúmque propoſitionum & ratiocinationum in quibus ponitur, & eius conuerſionis. CAP. XII.

HIs *autem poſitis deinceps quando, & quomodo, & per quæ ex contingenti conficiantur ratiocinationes dicamus. Dico autem contingere & contingens id quod non eſt neceſſarium, quoq́; poſito nihil ſequetur incōmodi. Neceſſariū enim ambiguè ac impropriè contingere dicimus, id autē eſſe contingens tum ex negationibus tum ex affirmationibus*

oppoſ

oppoſitis perſpici poteſt. Nã hæc tria, non contingit ut ſit, & non poteſt eſſe, & neceſſe eſt nõ eſſe, uel eadem ſunt, uel alia alijs conſequuntur. Itaq; ea etiam quæ his contraria ſunt, contingit ut ſit, fieri poteſt ut ſit, & non neceſſe eſt non eſſe, aut eadẽ ſunt, aut alia alijs conſequẽtia, præſertim cũ de re omni aut affirmatio dicatur, aut negatio. Erit igitur id quod euenit non neceſſariũ, & quod non eſt neceſſariũ euenit. Omnes autẽ quæ ex contingenti ſunt propoſitiones, aliæ in alias conuerti poſſunt. Dico autem non eas quæ aiunt, in negantes: ſed eas quæ ſpeciẽ aientium gerunt, in contrarias. Vt hæc, contingit ut ſit, in illam, contingit ut non ſit: & hæc, cõtingit omnibus ut ſint, in illam, nulli aut non omni contingit ut ſit: & alicui contingit ut ſit, in illam, non omni contingit ut ſit. Eadem eſt ratio cæterorum, quoniam enim id quod euenit non eſt neceſſarium, quod autem non eſt neceſſarium, id non eſſe poteſt: profecto ſi accidit ut a b cõueniat, ei etiã ut non cõueniat fieri poteſt: & ſi accidit ut omni cõueniat, fieri etiã poteſt ut nõ cõueniat. Quod etiã fit in ijs propoſitionibus quæ ad partẽ accommodantur, eadẽ enim demõſtratio eſt. Sunt autem huiuſmodi aientes, non negantes propoſitiones. Contingere enim queẽadmodum dictum eſt, ſimili modo quo eſſe ſtatuitur. his autem conſtitutis rurſus dicamus contingere aliquid dici duobus modis: uno plerumq; fieri, non neceſſariò: ut hominem caneſcere, aut creſcere, aut minui, aut omnino quod natura ineſt. hoc enim non perpetuam habet neceſsitatem, propterea quòd non ſemper homo eſt in rerum natura. Si autem ſit homo, uel neceſſariò, uel plerumq; conuenit. Alio autem modo id contingere dicitur, quod indefinitum eſt, quódque & hoc & non hoc modo poteſt conuenire: ut animal ambulare, aut eo ambulante terræmotum fieri, aut omnino quod fortè, temerè, & caſu fit: neque enim in hanc partẽ magis quàm in contrariam incidere ſolet. Ac utrumq; quidem contingendi genus



nus in cõtrarias etiam propoſitiones, ſed non eodẽ modo conuertitur, uerum id quod natura cõuenire ſolet in id quod non neceſſariò conuenit: ſic enim fieri poteſt ut homo non caneſcat. Quod autem indefinitum incertúmque eſt, in id conuertitur quod non magis in hanc quàm in illam partem inclinat. Scientia autem & concluſio quæ demonſtrando & quaſi cogendo efficitur, in ijs quidem quæ indefinita ſunt, non uerſatur, propterea quòd medium uerbũ incertum eſt: in ijs autem quæ natura conueniunt uerſatur, ac ferè in ijs quæ hoc modo eueniunt omnis & diſputatio & tractatio conſumitur. Illo autem modo fieri poteſt ut ratiocinatio tractetur, etſi in diſputationẽ non ſoleat incurrere. Ac de his quidem commodius infrà diſputabimus. Nunc autem dicamus quando, quomodo, & quæ concluſio ex propoſitionibus quibus uerbum contingendi adiunctum eſt, ſequatur. Quoniam autem duobus modis intelligi poteſt accidere ut hoc illi conueniat (nam aut cui hoc cõuenit, aut cui accidit ut ipſum cõueniat. Accidere enim ut de quo b a etiam dicatur, horum duorum alterum ſignificat, aut de quo b dicitur a dici, aut de quo accidit ut dicatur. Hæc autem duo, de quo b contingere ut a dicatur, aut omni b a poſſe conuenire, nihil differunt) perſpicuum eſt duobus modis dici a b omni poſſe conuenire. Primùm igitur dicamus ſi de quo c b, & de quo b a contingit dici, quæ erit, qualiſque ratiocinatio? ſic enim utraque ex uerbo contingendi propoſitio ſumitur: cum autem ita enunciamus, cui b conuenit, a contingere ut conueniat: illa ex ſimplici, hæc ex contingendi uerbo propoſitio eſt. Quocirca ab ijs quæ eiuſdem generis ſunt incipiendum nobis eſt, quemadmodum adhuc fecimus.

Cum igitur a b omni fortuitò conuenit, & b c omni, perfecta ſequetur concluſio, a c omni fortuitò conuenire: idque ex definitione intelligi licet. Omni enim fortuitò conuenire hoc

hoc modo definimus, itemq; ſi a b nulli caſu conuenit, b autem c nulli, fit ut a c nulli caſu contingat. De quo enim b caſu dicitur, a non caſu dici, idem eſt quod nihil relinqui eorum quæ b ſubiecta caſu dicerentur. Cum autem a b omni fortuitò conuenit, b autem c nulli fortuito conuenit, ex ſumptionibus quidem nulla ſequitur concluſio, conuerſa autem earum ſecunda, more earum quæ ſunt ex contingendi uerbo, eadem quæ prius ſequetur. Quoniam enim contingit ut b c nulli conueniat, accidit etiam ut de omni dicatur. Hoc enim ſuprà dictum eſt, ita ſi b c omni, a autem b omni, rurſus eadem efficitur concluſio. Idem fiet ſi utraq; propoſitio ſit negans ex contingẽdi uerbo: ut ſi accidat ut a b nulli conueniat, & b c nulli, ex his propoſitionibus quæ ſumptæ ſunt nulla concluſio ſequitur, conuerſis autem propoſitionibus eadẽ rurſus erit quæ prius. Perſpicuum eſt igitur ſi aſſumptio neget uel utraq; propoſitio, aut non ſequi concluſionem, aut ſequi illam quidem, ſed non perfectam ſuis omnibus partibus, ex cõuerſione enim neceſſarium concluditur. Si uerò una propoſitionum ad totum genus, altera autem ad partem accommodetur, ita tamen ut prima ſit generalis, perfecta ſequetur concluſio. Si enim contingit ut a b omni conueniat, b autem c alicui, accidet etiam ut a c alicui conueniat. Quod perſpici poteſt ex definitione qua quid eſſe aliquid omni contingere explicauimus. Rurſus ſi accidit ut a in nullo b, & accidit ut b in aliquo c dicatur, neceſſe eſt accidere ut a in aliquo c non intelligatur, cuius eadẽ eſt demonſtratio. At ſi ſpecialis propoſitio neget, generalis autem aiat, eodemq; ordine quo ſuprà, collocentur: ut ſi a b omni fortuitò conuenit, b autem c alicui fortuitò non conuenit, ex ſumptionibus quidem nulla perſpicuè efficietur concluſio: conuerſa autem ſpeciali propoſitione, ita ut ponatur b c alicui fortuito conuenire, eadem quæ prius quemadmodum initio concluſio ſequetur. Quòd ſi propoſitio ipſa

ſit



ſit ſpecialis, generalis autem ſumptio, ſiue aientes ambæ ſiue negantes ſumantur, ſiue non unius generis, ſiue indefinitæ, ſiue ſpeciales, nullo modo ſequetur concluſio. Nihil enim prohibet b ad plura quàm a pertinere, nec in rebus paribus dici, quo autem a ſuperatur ab ipſo b, c deſignetur; ei non omni, nec nulli, nec alicui, nec non alicui poteſt a conuenire, ſiquidem conuertuntur ex uerbo contingendi propoſitiones, & b pluribus quàm a conuenire poteſt, quod etiam ex uerbis intelligi licet. Sic enim affectis & collocatis propoſitionibus, primum uerbum poſtremo fortuito nulli & omni neceſſario conuenit. Verba omnium communia ac primum quibus primum poſtremo conueniet neceſſario, animal, album, homo, deinde quibus non fortuito conuenire concludentur, animal, album, tunica: ex quibus perſpicuum eſt ex propoſitionibus hoc modo inter ſe affectis, nullam ſequi concluſionem. Aut enim ex ſimplici, aut ex eo quod neceſſarium eſt, aut ex contingendi uerbo omnis ratiocinatio conficitur. ac uerbi quidem ſimplicis & neceſſarij perſpicuum eſt non ſequi concluſionem. Ea enim quæ ait, negante, & negans aiente euertitur, relinquitur autem ex contingendi uerbo concluſio, quod fieri non poteſt. Demonſtratum eſt enim ex hac uerborum & propoſitionum collocatione effici neceſſario, ut primum uerbum poſtremo & omni & nulla ex parte fortuito conueniat. Ita non erit ex uerbo contingendi cõcluſio, præſertim cum oſtenderimus quod neceſſarium eſt non eſſe contingens ac fortuitum. Perſpicuum eſt igitur ſi propoſitiones ex contingendi uerbo ſint generales, ſemper ex eis in prima collocationis forma concluſionem ſequi, ſiue aiant, ſiue negent: niſi quòd ſi aiant perfecta: ſin negent, imperfecta ſequitur. Contingendi autem uerbum ſumendum eſt non pro neceſſario, ſed quemadmodum diffiniuimus, cuiuſmodi ſæpe conturbat.

## Mixtio verbi contingendi, & verbi ſimplicis in prima forma collocationis. CAP. XIIII.

*SI uerò propoſitionũ una omnino conuenire, altera autem accidere ut conueniat ſignificet, quando prima accidere ut conueniat, ſiue fortuito conuenire declarabit, perfectæ erunt omnes concluſiones & ex contingendi uerbo, eo modo quem explicauimus. Cum autem ſumptio ipſa erit ex contingendi uerbo, imperfectæ erunt omnes & negãtes ratiocinationes, non ex cõtingendi uerbo quod definitum eſt, ſed ex eo quo nulli, aut non omni neceſſario conuenire dicitur. Si enim nulli aut non omni neceſſario cõtingere dicamus, nulli etiam & non omni dicemus conuenire. Poſitum enim ſit a omni b accidere, b autem c omni conuenire, quoniam c ſub b ſubiectum eſt, a autem b omni contingit, profecto c etiam omni continget. Ita perfecta ratiocinatio tractatur. Similitérque ſi propoſitio neget, ſumptio autem aiat, ita tamen ut in propoſitione uerbum contingendi, in ſumptione autem ſimplex uerbum collocetur, perfecta concluſio ſequctur, contingere ut a c nulli conueniat: atque illud quidem perſpicuum eſt, ſi ſumptio ex uerbo ſimplici conſtet, perfectas ſequi concluſiones. Sequi autem concluſiones ſi contrà fiat, incommodo erit demonſtrandum: ex quo etiam unà perſpicuum eſt, eas imperfectas eſſe concluſiones, præſertim cum ex ijs quæ ſumpta ſunt, non petatur fides. Primum autem dicendum eſt, ſi a ſit in rerum natura, b eſſe neceſſariò: & ſi eſſe poßit a, b etiam neceſſariò eſſe poſſe. His enim ita conſtitutis ponatur a poſſe eſſe, b autẽ non poſſe: ſi a quod eſſe poteſt, quia eſſe poteſt, fieri poßit: etiã quod eſſe non poteſt, quia non poteſt eſſe, nunquã fieri poteſt. Præterea ſi a eſſe poteſt b autẽ nõ poteſt, accidere poteſt, ut a ſine b fieri poßit: ſi ut fieri poßit, etiam ut ſit. Quod enim factum eſt, cum factum eſt, eſt. Sumendum eſt autem id quod poteſt & non poteſt, non ſolum*





*in ea ſignificatione, qua hoc fieri, ſed in ea etiam qua uerbum eſſe, & re uera eſſe aliquid dicitur, & quocunq; alio modo aliquid omnino poſſe dicitur. In omnibus enim eodem modo res habebit. Iam cum b eſſe ſi a ſit dicitur, non ita intelligere debemus, quaſi ex eo quia a ſit tanquàm unum, b eſſe dicatur: neq; enim quicquàm ex eo neceſſariò ſequitur, quia unũ aliquid eſt, ſed quia duo ſunt: ueluti cum duæ propoſitiones ita affectæ ſunt inter ſe, ut dictum eſt in ratiocinatione. Si enim c de d, d autem de e dicatur, c etiam de e dicetur neceſſariò. Et ſi utrumq; fieri poteſt, etiam in ijs quæ fieri poſſunt erit concluſio. Vt ſi quis ſtatuat a eſſe propoſitiones, & b concluſionem, efficietur nõ ſolum quia a neceſſaria eſt, ſimul etiam b eſſe neceſſarium, ſed etiam quia in ijs eſt quæ fieri poſſunt, in his etiam quæ fieri poſſunt eſſe concluſionem. Quo demonſtrato perſpicuum eſt poſito conceßóq; falſo quod in ijs non ſit quæ fieri non poſſunt, id etiam quod efficiatur ex conceſſis futurum, quod non in ijs ſit quæ fieri non poſſunt. Vt ſi a falſum eſt, non tamen, ut ita dicam, impoßibile, & ſi a ſit, b erit, b etiam erit falſum, non tamen in ijs quæ fieri non poſſunt. Nam quoniam demonſtratum eſt ſi a ſit etiam b eſſe, & ſi in ijs ſit a quæ fieri poſſunt, b etiam eſſe: ponitur autem a in ijs quæ fieri poſſunt, erit igitur etiam b, ut ita dicam, poßibile. Si enim ſit, ut ita dicam, impoßibile, ſimul erit idem in ijs quæ fieri poſſunt, & in ijs quæ non poſſunt. His autem conſtitutis a ponatur in omni b intelligi, b autem in omni c caſu intelligatur: neceſſe eſt cõtingere ut a omni c intelligatur. Quod ſi non placet, non contingere ponatur, & b c omni conueniat, ita ut id falſum ſit, non tamen in ijs quæ fieri non poſſunt: ſi a non contingat ut de omni c dicatur, b autem de omni c dicatur, a certè continget ut omni b conueniat. eſt enim tertiæ formæ ratiocinatio: atqui ponebatur omni conuenire poſſe. Neceſſe eſt igitur contingere a ut de*

omni c dicatur.conceſſo enim falſo,quod non eſt in ijs quæ fieri non poſſunt, erit in ijs quæ fieri non poſſunt concluſio. Fieri etiam poteſt ut per primam collocationis formam incommodo urgeamus,ſi in c b dici ponamus.Si enim b c omni conueniat,a autem contingat ut omni b conueniat,a etiã continget ut in omni c intelligatur: at ponebatur non in omni poſſe.Sumendum eſt autem toti generi conuenire,non conſtituto tempore,ut nũc & in hoc tempore, ſed omnino.ex propoſitionibus enim eiuſmodi aliquid concludimus,quandoquidem ſi propoſitio ad tempus inſtans accommodetur, non ſequetur concluſio.nihil enim certè prohibet hominem eſſe id omne quod interdum mouetur. Vt ſi aliud nihil mouetur,& ei accidit ut omnis equus moueatur,cum interim non accidat, aut fieri non poßit ut ullus equus ſit homo.Præterea ſit primum uerbum animal,medium autem quod mouetur, poſtremum homo:tum propoſitiones eodem modo affectæ erunt, concluſio neceſſaria, non ut ita dicã,contingens.Homo enim neceſſariò eſt animal.Perſpicuum igitur eſt totum genus ſumendum eſſe omnino & in totum,non tempore ullo circũſcribendum.Rurſus eſto negãs omni ex parte propoſitio, ſumatúrq; a b nulli conuenire,b autem cõtingat ut omni c conueniat,profecto his ita poſitis neceſſe eſt a contingere ut c nulli conueniat. Si enim non contingere ponatur,& b in c intelligatur, ut prius,certè neceſſe eſt a in b aliquo intelligi:hæc enim ratiocinatio per tertiã formam conficitur,quod fieri nõ poteſt.Ita cõtinget a ut in c nullo intelligatur. Ex falſo enim quod in ijs non eſt quæ fieri non poſſunt concluſio ſequitur,ut ita dicam,impoßibilis.Hæc igitur talis ratiocinatio nõ eſt ex eo contingenti quod explicatum eſt ac definitum, ſed ex eo quòd nulli neceſſario conuenirc ponatur. Eſt enim hæc eius quod conceſſum eſt repugnantia, quandoquidem conceſſum eſt neceſſe eſſe a c alicui conuenire, ratiocinatio autem qua

incom



incommodo urgemus contrariæ & repugnantis propoſitionis concluſio eſt.Atq; etiam ex uerbis perſpici licet non ſequi ex contingendi uerbo concluſionem.Sit enim a coruus, b quod ratiocinatur,c homo:nulli quidem b a conuenit ( nihil enim quod ratiocinatur eſt coruus ) b autem contingit ut in omni c dicatur,omnis enim homo ratiocinari poteſt. At a c nulli neceſſariò conuenit,non igitur contingens eſt concluſio, atqui ne neceſſaria quidem ſemper eſt.Sit enim a quod mouetur,b ſcientia,c homo:a quidem b nulli conuenit,b autem cõtingit ut in omni c intelligatur: quibus poſitis concluſio neceſſaria nõ ſequetur.Neq; enim neceſſe eſt neminem hominem moueri,nec aliquem quidem neceſſe eſt.Hoc igitur perſpicuũ eſt,concluſionem ſequi quæ nulli neceſſariò conuenire declaret.Verba autem commodius ſumẽda ſunt.Si autem ſumptio ſit negans & contingere ſignificet ex ijs quidem quæ ſumpta erunt,nulla cõcluſio ſequetur.conuerſa autem ea propoſitione cui uerbum contingendi adiunctum eſt, eadem quæ prius ſequetur. Ponatur enim a b omni conuenire,b autẽ cõtingat ut in c nullo dicatur, ita collocatis uerbis nihil ſequi erit neceſſe.At ſi conuertatur aſſumptio,ita ut b ſumatur c omni cõtingere, quemadmodum anteà concluſio efficitur, quippe cùm eadem ſit uerborum collocatio.Eodémq; modo ſi utraq; propoſitio neget,ita tamen ut prior non conuenire,poſterior autem nulli fortuitò conuenire ſignificet.ex ipſis quidẽ propoſitionibus nihil neceſſariò efficitur,conuerſa autem aſſumptione ex contingendi uerbo ſequetur concluſio. Sumatur enim a b nulli conuenire, b autem contingat ut c nulli conueniat:ex his nihil efficietur.Si autem ſumatur b c omni fortuitò conuenire,id quod uerum eſt, & prior propoſitio eodem modo ſit affecta,rurſus eadem concluſio ſequetur. At uerò ſi b c omni non conuenire ponatur, & non contingere ut non cõueniat,nihil quicquàm efficietur ullo modo ſiue ne

get ſiue aiat prior enunciatio. Verba communia quibus primum uerbum extremo neceſſario conuenire concludemus, erunt hæc, album, animal, nix: quibus autem non contingere, album, animal, pix. Perſpicuum eſt igitur ſi propoſitiones ad uniuerſum genus accommodentur, quarum una conuenire altera contingere, ſignificet, tum deniq; neceſſariam ſequi concluſionem cum aſſumptioni uerbum contingendi adiungitur. Sed tamen aliàs ex ipſis, aliàs conuerſa una propoſitione ſequitur: quorum utrumq; quando & qua de cauſa fieret diximus. Quòd ſi propoſitio una ad uniuerſum genus accommodetur, altera ad partem, cum prior generalis erit & ex contingendi uerbo ſiue neget ſiue aiat, ſpecialis autem ait & ex uerbo ſimplici conſtat, tum perfecta ſequetur concluſio, quemadmodum etiam cum generales ſunt propoſitiones, cuius eadem erit quæ prius demonſtratio. Quoties autem propoſitio erit generalis, ſimpléxq; uerbum, non contingendi complectetur, & ſumptio erit ſpecialis ex contingendi uerbo, ſiue ambæ aiant ſiue negent, ſiue una neget aiátque altera, omnino erit imperfecta concluſio: niſi quòd alia ex eo quod fieri non poteſt oſtendetur, alia per conuerſionem eius propoſitionis cui uerbum contingendi erit adiunctum, quemadmodum in ſuperioribus. Efficietur etiam tum per conuerſionem concluſio, cum propoſitio generalis conuenire aut non conuenire declarabit, aſſumptioni autem neganti adiunctum erit contingendi uerbum. Vt ſi a b omni conuenit, aut nõ conuenit, b autem contingit ut alicui c non conueniat, aſſumptione contingentis ratione ac more conuerſa, efficitur concluſio: Cum autem aſſumptio ſpecialis ſignificat non conuenire, non efficitur. Verba quibus conuenire primum uerbum poſtremo docebimus, album, animal, nix: quibus non conuenire, album, animal, pix. ex indefinita etiam repetenda eſt fides. Si uero generalis ponatur aſſumptio & propoſitio ſpecialis, ſiue neget



get ſiue aiat utralibet, ſiue contingendi uerbum, ſiue ſimplex adiunctum habeat, neceſſaria concluſio non ſequetur, nec tum ſequetur cum ſpeciales aut indefinitæ ponentur propoſitiones, ſiue contingendi uerbum adiungas ſiue ſimplex, ut etiam hæc ipſa commutes. Erit autem huius rei eadem quæ prius fuit probatio. Verba quibus primum uerbum extremò neceſſariò conuenire docebimus hæc erunt omnium communia, animal, album, homo: quibus autem contingere, animal, album, tunica. ex quibus perſpicuum eſt ſi propoſitio generalis ponatur, neceſſariam concluſionem ſequi: ſin ſumptio, nullam omnino.

## Mixtio neceſſarij & contingentis. CAP. XVI.

Cvm autem una propoſitionum neceſſariò conuenire aut non conuenire, altera contingere ſignificat, concluſio ſequetur, ſi eadem ſit uerborũ collocatio & affectio, atq; perfecta quoties ex neceſſarij uerbo aſſumptio conſtabit, concluſio autem ſi aiant propoſitiones ex contingendi uerbo erit non ex ſimplici, ſiue generales ſint, ſiue non generales propoſitiones. Si uerò una aiat negétque altera, cum aienti neceſſarij uerbum adiungetur, tum ex uerbo contingendi, non ex ſimplici quæ neget ſequetur concluſio. Cum autem quæ negat idem neceſſarij uerbum addetur, & ea ſequetur quæ contingere ut non conueniat ſignificabit, & ea quæ non conuenire, tam ſi generales ſint quàm ſi non generales propoſitiones. Verbum autem cõtingendi eodem modo ſumendũ eſt quo antea in concluſione. At uerò quæ neceſſariò non conuenire ſignificet nulla ſequetur concluſio. Aliud eſt enim nõ neceſſariò conuenire, aliud neceſſariò non conuenire. Ac illud quidem perſpicuum eſt tum cum propoſitiones aiunt, nullam ex neceſſario ſequi concluſionem. Eſto enim a b omni neceſſariò cõueniat, b autem accidat ut omni c cõueniat, imperfecta cõcluſio ſequetur, quæ ſignificabit a, c omni fortuitò cõuenire,

eam autē imperfectam eſſe ex probatione intelligi licet. Eodem enim modo quo ſuprà demonſtrabitur. Rurſus faciamus a fortuitò in omni b dici, b autem c omni neceſſariò conuenire, hæc concluſio efficietur: a fortuitò c omni conuenit, non autem hæc, a c omni conuenit, efficietur: quæ perfecta eſt, non imperfecta concluſio. Statim enim propoſitionibus quæ ab initio ſumuntur abſoluitur. Quòd ſi non ſint eiuſdem generis & qualitatis propoſitiones, ſit primum ea quæ negat ex neceſſario, & a b nulli neceſſariò conueniat, b autem c omni fortuitò conueniat, neceſſe eſt a c nulli neceſſario conuenire. Ponatur enim aut toti generi aut alicui eius parti, at b nulli ponebatur caſu conuenire. quoniam igitur negans conuertitur, ne b quidem ulli a fortuitò conuenit. atqui a c omni aut alicui conuenire ponitur, ita nulli aut non omni c fortuito b conueniet, quod principio omni fortuitò conuenire poſitum eſt. Perſpicuum eſt etiam concluſionem ſequi quæ fortuitò non conuenire ſignificet, ſi quidem ea quæ conuenire ſignificat, ſequatur. Rurſus ſit propoſitio poſterior aiens ex neceſſario, fortuitóq; a b nulli conueniat, b autem c omni cōueniat neceſſariò, neceſſaria quidem ſequetur concluſio, non quæ primum uerbum poſtremo non conuenire, ſed fortuitò non conuenire declaret. Nam & prior propoſitio hoc modo ſumpta eſt, & aduerſarius incommodo urgeri non poteſt. Si enim ponatur a c nulli conuenire, & a b nulli fortuitò conuenire ponatur, nihil abſurdi ex eis efficietur. Si uero aſſumptio neget, quoties ipſa continget ſignificabit, conuerſione quemadmodum antè concluſio ſequetur: quoties autem non contingere, non ſequetur: nec tum etiam cum ambæ negabunt, nec ex contingendi uerbo erit aſſumptio. Verba autem eadem ad omnia accommodabuntur. Verba autem eadem ſumenda ſunt cum aliquid concludendo cōuenire uidebitur, hæc, id quod album eſt, animal, nix: cum non cōuenire,





id quod album eſt, animal, pix. Quod idem cōtinget in ijs ratiocinationibus quæ ad partem generis accommodabuntur. Cum enim ea quæ ex neceſſarij uerbo eſt, quid negabit, non couenire etiā ſignificabit concluſio: ueluti, exēpli cauſa, ſi a in nulla b parte fortuitò dicatur, b autem in aliquo etiam c fortuitò, neceſſe eſt a c alicui non cōuenire. Si enim omni conuenit & nulli b contingit, ne b quidem ulli a parti fortuito conuenit. ita ſi a in omni c intelligitur, b in nulla c parte fortuito intelligetur. atqui poſitum eſt alicui cōtingere. At uero cum ea propoſitio quæ ait ex neceſſarij uerbo eſt, ídque in ea quæ negat ratiocinatione, ut exempli cauſa b c, aut generalis in ea ratiocinatione quæ ait, qualis eſt a b, non ſequetur negans ex uerbo ſimplici concluſio. Quod eodem modo quo ſuprà doceri licet. Quòd ſi ſumptio generalis ſit ex contingendi uerbo, ſiue aiat ſiue neget, propoſitio autem ſpecialis & ex neceſſarij uerbo, cōcluſio non ſequetur. Verba quibus conuenire aliquid neceſſario cōcludi uidebitur hæc ſumēda ſunt, animal, album, homo: quibus autem non contingere, hæc, animal, album, ueſtis. Cum porrò ea quæ ad uniuerſum genus accommodatur, de eo quod neceſſarium eſt, dicit: & ea quæ ad partem ex contingendi uerbo eſt, ſi generalis neget, uerba quibus concluſio agens ex uerbo ſimplici ſequi uidebitur, hæc erunt, animal, album, coruus: quibus autem concluſio negans ex uerbo ſimplici effici uidebitur, hæc, animal, album, pix. Sin aiat, uerba hæc ad concluſionē aientē ex uerbo ſimplici efficiendā, hæc accōmodata erunt, animal, albū, cygnus: ad ea autem quæ non contingere ſignificabit, hæc, animal, album, nix. Poſtremo ne tum quidem ſequetur concluſio, cum aut indefinitæ erunt propoſitiones, aut utraque ſpecialis. Communia uerba hæc erunt, cum poſtremo primum docere uolemus conuenire, hæc ſumemus, animal, album, homo: cum non conuenire, animal, album, inanimatum. Nam & ani-

*malis uerbum alicui quod album eſt, & albi alicui quod inanimatum eſt, tum neceſſe eſt conuenire, tum non fortuitò conuenit. Idem fiet cum aliquid alicui fortuito cõuenire erit docendum, ita uerba hæc utilia erunt ad omnia. Perſpicuum igitur eſt ex ijs quæ dicta ſunt, ſi uerba eodẽ modo collocata ſint in ratiocinationibus ex ſimplici uerbo & ex neceſſario, tum effici concluſionẽ, tum non effici, niſi quòd ſi propoſitio quæ negat ſit ex uerbo ſimplici, cõcluſio ex contingendi uerbo ſequitur: ſi ea quæ ex neceſſario conſtat neget, tum ea quæ ex contingẽdi uerbo eſt ſequitur, tum ea negans quæ ex ſimplici. Illud etiam perſpicuum eſt, omnes has concluſiones imperfectas eſſe, eáſque per ſuperiores collocandi formas perfici.*

## De ambabus propoſitionibus ex verbo contingendi in ſecunda forma.

### CAP. XVI.

*IN ſecunda autem diſponendæ ratiocinationis forma cum ambæ propoſitiones ſunt ex contingẽdi uerbo, nulla ſequitur concluſio, nec ſi aiant nec ſi negẽt, nec ſi generales ſpecialéſue ſumantur. Cum autem una ex ſimplici, altera ex contingendi uerbo conſtat, ſi aiens cõuenire ſignificet, nunquam: ſin ea quæ in totum neget, ſemper ſequetur. Idémq; fiet cum una ex neceſſarij, altera ex contingentis uerbo propoſitio ſumetur. In his etiam concluſionibus contingendi uerbum eodem modo quo ſuprà, ſumendum eſt. Primùm igitur demonſtrandum eſt propoſitionem quæ neget ex contingendi uerbo, non reciprocari: ut ſi a fortuitò nulli b conueniat, non neceſſe eſt b etiam a nulli fortuitò conuenire. Sit enim hoc poſitum, b a nulli fortuito conuenire, quoniam propoſitiones ex contingendi uerbo quæ aiunt in negantes conuertuntur, tum contrariæ tum oppoſitæ, b autem a nulli fortuito conuenit, profecto omni etiam a b fortuito conueniet, quod falſum eſt. Non enim ſi hoc illi omni fortuito conuenit, propterea illud*

etiam



*etiam huic omni fortuito conueniat neceſſe eſt. Ita fit ut negans minimè conuertatur. Præterea nihil prohibet a b nulli fortuito conuenire, b autẽ a alicui cõuenire neceſſario: ueluti albi nomen omni homini fortuito non cõuenit, quoniam etiam conuenit. non eſt autem uerum hominem fortuito nulli rei quæ alba ſit conuenire, quandoquidem multis non conuenit neceſſario. at quod neceſſarium eſt, id contingere non dicitur. Nec uero incommodo urgẽdo aduerſarium doceri poteſt eius quam dixi conuerſio. Vt ſi quis petat quoniam falſum eſt, b, a nulli fortuito conuenire, ut uerum ſit non fortuito nulli conuenire: affirmationem enim eſſe & negationem. quod ſi uerum ſit, b a alicui conuenire erit neceſſe: ita etiam a, b alicui, quod fieri non poteſt. neque enim ſi b non contingat ut nulli a conueniat, idcirco neceſſe eſt alicui a parti b conuenire. Non contingere enim ulli duobus modis dicitur: uno, neceſſe eſſe alicui a conuenire, altero, alicui non conuenire neceſſariò. Neceſſario enim alicui a non conuenire, non eſt omni fortuito non conuenire, quemadmodum nec alicui conuenire neceſſario, eſt poſſe omni conuenire. Si quis igitur poſtulet ut quoniam c non fortuito d omni conuenit, ipſum alicui neceſſario non conueniat, falſum ſumet: omni enim conueniet, ſi ita res ferat. Sed quia nullis rebus neceſſario conuenit, ob eam cauſam non omni fortuitò conuenire dicimus, itaq; huic fortuito omni conuenire, hæc duo contraria ſunt, alicui conuenire neceſſariò, & neceſſariò alicui non conuenire: itémq; huic, fortuito nulli conuenire. Perſpicuum igitur eſt in eo quod ita eſt fortuitum & contingens, & non fortuitum, non hoc ſolum ſumi oportere neceſſario conuenire alicui, ſed illud etiam neceſſario alicui non conuenire. Quo ſumpto nihil abſurdum euenit, ita non conficitur concluſio. Ex ijs igitur quæ dicta ſunt perſpici licet, eam propoſitionem quæ negat, minimè conuerti. Quo demõſtrato poſitum ſit a contingere ut b nulli*

conu

*conueniat, c autem omni: per conuerſionem quidem concluſio non ſequitur, (diximus enim eam propoſitionem non reciprocari) nec per incommodum. poſito enim illo c omni fortuito conuenire, falſum nihil efficitur: a enim contingere poteſt ut c & omni & nulli conueniat. Omnino autem ſi concluſio ſequatur, profecto ex contingendi uerbo ſequetur, propterea quòd propoſitionum neutra conſtat ex uerbo ſimplici, atque ea aut aiens erit aut negans. at neutro modo ſequi poteſt. Si enim aiens ponatur, uerbis docebimus non fortuito conuenire: ſin negans, concluſionem non ex contingentis, ſed ex neceſſarij uerbo conſtare demonſtrabimus. Sit enim a album, b homo, c equus: albus fortuito uni toti, alteri nulli conueniet: b autem in c nec fortuito intelligitur, nec non intelligitur. Ac illud quidem perſpicuum eſt, illud non poſſe intelligi. Nullus enim equus eſt homo. Illud etiam perſpicuum eſt, non uſuuenire ut non intelligatur: neceſſe eſt enim nullum equum hominem eſſe. quod autem neceſſarium eſt, id uſuuenire non dicitur: non igitur ulla ſequitur concluſio. Simili modo etiam contrà oſtendetur cum negans ponetur, ſiue aientes ſiue negantes ſumantur propoſitiones. iiſdem enim uerbis demonſtrabimus. nec tum etiam ſequetur cum una generalis altera ſpecialis ſumetur, aut utraque ſpecialis aut indefinita, aut quot alijs modis propoſitiones ſumi poſſunt. ab iiſdem enim uerbis ſemper fides petetur. Quare illud quidem perſpicuum eſt, ſi utrique propoſitioni contingendi uerbum adiungatur, nullam ſequi concluſionem.*

### Mixtio contingentis & ſimplicis verbi in ſecunda forma. CAP. XVII.

*SIn uerò una ſit ex ſimplici, altera ex contingendi uerbo, quoties ea quæ ait ex ſimplici, quæ autem negat ex contingendi uerbo conſtabit, nunquàm ſequetur concluſio: nec ſi ad genus, nec ſi ad eius eius partem accommodentur. Demonſtr*



*monſtratio eadem erit, iiſdémque è uerbis petetur. Cum autem aienti contingendi, ei autem quæ negat, ſimplex uerbum adiungitur, concluſio ſequetur. Conſtituamus enim a b nulli conuenire, c autem omni fortuito conuenire: ſi conuertatur ea quæ negat, tum b & a nulli conueniet, & c omni fortuito conueniet: ex quibus efficietur hæc concluſio per primam diſpoſitionis formam, b fortuito c nulli conuenire. Idem fiet ſi neget aſſumptio. Quòd ſi ambæ negent, & una non conuenire ſimpliciter ſignificet, altera contingere ut non conueniat, ex ijs quæ ſumpta ſunt nihil neceſſariò efficitur: conuerſa autem ea propoſitione cui uerbum contingendi adiunctum eſt, hæc ſequitur concluſio, b ipſi contingere ut c nulli conueniat, quemadmodum in ſuperioribus, ad primam enim diſpoſitionis formam reuocabitur. Si uerò ambæ ponantur aientes, nulla ſequetur cōcluſio. Verba quibus primum extremo conuenire concludetur, hæc erunt, ualetudo, animal, homo: quibus autem non conuenire, ualetudo, equus, homo. Idem continget in ratiocinationibus quæ ad partem accommodantur. Cum enim ea propoſitio quæ ex uerbo ſimplici conſtabit, ſiue generalis ſit ſiue ſpecialis, ait, nulla concluſio ſequetur, idque iiſdem uerbis quibus ſuprà eodémque modo docebimus. Cum autem negans eſt, ſequetur quemadmodum ſuprà adhibita conuerſione. Rurſus ſi utraque propoſitio neget, ita tamen ut ea quæ non conuenire ſignificat ſit generalis, ex propoſitionibus quidem ipſis nulla efficietur concluſio: ſed ſi ea conuertatur quæ ex contingendi uerbo conſtabit, quemadmodum paulò ante dictum eſt, ſequetur. Sin ea quæ conuenire ſignificat neget & ad partem accommodetur, nulla efficietur concluſio, nec ſi aiat nec ſi neget altera propoſitio: nec tum ſequetur, cum utraque indefinita aut aiens aut negans ſpecialíſue ſumetur. Eadem erit demonſtratio, ab iiſdémque uerbis petetur.*

Mixt

## Mixtio neceſſarij & contingentis in ſecunda forma. CAP. XVIII.

SI uerò una ex neceſſarij altera ex contingentis uerbo ſit, tum deniq; cum negans ex neceſſario erit, concluſio efficietur, non ſolũ ea quæ contingere ut non cõueniat, ſed ea etiam quæ omnino non conuenire declarat, & ſi aiens ſit ex eodem uerbo, non ſequetur. Poſitum ſit a b nulli neceſſario, c autem omni fortuitò conuenire, conuerſa quidem ea quæ negat, b etiam nulli a conueniet neceſſariò, a autem c omni fortuito conueniebat, in quo recidit ad primũ collocationis genus concluſio, quæ declarat c nulli fortuito conuenire. Illud etiam perſpicuum eſt, b c nulli conuenire. Si enim cõuenire ponatur, ita fiet ut ſi a b nulli fortuito cõuenit, b autem conuenit c alicui, a c alicui non fortuito conueniat, at omni fortuito ponebatur conuenire. Eodémque modo demonſtrabitur ſi negare ponatur aſſumptio. Rurſus aiens ſit ea cui neceſſarij, & negans ea cui contingentis uerbum adiunctum ſit, fortuitóq; a b nulli, c autem omni neceſſario faciamus conuenire: hoc modo uerbis collocatis nulla ſequetur cõcluſio. Efficitur enim b in c neceſſario non intelligi. Sit enim a albus, b homo, c cygnus, albi uerbũ cygno neceſſe eſt conuenire, homini autem nemini fortuito conuenit, & hominis uerbum cygno nulli neceſſario conuenit. perſpicuum igitur eſt nullã ex contingẽdi uerbo ſequi concluſionẽ. Quandoquidẽ neceſſarium non idẽ eſt quod fortuitũ. nec uerò ex neceſſario ſequi ullo modo poteſt. Cõcluſio enim neceſſarij aut ex utraq; neceſſaria, aut ex negãte ſequebatur. Præterea his poſitis poteſt b in c intelligi, nihil enim prohibet c ſub b ſubiectũ eſſe, & a b omni fortuito, c autẽ neceſſario conuenire, ut ſi c ſit uigilia, b animal, a motus: in eo enim qui uigilauit motus neceſſariò ineſt, animali autẽ omni fortuito conuenit, & quod uigilauit id omne animal dicitur. perſpicuũ eſt igitur ne eam quidẽ ſequi poſſe quæ non conuenire



ſignificet, ſiquidem ita collocatis uerbis neceſſe eſt conuenire: ne ex contrarijs quidẽ aientibus ſequetur. ita nulla efficietur cõcluſio. Similiq; modo demonſtrabitur ſi aiens in alio & cõtrario loco collocentur. Si autem eiuſdem qualitatis ſint propoſitiones, tum deniq; ſequetur concluſio cum illæ quid negabunt, conuerſa ea, cui contingentis uerbũ adiunctum eſt quemadmodũ ſuprà, propoſitione. Conſtituamus enim a in b neceſſario, in c autem fortuito non intelligi, conuerſis quidem propoſitionibus b a nulli conueniet, a autem c omni fortuito conueniet, ita redit prima forma collocationis. idémque fiet ſi neget aſſumptio. Quòd ſi aientes ponantur, concluſio non ſequetur. Perſpicuum eſt enim nec eam quæ non conuenire, nec eam quæ neceſſario non conuenire ſignificat, effici: propterea quòd propoſitio quæ negat, ſumpta non ſit, nec quæ conuenire omnino, nec quæ neceſſario conuenire declaret. Ne ea quidẽ ſequetur quæ fortuito non conuenire ſignificat. Neceſſe eſt enim ita uerbis collocatis b in c non intelligi, ut ſi a albus ſit, b cygnus, c homo, nec ſi contrariæ aientes negantéſue ponantur. quandoquidem oſtenſum eſt b in c non dici neceſſario, non igitur ullo modo cõcluſio effici poteſt, quod idem fiet in ijs ratiocinationibus quæ ad partem accommodantur. Cum enim negans generalis eſt, & ex neceſſario, ſemper concluſio ſequitur, & ea quæ contingere ſignificat & ea quæ non conuenire, quod probandũ erit per cõuerſionem. Cum autem aiens erit eiuſmodi, non ſequetur. Eodem enim modo hoc quo in generalibus ijſdémque uerbis docebitur, nec cum utraque aiẽs ſumetur, cuius eadem erit, quæ antea probatio. Cum autem utraq; negabit, & generalis erit atque ex neceſſario ea quæ non cõuenire ſignificabit, ex ijs quidẽ quæ ſumẽtur nulla ſequetur cõcluſio: ea autẽ propoſitione quæ uerbũ contingendi habet adiunctũ, conuerſa cõcluſio quẽadmodũ prius ſequetur; ſi autem utraq; indefinita ſit aut ſpecialis non ſequetur, eadem

eadem erit probatio, ab ijſdemq́; uerbis petetur. Ex his igitur quæ dicta ſunt perſpici poteſt ſi ea propoſitio quæ negat generalis ſit & ex neceſſario, ſemper concluſionem ſequi non ſolum quæ fortuito non conuenire, ſed etiam quæ omnino non conuenire declaret: ſin ea quæ ait, nunquàm ſequi. Illud etiam perſpicuum eſt, quoties eodem modo uerba collocata ſunt & in propoſitionibus ex neceſſario, & in ijs quæ ex uerbo ſimplici conſtant, ſequi & non ſequi concluſionem. Perſpicuum etiam eſt, omnes imperfectas eſſe ratiocinationes, eáſque per ſuperiores formas perfici.

## De ambabus ex contingendi verbo in tertia forma. CAP. XIX.

IN poſtrema autem forma & cũ utraq; eſt ex contingentis uerbo & cùm altera, ſequitur concluſio. Ac propoſitiones quidẽ cum contingere ſignificabũt, concluſio etiã ex contingendi uerbo ſequetur: itemq́; cum una ex contingẽtis, altera ex ſimplici uerbo cõſtabit. Cum autẽ altera ex neceſſario ponetur, ſi ea ſit aiẽs, non erit concluſio nec neceſſarij nec uerbi ſimplicis: ſi uerò negans ſit, ex neceſſario concluſio ſequetur ea quæ non conuenire declaret, quẽadmodũ prius. Sumendum eſt autẽ etiã hoc loco ſimiliter cõtingendi uerbũ quod in concluſionibus collocatur. Sint primum ex cõtingẽdi uerbo, tamq́; a quàm b c omni fortuito conuenire faciamus: quoniam aiens ex parte conuertitur, b autem c omni fortuito conuenit, c etiam b alicui fortuito cõueniet. Ita ſi a c omni fortuito conuenit, c autẽ b alicui, neceſſe eſt etiam a b alicui cõuenire. prima enim forma cõficitur. Et ſi a c nulli, b autem c omni fortuito cõuenit, neceſſe eſt etiam a b alicui fortuito nõ conuenire, redibit enim prima forma ꝑ cõuerſionẽ. Si uerò ambæ negãtes ponãtur, ex eis quidẽ neceſſaria cõcluſio nõ ſequetur, ſed ſi cõuertantur ſequetur quẽadmodũ in ſuperioribus. Si enim & a & b fortuito in c nõ intelligãtur, conuerſa ea quæ for-





tuito non conuenire ſignificat, conuerſione prima forma fiet: quòd ſi una propoſitio ad totum genus, altera ad partem accommodetur, eodémq; modo uerba collocata ſint quo in ijs quæ ſunt ex uerbo ſimplici, tum ſequetur tum non ſequetur concluſio. Ponamus enim a c omni, b autem c alicui fortuito conuenire, fiet rurſus prima forma conuerſa ea quæ ad partem accommodatur propoſitione. ſi enim a c omni, b autem c alicui conuenit, a etiam b alicui fortuito conueniet. Idem cõtinget ſi c in totum uniuerſéq; ſumatur: itémq; ſi propoſitio neget, aiátq; aſſumptio. Prima enim forma redibit per conuerſionem. Si uerò utraq; ita negare ponatur ut una in totum altera ex parte, ex ijs quidem quæ ſumptæ ſunt nihil ſequetur, ſi autem conuertantur ſequetur, ut in ſuperioribus. Cùm autem utraque indefinita ſumitur aut ſpecialis, non ſequitur ulla concluſio. nam & b omni, & nulli neceſſe eſt a conuenire. Verba quibus conuenire docebimus hæc erunt, animal, homo, album: quibus non conuenire, equus, homo, quod album eſt: album uerò medium eſſe faciamus.

## Mixtio contingentis & ſimplicis verbi in tertia forma. CAP. XX.

QVòd ſi una propoſitio conuenire altera contingere ſignificet, concluſio quidem ſequetur ex contingentis uerbo non ex ſimplici. Ratiocinatio autem erit ſi eodem modo quo in ſuperioribus uerba collocentur. Sint enim primum aientes & a c omni conueniat, b autem c omni fortuito conueniat, conuerſa aſſumptione, tum prima forma exiſtet, tum concluſio ex contingendi uerbo ſequetur, quæ a b alicui fortuito ſignificabit conuenire. Cum enim in prima collocationis forma altera propoſitio contingere declarat, tum etiam cõtingere ſignificabit concluſio. Itémq; ſi aſſumptio cõuenire, propoſitio cõtingere ut cõueniat, ſignificet: & ſi hæc neget, illa autẽ aiat, conueniátq; utralibet ſiue aiens ſiue negãs,

ſequetur ex contingentis uerbo concluſio. prima enim forma rurſus efficitur, in qua demonſtratum eſt cum altera propoſitio contingere ſignificat, concluſionem ſequi eam quæ contingere declarat. Si uerò aſſumptio ſit negans ex contingendi uerbo, aut etiam utraq; propoſitio negare ponatur, iis quidem poſitis nihil ſequetur, conuerſis autem (ut ante dictum eſt) ſequetur. Sin una generalis ſit altera ſpecialis, & utraq; aiat, aut generalis neget: & ſpecialis aiat: eadem erit forma concluſionũ. Omnes enim per primam formam conficiuntur. ex quo perſpicuum eſt ex contingendi, non ex ſimplici uerbo ſequi concluſionẽ. Si uerò aiens ad uniuerſum genus, negans autem ad partem pertineat, ab incommodo ſumetur argumẽtum. Ponamus enim b c omni conuenire, a autẽ fortuito c alicui nõ conuenire, a b alicui fortuito nõ conueniat neceſſe eſt. Si enim a b omni neceſſario conueniet, b autem c omni cõuenire ponitur, efficitur a c omni neceſſario cõuenire. hoc enim ſuprà demonſtratum eſt. At ponebatur fieri poſſe ut alicui non conueniret. Cum autem indefinitæ aut ſpeciales ambæ ſumentur, concluſio non ſequetur, eadem erit demonſtratio, quæ & in generalibus, in eáq; iiſdem uerbis erit utendum.

## Mixtio neceſſarij & contingentis in tertia forma. CAP. XXI.

Si uerò una propoſitionum ex neceſſarij, altera ex contingentis uerbo ſit quoties aientes erunt, ſemper ex contingenti ſequetur concluſio: quoties autem una aiet altera negabit, ſi ea quæ ait ſit ex neceſſario, ea ſequetur quæ fortuito non conuenire ſignificat: ſin ea quæ negat, tum ea quæ fortuito non conuenire, tum ea quæ non conuenire declarat ſequetur. Nulla autem quæ neceſſariò non conuenire ſignificat ſequetur, quemadmodum nec in aliis figuris. Sint igitur aientes primum propoſitiones, & a c omni neceſſariò, b autem c omni fortuito cõuenire faciamus: quoniã a c omni neceſſariò, c autem b alicui fortuito conuenit, a etiam b alicui fortuito non etiam omnino conueniet. Sic enim in prima diſpoſitionis forma contingit. eodem autẽ modo demonſtrabitur ſi aſſumptio ſit ex neceſſario & propoſitio cõtingere declaret. Rurſus ſit una aiens, negans altera: ea autem quæ ait ex neceſſario, & a fortuito c nulli, b uerò c omni neceſſario conueniat, efficietur rurſus prima forma cuius ex contingentis erit non ex ſimplici uerbo, concluſio: quoniam propoſitio negans contingere declarat, perſpicuũ igitur eſt ex contingentis uerbo ſequi cõcluſionem. Cum enim in prima forma ſic propoſitiones collocatæ erant, concluſio etiam rei fortuitæ ſequebatur. Quòd ſi ea propoſitio quæ negat quid, ſit ex neceſſario, concluſio ſequetur, & quæ contingere ut alicui non conueniat ſignificet, & quæ ut non conueniat. Poſitum enim ſit a in c nõ intelligi neceſſario, b autẽ in omni fortè, temerè & caſu intelligi: ſi conuerſa ſit quæ ait aſſumptio, prima forma erit & propoſitio negans ex neceſſario. At cum ita collocatæ erant propoſitiones, efficiebatur a c alicui & fortuito nõ conuenire & non conuenire, ita a b alicui non conueniat neceſſe eſt. Cum autem aſſumptio negat, ſi ea ſit ex contingendi uerbo, illa commutata ut ſuprà efficitur concluſio: ſin ſit ex neceſſario non, efficitur. nam & omni neceſſario & nulli fortuito conuenit. Verba quibus uniuerſo generi cõuenire docebimus hæc erunt, ſomnus, equus, dormiens homo: quibus autem nulli eius parti, hæc, ſomnus, equus, uigilans homo. Idem fiet etiam cum una propoſitio generalis ponetur, altera ſpecialis: ſi utraq; aiat, ex contingendi, non ex ſimplici uerbo concluſio ſequetur. Cum etiam una negabit, altera aiet: ea autem quæ aiet erit ex neceſſario, ea ſequetur quæ ſignificabit contingere. Cum autem ea quæ negat neceſſarij uerbum adiunctum habebit, tum non conuenire ſignificabit concluſio. Eadem enim erit probationis ratio, & cum generales & cum non

generales erunt propoſitiones. Nam cum ſit neceſſe ratiocinationes per primam formam perfici & abſolui ſuis numeris quemadmodum in illis, ſic in his aliquid concludatur neceſſe eſt. Cum uerò negat uniuerſe ſumpta aſſumptio, ſi contingere ſignificet, conuerſione concluſio ſequetur: ſin ea ſit ex neceſſario, non ſequetur. Quod eodem modo iiſdémq; uerbis probabitur, quibus in iis quæ ad totum genus accommodantur. Ac illud quidem perſpicuum eſt quando & quomodo in hac forma ſequitur concluſio, & quando ex contingendi uerbo, quando ex ſimplici. Hoc etiam perſpici potuit omnes imperfectas eſſe, eáſque prima forma perfici.

De ratiocinationibus hypotheticis id eſt, ex conceſsione. CAP. XXII.

PErſpicuum igitur eſt ex iis quæ dicta ſunt ratiocinationes harum formarum primæ formæ ratiocinationibus iis quæ ad totum genus pertinent abſolui, ad eáſque reuocari. Omnis autem ratiocinationis eam eſſe uim atq; naturā mox intelligi poterit, cum omnis per aliquam harum formarum tractari docebitur. Omnis quidem demonſtratio omniſq; ratiocinatio aut conuenire aliquid aut non conuenire doceat neceſſe eſt, idque uel omnino & in totum, uel ex parte: præterea aut directo, aut ex conceſſione. Eius autem quæ ex conceſſione progreditur, pars eſt quædam ea ratiocinatio quæ incommodo urget aduerſarium. Primum igitur de iis dicamus quæ directo aliquid probāt. His enim demōſtratis, hoc perſpicuum erit etiam in iis quibus aduerſarios incommodo urgemus, & uno nomine, in iis, quæ à conceſſione ſumuntur. Igitur ſi a, in b dici eique conuenire aut non conuenire concludendum eſt, neceſſe eſt aliquid ſumi quod de aliquo dicatur. At ſi a ad b ſumatur, principium petetur. Si uero a in c, c autem in nullo nec aliud in illo dicatur, nec in a quicquam aliud, nulla ſequetur concluſio. Ex eo enim quod unum



unum ad unum ſumptum eſt, nihil efficitur neceſſariò. Ita efficitur, ſumendam eſſe aliam propoſitionem. Ac ſi a ad aliud ſumatur, aut ad a aliud, aut aliud ad c, nihil quidem prohibet ſequi concluſionem. Non tamen in b ex iis quæ ſumpta erunt ualebit, nec cum c alii, & illud alii, & hoc alii conuenire aut non conuenire ita ſumitur, ut cum b non colligetur, hoc modo a in b dici concludi non poteſt. Omnino enim diximus nunquam aliquid alii conuenire aut non conuenire concludi poſſe, quin medium quoddam uerbum quaſi uinculum ſumatur, quod in dicendo ad illa duo quandam rationem habeat. Cum enim concluſio planè ex propoſitionibus efficiatur, concluſio etiam quæ hoc uel illud efficit ex propoſitionibus ſequitur quæ ad hoc ſumuntur: & concluſio quæ hoc illi conuenire aut non conuenire ſignificat, ex propoſitionibus quæ hoc cum illo copulant efficitur. Fieri autem non poteſt ut ad b propoſitio ſumatur, ut nihil de eo dicamus, aut ei negemus, aut rurſus ut nihil ſumamus quod ſit a cum b cōmune, ſed utriuſque propria quædam dicenda ſunt nobis aut neganda. Ita ſumendum eſt aliquid quod medium locum inter utrumq; obtineat. quódq; dicendi rationes colliget, ſi modo concluſio ſequatur quæ hoc illi conuenire ſignificet, aut non conuenire. Quòd ſi neceſſe eſt ſumi aliquid quod utriuſque commune ſit, idq; fieri poteſt tribus modis (aut enim a de c, & c de b, aut c de utroq;, aut de c utrumque dicitur) hæ autem ſunt formæ collocandæ argumentationis de quibus diximus, profecto neceſſe eſt omnem ratiocinationem & concluſionem per harum formarum aliquam effici: eadem enim erit ratio ſi per plura cum b uerba alia duo copulabit. in multis enim eadem etiam erit forma collocationis. Ac illud quidem perſpicuum eſt eas ratiocinationes quæ directo aliquid probant omneis concludi per formas ſuperiores.

CAP. XXIII.

EAs etiam concludi quibus incommodũ ſequi aduerſarios docemus, ex his intelligi poterit. Omnes enim eæ quæ ab incommodo aliquid probant, falſum quidem concludunt. id autem quod initio probandum erat aliquo poſito demonſtrãt, cum aliquid quod fieri non poteſt repugnantia conceſſa cõcluditur, ut diametron apte cõponi non poſſe, propterea quòd ſi ponatur non poſſe, efficictur ea quæ ſint imparia paribus eſſe æqualia. Ac æqualia quidem effici imparia paribus concludunt, diametron autem aptè nõ poſſe componi ex eo quod poſitum eſt docent: quandoquidem propter repugnantiam falſum efficitur. Hoc enim erat aliquid ex eo quod fieri non poteſt concludere, aliquid quod fieri non poteſt ex eo quod primcipio poſitum eſt, oſtendere. Quare quoniam falſi eſt ratiocinatio quæ directo probat in ijs quæ incommodo urgent aduerſarios. quod autem initio propoſitum erat probare, ex eo quod poſitum eſt docetur, & paulò ante diximus eas ratiocinationes quæ ſtatim & directò aliquid oſtendunt per has formas tractari, certè eæ etiam quæ id quod fieri non poteſt concludunt, per eaſdem efficiãtur neceſſe eſt. Itémq; reliquæ omnes quæ ex eo quod poſitum & conceſſum eſt, aliquid probant. In omnibus enim ratiocinatio quidem ad id quod tranſſumebatur refertur: quod autem principio probandum ſuſcipiebatur, ex conceßione aut ex aliquo alio quod poſitum eſt concluditur. Quod ſi uerum eſt, neceſſe eſt omnem demõſtrationem, omnémque concluſionem per has tres formas effici. Quo demonſtrato illud perſpicuum eſt, omnem ratiocinationem & perfici per primam formam, & ad eas ratiocinationes reuocari quæ in ea ad uniuerſum genus accommodentur.

CAP. XXIIII.

IAm uerò in omnibus aliquam propoſitionem aientem eſſe oportet, & aliquid uniuerſe & in totum cõuenire. Sublato

enim



enim eo quod uniuerſe ad totum genus pertineat, aut non ſequetur concluſio, aut nihil ad id quod propoſitum eſt pertinebit, aut initium diſputationis petetur. Poſitum enim ſit muſicam honeſtam eſſe uoluptatem, atq; hoc petat, uoluptatem eſſe honeſtam, nec addat omnem, concluſio non ſequetur. Si uerò aliquam uoluptatem, & aliam petat, nihil ad id quod agitur: ſin hanc ipſam principium ſumit. Hoc autem facilius perſpici poteſt in figurarum deſcriptionibus, ut Iſoſcelis pares eſſe angulos eos qui ſunt in baſi. Sint in centrum ductæ a b, ſi igitur parem ſumit a c angulum b d, nec in totum enunciet angulos ſemicirculorum, & rurſus pares eſſe c d, nec adiungat omnem ſectionis: præterea ſi paribus totis angulis paria detrahantur, pares eſſe reliquos e f principium petet diſputationis, niſi ſumat, à paribus ſi paria auferantur, paria relinqui. Perſpicuum eſt igitur uniuerſum genus in omnibus ineſſe oportere. Illud etiam perſpicuum eſt uniuerſum genus ex propoſitionibus generalibus concludendum eſſe: partem autem generis & hoc & illo modo. Ita fit ut ſi concluſio ſit generalis, generales etiam propoſitiones ſint neceſſariò. Si uerò propoſitiones generales ſint, fieri poßit ut non ſit generalis concluſio. perſpicuum etiam illud eſt, in omni ratiocinatione aut utramq; aut alteram propoſitionem concluſioni ſimilem eſſe oportere, in quo non ſolum hoc dico aientem aut negantem eſſe, uerumetiam ex neceſſarij uel contingentis uerbo uel ſimplici, rationes etiam dicendi aliæ obſeruandæ ſunt. Hoc etiam intelligi planè potuit, quando ſequatur & quãdo non ſequatur cõcluſio, & quãdo perfecta ſit, & quãdo poßit eſſe perfecta. Illud etiam ſi ſit ratiocinatio. propoſitiones & uerba aliquo modo eorum quos diximus collocari oportere.

CAP. XXV.

ATq; etiam illud perſpici potuit, tribus uerbis omnẽ fieri demonſtrationẽ, nõ pluribus, niſi alijs atq; alijs eadem

efficiatur concluſio, ut e ex a b & ex c d, aut ex a b, & a c, & b c. Plura enim media uerba eorũdem nihil eſſe prohibet: quibus poſitis nõ una ſed plures tractantur ratiocinationes. Aut rurſus cum utrumq; horũ a b ratiocinatione ſumitur, ut a ex d e propoſitionibus efficitur, & rurſus b ex f g, aut unũ inductione, & ratiocinatione alterum: uerũ hoc etiam modo plures erunt ratiocinationes, plures enim ſunt concluſiones, ut & a, & b, & c. Si igitur nõ plures eſſent ſed una ratiocinatio, hoc pacto fieri poſſet ut ex pluribus eadem efficeretur concluſio. Vt autem c ex a b propoſitionibus fieri non poteſt. Sit enim e concluſio ex a b, c d propoſitionibus effecta, neceſſe erit aliquid eorum aliud ad aliud ſumptum fuiſſe, hoc ut totum, illud ut partem. Hoc enim ſuprà demonſtratum eſt, ſi ſit concluſio, hoc modo inter ſe uerba aliqua affici oportere. Faciamus igitur a ad b illam habere rationem ut ex eis aliqua concluſio ſequatur, aut igitur e, aut c d alterũ, aut aliquid aliud præterea. Si e ex ſolis a b propoſitionibus concluſio efficitur, c autẽ & d ſi ita affecta ſint inter ſe ut unum ſit ut totum, & ut pars alterũ, ex illis etiam aliquid ſequetur, ídque uel e uel a b alterũ, uel aliquid aliud præterea. Si e uel a b alterũ, fiet ut aut plures ſint ratiocinationes, aut ut res tulit, idẽ ex pluribus propoſitionibus ſequatur. Sin aliquid aliud præterea, plures erunt eæq́; non inter ſe cohærentes ratiocinationes: quòd ſi c nõ eam habeat ad d rationẽ ut concluſionẽ efficiat, fruſtrà ſumpta erunt niſi inductionis, diſsimulationis aut alicuius huius generis gratia. Si uerò ex a b propoſitionibus non e, ſed aliqua alia efficiatur concluſio, ex c d autem aut eorum alterum, aut aliud præterea ſequatur, ſic & plures ratiocinationes tractantur, nec ad id quod propoſitum eſt, pertinent: ponebatur enim ipſius e eſſe ratiocinatio. Sin ex c d nulla concluſio efficitur, fruſtrà ſumptæ ſunt eæ propoſitiones, nec id probatur, quod initio propoſitum erat

ostend



oſtendere, ex quibus perſpicuum eſt omnem demõſtrationem omnémque ratiocinationem tribus tantum uerbis confici.

CAP. XXVI.

Quod cum ſit perſpicuum, illud etiam perſpicuum eſt ex duabus cõfici propoſitionibus, nec pluribus. Tria enim uerba duas conficiunt propoſitiones, niſi quid aſſumatur, quemadmodum initio dixi, ad ratiocinationũ abſolutionem. perſpicuum eſt igitur quoties in oratione qua aliquid concluditur non ſunt pares propoſitiones quibus principalis concluſio efficitur (neceſſe eſt enim aliquas ex concluſionibus ſuperioribus eſſe propoſitiones) eam orationẽ aut nihil concluſiſſe, aut plura quàm neceſſe eſſet rogata eſſe de eo quod agitur. Ac ſi ex principalibus propoſitionibus ratiocinationes intelligantur, omnis ratiocinatio & ex paribus propoſitionibus & ex uerbis imparibus exiſtet, in una enim propoſitione plura ſunt uocabula, tumq́; dimidiũ propoſitionũ conficient concluſiones. Cum autem προσυλλογισμοῖς, id eſt, ratiocinationibus quæ quaſi præludia & præparationes quædam ad concluſionẽ principalẽ adhibẽtur, aliquid concluditur aut pluribus medijs uerbis quæ non cohærent: ut a b per c d, uerborũ quidem multitudo, eodem modo uno, propoſitiones ſuperabit (aut enim extrinſecus aut in medij parte numerabitur id uerbum quod præterea incurrit) utroque autem modo pauciora interualla quàm uerba exiſtunt, cum interim pares ſunt interuallis propoſitiones, quanquã non ſemper hæ pares erunt illa imparia, ſed quodã uiciſsitudinis ordine cum propoſitiones pares erunt, imparia erunt uerba: cum uerò uerba paria, impares erunt propoſitiones. Nam ſimulatque unum uerbum eſt, una etiam propoſitio adiungitur, quodlibet uerbum addatur. Ita fit, ut quoniam illæ pares ſunt, hæc imparia neceſſariò commutentur eadẽ adiecta propoſitione. At uerò concluſiones non iam eundem ordinem locúmue quem uerba aut

propoſitiones obtinent. uno enim adiuncto uerbo pauciores una quàm ſuperiora uerba addentur concluſiones, quandoquidem non ex poſtremo tantum uerbo, ſed ex ſuperioribus uerbis concluſio efficitur. ueluti ſi a b c uerbis d adiungatur, continuo etiam duæ adduntur concluſiones, & quæ ex a & quæ ex b efficitur, quod fit etiam in cæteris omnibus. Eadem eſt ratio ſi ad medium ſumitur, ex uno enim concluſio non ſequetur. Ita maior erit concluſionum numerus quàm & uerborum & propoſitionum. Quoniam autẽ tenemus ex quibus ratiocinationes conſtẽt, & quale ſit id quod in quaq; figura & quot modis oſtenditur, perſpicuum etiam nobis eſt quæ facilis & quæ difficilis ſit ad probandum quæſtio. Quæ enim in pluribus formis & per plures modos concluditur, ea facilior eſt: quæ autẽ paucioribus & formis & modis, difficilior: ac quæſtio quidem quæ dicit in totum, per ſolam primam formam demonſtratur, ídque uno modo: quæ uerò negat, & per primam formam & per medium uocabulum: ita tamen ut per primam formam uno modo, per medium uocabulum duobus modis oſtendatur. Quæ autem ſpecialis ait quid, & per primam & per poſtremam docetur. Per primam uno modo, per poſtremam autem tribus. Quæ autem negat ex parte, in omnibus formis monſtratur: ita tamen ut in prima uno modo, in ſecunda duobus, in tertia tribus: ex quibus perſpicuum eſt eius propoſitionis quæ dicit omnino & in totum, tum difficillimam eſſe probationem, tum faciliorem refutationem: omninóque uniuerſarũ ac generalium facilior eſt, quàm ſpecialium reprehenſio. Nam ſi & nulli conueniat, & alicui non cõueniat, refutatur. Horum autem illud, alicui non, in omnibus formis docetur: hoc uerò, nulli conuenire, in duabus. eadem eſt ratio negantium. Nam & ſi omni, & ſi alicui conueniat, id quod propoſitum eſt reprehenditur, quod fit in duabus formis. Speciales autem uno modo refutantur

tur



tur ſi aut omni, aut nulli doceas conuenire. Earum autem quæ ad partem generis accommodantur, facilior eſt confirmatio: nam & in pluribus formis, & pluribus modis probantur. Omninóque intelligendum eſt generales & ſpeciales propoſitiones alias alijs refelli, ut generales ſpecialibus & ſpeciales generalibus. Confirmari autem ſpecialibus generales non poſſunt, ſpeciales generalibus poſſunt. Illud etiam perſpicuum eſt, facilius eſſe refellere quid quàm probare: ac quemadmodum quidem omnis ratiocinatio conficitur, quótque ex uerbis & propoſitionibus conſtat, & quam inter ſe rationem habere debent, præterea quæ in quaque forma quæſtio, & quæ in pluribus quæq; in paucioribus probatur, ex ijs quæ dicta ſunt intelligi poteſt.

## De propoſitionum copia ſectio ſecunda.

### CAP. XXVIII.

NVnc autem dicendum eſt quemadmodum nobis magna ratiocinationũ copia ſemper ad id quod propoſitum eſt ſuppetet, quáq; ratione uniuſcuiuſque principia tenebimus. Nam non ſolũ ex quibus conſtẽt ratiocinationes ſpectandum eſt, ſed eas etiã conficiẽdi facultas tenenda. Omniũ quidẽ quæ ſunt, partim ea natura eſt ut de nullo alio uerè in totũ ipſa dicantur, ut Cleon & Callias, ut res ſingulæ & quæ ſub ſenſum cadunt, de ijs autem alia dicantur. nam uterque horum & homo & animal eſt. partim ipſa de alijs quidem dicũtur, de ipſis autem prius alia non dicuntur. Sunt etiã quæ & ipſa de alijs, & de ipſis alia dicantur, ut homo de Callia, & animal de homine dicitur. Ac illud quidẽ perſpicuum eſt, eorum quæ ſunt quædã de nullo ſuapte natura dici, nam eorum quæ ſenſu percipiuntur, unumquodque ferè eiuſmodi eſt, ut in nullo, niſi impropriè, intelligatur. Dicimus enim aliquando album illud eſſe Socratem, & id quod accidit, Calliam eſſe. Ij autem qui ſurſum uerſus progrediantur, quieſcendum eſſe

tandem

*tandem aliquando rurſus dicemus. Sed id nunc ſit poſitum. Ac de his quidem fieri non poteſt ut aliud quod dicatur, doceas, niſi opinione: ſed de alijs hæc omnia dicuntur. Nec res ſingulæ de alijs, ſed de ijs alia dicũtur. Quæ autem his interiecta ſunt perſpicuum eſt ea utrorumq; naturã imitari. Nam & ipſa de alijs, & de illis alia dicuntur, de iíſque omnis ferè & diſputatio & quæſtio inſtituitur. De quoque autẽ horum ſic propoſitiones inſtituendæ ſunt, ut primum ipſum eiúſque definitiones proponãtur, & quæ rei propria ſunt omnia. Deinde omnia quæ rẽ cõſequuntur & comitantur. Rurſusq; ea, quæ res ipſa ſequitur, quæq; ei conuenire non poſſunt. Quibus autem ipſa conuenire non poteſt, ea non debent explicari, propterea quòd ea propoſitio quæ negat reciprocatur. Diſtribuenda ſunt etiam conſequentia omnia & quæ uim naturámque rei declarant, & quæ eius ſunt propria, & quæ ut aduentitia ſiue accidentia dicuntur, atque horum & quæ ad opinionem, & quæ ad ueritatem diriguntur. Quò enim maior eorum cuipiam copia ſuppetet, eò facilius concluſionem parabit: quo autem uerioribus, eò uehementius perſuadebit. Eligenda autem ſunt non quæ partem aliquam, ſed quæ uniuerſum rei genus ſequuntur: ut non quod aliquem hominem, ſed quod omnem comitatur. Ex generalibus autem propoſitionibus efficitur cõcluſio, ac ſi indefinita eſt dubium eſt ſit ne propoſitio generalis: ſin definita, perſpicuũ eſt. Itémq; ea quæ ipſum cõſequens in totum ſequuntur propter eandem cauſam deligenda ſunt, ipſum autẽ conſequens non ſumendum eſt totum ſequi & conuenire, ut homini omne animal, uel muſicæ omnẽ ſciẽtiam conuenire: ſed omnino ſequi & conuenire, ut etiam proponimus. Nam alterũ inutile eſt nec fieri poteſt, ueluti omnem hominem eſſe omne animal, aut iuſtitiã omne bonum: ſed in eo demum toto dicitur cuius eſt conſequens. Cum autem id quod propoſitum eſt, ab aliquo cõtinetur cuius con-*

*ſequent*



*ſequentia ſumenda ſint, ea quidem quæ id totum & uniuerſe ſequuntur aut non ſequuntur ſumẽda non ſunt (ſumpta enim ſunt in illis) quandoquidẽ quæ animalis, eadẽ ſunt & hominis conſequẽtia, & quæ non conueniunt eodem modo. quæ autem cuiuſque propria ſunt, ea ſumenda. Sunt enim quædam formæ non etiam generi propria, præſertim cum neceſſe ſit alijs formis quædam, propria conuenire. Id etiam quod in totum dicitur non eſt ſumendum ad conſequentiam eius quod continetur, ut animal ad hominis conſequentia. Neceſſe eſt enim ſi hominis ſit animal conſequens, eorum etiam eſſe quæ homo complectitur, quæ eadem ad hominis ſumptiones aptiora erunt. Sumenda etiam ea ſunt quæ rem ferè ſequuntur, & quæ ipſa ferè ſequitur. Quæſtionũ enim earum quæ probabiles ſunt concluſio ex probabilibus propoſitionibus aut omnibus aut aliquibus efficitur. Vniuſcuiuſque enim concluſio principia imitatur. Iam ea quæ omnium conſequentia ſunt ſumenda non ſunt, ex ijs enim non efficietur concluſio: cuius cauſa quæ ſit mox aperiemus.*

## CAP. XXIX.

*Ac ij quidem qui cõfirmare aliquid uolent toti conuenire, tum res ſubiectas ei quod confirmatur, de quibus id dicatur, tũ conſequentia omnia eius de quo illud dici oportet, ſpectare debẽt. Si quid enim eorum idẽ ſit alterum alteri neceſſe eſt conuenire. Si uerò aliquid non omni, ſed aliqua ex parte cõuenire docere uelimus, utriuſque ſumẽda ſunt conſequentia. Si quid enim eorum ſit idem, alicui conueniat neceſſe eſt: cum autem nulli conuenire debet, tum & conſequentia eius cui non oportet conuenire ſumenda ſunt, & ea quæ conuenire non poſſunt ei quod non conuenire debet: aut contrà, & ea ſumenda ſunt quæ conuenire non poſſunt ei in quo intelligẽ non oportet, & conſequentia eius quod debet conuenire. Sĩ enim hæc idem ſint quod utrumlibet, profectò neutrum alterĩ*

*conu*

conuenire ullo modo poteſt. Conficitur enim interdum primæ formæ, interdum mediæ ratiocinatio. Sin alicui non conuenire demonſtrandum ſit, eius quidem cui conuenire oportet antecedentia, eius autem quod conuenire non debet, repugnantia deligere debemus. Nam ſi quid eorum idem ſit, neceſſe erit alicui non conuenire. Sed hæc ipſa facilius fortaſſe perſpici poterunt hoc modo. Sit ipſius a b conſequentia, c autem eius antecedētia, d uerò eiuſdem repugnantia. Rurſus f ſit ea quæ e conueniunt, g autem eius antecedentia, & h repugnantia, ſi idem ſit c quod aliquod f, neceſſe erit a e omni conuenire, f enim e omni conuenit, a autem c omni, ita a e omni conueniet. Quòd ſi c & g idem ſunt, profectò a e alicui conueniat neceſſe eſt. A enim ex c, e autem ex g omni eſt conſequens. At ſi f & d idem ſint, nulli e a conueniet, ex ſuperiore ratiocinatione. Quoniam enim negans cõuertitur, & f idem eſt quod d, certe & a f nulli, & f e omni conueniet. Rurſus ſi b & h idem ſunt, a e nulla ex parte conueniet, quandoquidem & b a omni, & e nulli eidem conuenit. Idem enim poſitum eſt eſſe h, quod b & h e nulli conuenire. Si uerò g & d idem ſint, a certe e alicui non conueniet, quoniam enim a d non conuenit, g in ipſo e non intelligetur, g autem ſub e ſubiectum eſt, ita alicui c non conueniet. Si uerò g & b idem ſint, conuerſa erit ratiocinatio, g enim in omni a intelligetur. Nam & b in a & e in b intelligitur, quandoquidem idem quod g erat, atqui a in omni e non neceſſe eſt intelligi, & in aliquo neceſſe eſt, proptereà quòd enunciatio generalis in ſpecialem conuertitur. Hæc figura ad parandam propoſitionum copiam pertinet. Intelligitúrque a e propoſitio quæ a ſcilicet bonum prædicatum habeat, & e ſcilicet uoluptas ſubiectum, b autem ipſius a conſequentia, & c eiuſdem antecedentia, d uerò repugnantia: rurſúſque f ipſius e conſequentia ſunt, g antecedentia, h repugnantia eiuſdem.

Fiunt



Fiunt igitur coniugationes nouem, hoc modo: b f: c g: d h: c f: b h: d f: c h: d g: b g: quarum ſex firmæ ſunt atque concludunt. Tres autem hæ, b f: c h: d h: infirmæ ſunt.




Conſequentia ipſius a, quod prodeſt, quod expetendum eſt, quod perſequendum, quod accommodatum eſt naturæ, quod optabile, utile, quod conducit. Eiuſdem repugnantia, quod detrimentum affert, quod fugiendum eſt, quod nocet, malum, quod damnum dat, quod alienum eſt, quod inutile. Eiuſdem antecedentia, beatitudo, firma conſtitutio naturæ accommodata, finis, perfectum, uita uirtuti conſentanea. Conſequentia e, motus, actio naturalis, non impedita uita, quod natura & per ſe expetendum eſt, quod non offendit, quod expetendum eſt. Repugnantia eiuſdem,

morbus

morbus, labor, indigentia, metus, motus à natura auerſus. Eius antecedentia, ualetudo, copia, gloria, liberorum multitudo, uita uirtuti congruens, uita doloris expers. Perſpicuum eſt igitur hæc in utroque cuiuſque quæſtionis uerbo eſſe ſpectanda, quippe cum ex his omnis conficiatur ratiocinatio. Prima autem atque generalia maximè & conſequentia cuiuſque & antecedentia notari ſumique debēt, ut ipſius e magis K f quàm f tantummodo, ipſius autem a K c potius quàm c ſolum. Si enim in K f a dicitur, etiam in f & e dicitur. Si uerò huius non eſt a conſequens, fieri poteſt ut ipſius f ſit: ſimilitérque cuius ipſum ſit conſequens uidendum eſt. Si enim primorum ſit, & poſteriorum erit conſequens. Quòd ſi minus horum ſit, at certè eorum quæ illis ſubijciuntur poteſt eſſe. perſpicuũ etiam illud eſt, omnes ratiocinationes & per tria uerba, & per duas propoſitiones, & per eas formas quas expoſuimus, tractari. Docetur enim tum a in toto e dici, cum aliquid quod ſit idem quod c & f ſumitur, quod medium uerbum erit, a autem & e primum atque poſtremum. ita prima forma tractatur. In aliquo autem dici probatur cum c & g eadem eſſe ſumuntur, in quo poſtrema forma dominatur. G enim medium locum obtinet, nulli autem conuenire monſtratur, cum d & f idem ſunt. Sic enim & prima & media forma conficitur, prima propterea quòd nulli f a cõuenit, ſiquidem negans propoſitio conuertitur, & f e omni conuenit. media autem quòd d in nullo a & in omni e dicitur. Alicui porrò non conuenire oſtenditur, cum d & g idem ualent, quod ad tertiam formam pertinet. nam & a in nullo f, & e in omni f intelligetur. Perſpicuum eſt igitur per ſuperiores formas omnes tractari ratiocinationes, nec ſumenda eſſe ea quæ ſint conſequentia omnium, quòd ex ijs nulla concluſio ſequatur. Nam & confirmare omnino à conſequentibus non licet, & ex ijs quæ omnium ſunt conſequentia refelli nihil poteſt



poteſt, præſertim cum uni conuenire oporteat & alteri non conuenire. Illud etiam perſpicuum eſt, alia præcepta quæ ad delectus pertinent, ad ratiocinationes conficiendas nihil ualere, ueluti ſi eadem ſunt utriuſq; conſequentia, aut ſi ipſius a antecedentia, & e repugnantia, aut rurſus utriuſq; repugnantia. Neq; enim ex his efficitur concluſio. Si enim conſequentia ut b & f eadem ſint, media forma ex his efficitur, quæ utranq; habeat aientem propoſitionem. Si uerò ipſius a antecedentia, & e repugnantia, ut c & h, prima erit forma cuius aſſumptio negabit. Sin utriuſque repugnantia ut d & h eadem ſint, utraque propoſitio negabit aut in prima aut in media forma collocationis, qua ex collocatione nulla ſequetur concluſio. Perſpicuum etiam eſt quæ eadem ſumenda ſint accommodatè ad hanc diſciplinam, non quæ diuerſa & contraria. Primum quòd de medij uerbi inuentione hoc loco agimus, quod non diuerſum ſed idem ſumendum eſt. Deinde omnes in quibus efficitur concluſio ex eo quòd contraria aut repugnantia ſumuntur, ad ſuperiores modos reuocabuntur: ut ſi b & f contraria ſumantur, aut eidem conuenire non poſſint. His enim ſumptis ſequetur hæc concluſio, nulli e a conuenit, uerum non ex ipſis, ſed ex eo modo quem paulò ante dixi. Nam quoniam b a omni & nulli e conueniet, b idem ſit quod aliquod h neceſſe eſt. Rurſus ſi b & g eidem conuenire non poſſunt, efficietur alicui c a non conuenire. ex hac enim collocatione uerborum ſecunda forma eueniet, b enim a quidem omni, nulli autem g conueniet, ita g idem eſſe quod aliquid eorum quæ ſub d ſubiecta ſunt erit neceſſe. Nam b & g, non poſſe in eodem intelligi, aliud eſt nihil, niſi b idem eſſe quod aliquid eorum quæ ſub d ſubijciuntur. Quæ enim in a dici non poſſunt, in d ſumpta ſunt omnia. Perſpicuum eſt igitur hæc præcepta nihil ualere ad efficiendam concluſionem. Illud etiam, ſi b & f ſint contraria, b

idem quod aliquam h partem, ualere, ex hiſq; concluſionem ſequi: ex quibus efficitur, ijs qui hoc modo rem ſpectant aliam uiam & rationem neceſſariæ concluſionis eſſe reperiendam, quòd interdum incertum ſit an b & h idem ualeant.

CAP. XXX.

EAdem autem earum ratiocinationum quæ id quod fieri non poteſt concludunt, quæ earum quæ directò quid probant collocatio eſt. A conſequentibus enim & antecedẽtibus utriuſq; hæ quoq; progrediuntur, eadẽq; utriuſq; generis eſt diſciplina. Nam & quod directò probatur etiam ab eo quod fieri non poteſt, ex iiſdem uerbis licet concludere, & quod ab incommodo, etiam directò concludi poteſt, ut a e nulli conuenire. Si enim ponatur alicui conuenire quoniam b alicui omni a, & a alicui e conuenit, profectò b alicui e conueniet: atqui nulli ponebatur conuenire. Rurſus alicui conuenire. Si enim nulli e a, & e omni g conuenit, in nullo g a intelligetur: at in omni intelligebatur. idémque fiet in cæteris quæſtionibus. Nam & in omnibus ab eo quod fieri non poteſt ſumpta propoſitio ex utriuſque conſequentibus antecedentibúſq; ſemper progredietur: & in omni quæſtione eadem uia & ratio propoſita eſt, tum ei qui directò quid docere uelit, tum ei qui ex eo quod fieri non poteſt. Iiſdem enim ex uerbis utraq; probatio conficitur. ut ſi nulli e a conuenire demonſtratum eſt, efficitur etiam alicui e b conuenire, quod fieri non poteſt. Si ſumatur b nulli e, a autem omni conuenire, non eſt dubium quin nulli e a conuenire oporteat. Rurſus ſi directò probatum eſt a in nullo e intelligi, & ponatur alicui conuenire, ab eo quod fieri non poteſt nulli conuenire docebitur. Eadémq; erit ratio cæterorum. In omnibus enim neceſſariò ſumendum eſt commune quoddam uerbum, aliud atq; ea quæ ſumpta ſunt, ex quo falſi concluſio ſequetur: ita conuerſa hac propoſitione & in altera eadem collocatione ſeruata, directa erit ex iiſdem uerbis ratiocinatio. Hoc enim directa ratiocinatio ab ea quæ incommodo urget differt, quòd in directa propoſitiones ad ueritatem diriguntur, in altera autem una ad falſitatem. Atque hæc quidem ex ijs quæ deinceps dicentur, facilius intelligentur, cum de ea ratiocinatione quæ id quod fieri non poteſt concludit, diſſeremus. Nunc autem hoc tantum nobis erit perſpicuum, hæc ſectanda & obſeruanda eſſe cum & directò & non directò ſed ex eo quod fieri non poteſt aliquid erit probandum. In alijs porrò ratiocinationibus quæ ex poſitis & conceſſis progrediuntur, cuiuſmodi ſunt eæ omnes quæ à tranſlatione aut à qualitate in ſubiectis ducuntur, non eorũ quæ propoſita ſunt, ſed eorũ quæ transferuntur, habenda ratio eſt. Obſeruationis autem idem erit modus. Sed animaduertendum eſt atq; explicandum quot ſunt genera earum quæ ex poſitis progrediuntur. Ac omnis quidem quæſtio hoc modo probatur. Alio autem modo nonnullas harum concludi licet, ut generales ex conceſſione progrediendo à ſpecialibus. Si enim c & g eadem ſunt, ſoli autem g e ſumatur conuenire, certè omni e a cõueniat neceſſe eſt. Rurſum ſi d & g eadem ſunt, in g autem ſolum e dicatur, nulli e a conueniet: ex quo perſpicuum eſt, hanc etiam uiam atq; rationem tenendam eſſe. Eadem eſt ratio & earum quæ ex neceſſarij & earum quæ ex contingentis uerbo conſtant, eadem enim præceptio eſt, & ex eorundem uerborum collocatione, tum ea quæ ex contingentis, tum ea quæ ex ſimplici uerbo eſt, concluſio efficitur. In ijs autem quæ contingere ſignificant eæ etiam numerandæ ſunt quæ non conueniunt & conuenire poſſunt. Demonſtratum eſt enim ex his etiam contingentis concluſionem effici, idémque fiet in alijs dicẽdi rationibus in quibus aliud de alio dicitur.

CAP. XXXI.

Ex iiſs igitur quæ dicta ſunt, non ſolum hoc perſpicuum eſt omneis ratiocinationes hac uia & ratione effici poſſe, uerum etiam hoc alia uia non poſſe. Nam cum demonſtratum ſit omnem ratiocinationem per ſuperiores formas tractari, quæ ex aliis confici niſi ex conſequentibus antecedentibúſq; non poſsint. (Sunt enim ex his & propoſitiones & medii uerbi inuentio) profectò ne concluſio quidem ex aliis effici ullo modo poteſt, ac eadem quidem omnino uia & ratio tum in philoſophia eſt tum in arte quauis ac diſciplina. Nam & ea quæ aliis conueniunt, & ea quibus alia conueniũt, colligi oportet, atque eorum magnam ſuppetere copiam. Atque hæc ex tribus uerbis ponderanda ſunt, ei quidem qui probet hoc modo, illo autem ei qui refellat: ita tamen ut ex ueris propoſitionibus uera, ex probabilibus autem ueriſimilis efficiatur concluſio. Ratiocinationum autem initia quemadmodum & inter ſe affici & comparari debent hoc uniuersè diximus, non eſſe nobis ea ſpectanda omnia quæ dicantur, nec eadem cum probamus & refellimus, nec cum aliquid de toto genere aut eius parte ſeu confirmamus ſeu refutamus: ſed pauciora & certa nobis eſſe ſumenda. Ex unoquoq; uerò rerum genere ſeligendæ ſunt propoſitiones, ut de bono, aut de ſcientia: quandoquidem ſuæ cuiuſq; generis ſunt plurimæ. Itaque uniuſcuiuſq; initia tradere exercitationis eſt, ut aſtrologorũ peritia ex ea arte depromenda eſt quæ aſtrologia dicitur. Cum enim ſyderum ratio longo uſu obſeruata & animaduerſa eſt, tum deniq; inuentæ ſunt aſtrologorum demonſtrationes. Eadem eſt etiam ratio aliarum artium atq; ſcientiarum. Ita fit ut ſi teneãtur ea quæ cuiq; rei conueniũt, noſtrum iam ſit expeditè id quod uolumus efficere. Si enim nihil prætermiſſum cernatur eorum quæ certò ac uerè in rebus intelligantur, licebit nobis ad omnem rem demonſtrandam cuius quid



quidem ſit demonſtratio, hanc uiam & diſciplinam inuenire. Cuius autem ea uis eſt ac natura ut demonſtrari nõ poſsit, hoc facilè fieri poterit. Simpliciter quidem quemadmodum ſumẽdæ ſint propoſitiones, ferè expoſuimus, accuratè autem ac ſubtiliter hæc perſecuti ſumus in libris de dialectica.

CAP. XXXII.

Generum uerò in ſuas partes diuiſionem particulã quandã eſſe huius rationis facile intelligi licet. Eſt enim diuiſio quaſi imperfecta quædam & infirma raciocinatio: quandoquidem quod probandum eſt id poſtulat, & ſemper aliquid eorum quæ ſuprà ſunt, concludit. Quod quidẽ principio ii omnes qui ea uſi ſunt ignorabant, conabãtúrq; probare definitionem demonſtratione cõcludi, quaſi id fieri poſſet. Itaq; nec concludere eum poſſe qui diuideret intellexerunt, nec ita poſſe ut diximus. Ac in demonſtrationibus quidem cum aliquid concludi oportet conuenire medium uerbũ quo efficitur concluſio, anguſtius patere debet quàm primum, non de eo omnino in totũq; dici. Quod fit contrà in diuiſione. In ea enim medium uerbum in totum ſumitur. Sit enim a animal, b mortale, c immortale, d autẽ homo cuius ſumenda ſit definitio: omne quidem animal aut mortale aut immortale eſſe ſumit. Hoc autem idẽ ualet quod illud, omne a uel b uel c eſſe. Rurſus quoniam is qui ſemper partitur hominem animal eſſe ponit, fit ut a in d intelligi ſumat, ex quo ſequitur concluſio, omne d, aut b aut c eſſe. Ita homo uel mortalis eſt neceſſariò uel immortalis, animal autem mortale ſolum nõ neceſſe eſt eſſe. atqui hoc petit quod concludi oportuit. Præterea qui a ponit animal eſſe mortale, b pedibus ingrediens, c pedibus carens, d autem hominem: eodem modo & a, uel b uel c eſſe ſumit. Omne enim animal mortale aut pedibus præditum eſt, aut iiſdem caret, & in d a dici. hominem enim animal mortale eſſe ſumpſit. Ita homo animal ſit quod uel pedibus præditum ſit, uel

*pedibus careat neceſſe eſt, pedibus autem præditum eſſe non neceſſe eſt. Atqui hoc ipſum ſumit, id autem erat quod rurſus mõſtrari debuit. Iis igitur qui hoc modo diuiſione aliquid concludunt uſuuenit ut & uniuerſum genus medium uerbum ſumant, & ea quæ concludenda ſunt ac probanda, ipſáſque differentias in primi & tertij uerbi numero reponant. Poſtremo nihil planè dicunt quid ſit homo aut quid tandem ſit quod quæritur ut ſit neceſſarium. Nam & omnem aliam rationem inſtituunt, nec alias concludendi uias ac rationes eſſe exiſtimant. perſpicuum eſt autem nihil nec de accidente, nec de proprio, nec de genere hac diſciplina confirmari poſſe aut refelli, nec de ijs in quibus incertum eſt hoc an illo modo res habeat. Vt poſsítne diametros aptè componi, an non componi? Si enim ſumat omnem longitudinem poſſe comparari aut non comparari, diametron autem eſſe longitudinem, concluſit diametron uel componi non poſſe uel poſſe. Si autem ſumatur non poſſe aptè componi, quod oportebat probare ſumetur, non igitur probari poteſt. Nam hæc ratio illorum eſt qua doceri non poteſt rectè componi poſſe aut non componi. Sit a longitudo, b quod aptè componi poteſt uel non componi, c diametros: profectò perſpicuum eſt nec ad omnem diſputationem hanc quærendi uiam accommodari poſſe, nec in ijs eius uſum eſſe ullum, in quibus plurimus eſſe uideatur. Atque ex quibus ſumenda ſint argumenta ad aliquid probandum & quemadmodum quæque ſpectanda ſint in ſingulis quæſtionibus, ex ijs quæ diximus perſpici licet.*

### De ratiocinationum diſſolutione, ſectio ſiue pars tertia. CAP. XXXIII.

*QVemadmodum autem ratiocinationes ad ſuperiores collocationis formas reuocemus, deinceps dicendum eſt. Hoc enim etiam reliquum eſt noſtri inſtituti. Ita enim denique terminum habebit id quod nobis initio propoſitum eſt,*

*ſi &*



*ſi & ex quibus conſtent ratiocinationes cognorimus, & earum inueniendarum facultate erimus præditi, & iam conflatas ac concretas ad ſuperiores formas reuocabimus. Quibus etiam confirmabuntur ea quæ ſuprà dicta ſunt, & ex ijs quæ dicenda ſunt nobis hoc loco, ita habere, erit euidentius: præſertim cum omne uerum ipſum ſibi omni ex parte conſtare oporteat. Ac primùm quidem danda opera eſt ut duas ratiocinationis propoſitiones retexamus, propterea quòd facilius eſt in maiores partes quid diuidere, quàm in minutas. Maiora autem ſunt ea quæ concreta ſunt, ijs ex quibus illa conſtant. Deinde uidendum eſt utra ad totum genus, utra ad partem accommodetur. Quòd ſi utraque ſumpta non ſit, ipſe alteram debebit ponere. Interdum enim nec ij qui ſcribunt nec ij qui diſputant propoſita ea, quæ de uniuerſo genere eſt, eam quæ in hac intelligitur, aſſumunt: aut ſi has ſumant, at eas certè quibus hæ concluduntur, prætermittunt, alia uerò fruſtrà rogant. Obſeruandum eſt autem num quid quod redundaret, ſumptum ſit, & num quid prætermiſſum quod neceſſarium eſſet: quorum hoc quidem ſumendum eſt, illud detrahendum, quoad uentum ſit ad duas propoſitiones. Neque enim ſine his ratiocinationes hoc pacto rogatæ redigi poſſunt. Ac in nonnullis quidem facile eſt quod prætermiſſum ſit animaduertere, aliquæ autem obſcuræ ſunt ac latent, uidentúrque concludere, propterea quòd ex ijs quæ poſita ſunt aliquid efficiatur neceſſarium. ut ſi ſumptum ſit, eſſentia minimè ſublata, non tolli eſſentiam: ſublatis autem ijs ex quibus conſtant, id etiam quod ex ijs conſtat, interire. His enim poſitis quoniam neceſſe eſt eſſentiæ partem eſſe eſſentiam, non tamen ex ijs quæ ſumpta ſunt concluſio ſequitur, ſed prætermiſſæ ſunt propoſitiones. Rurſus ſi tum cum homo eſt, neceſſariò eſt animal, & cum animal, eſſentia: cum homo eſt, eſſentia certè eſt neceſſariò: ſed*

nondum effecta concluſio eſt. Neque enim ita collocatæ & affectæ ſunt propoſitiones ut diximus. In his autem ob eam cauſam captamur & fallimur, quòd ex iis quæ ſumuntur aliquid neceſſarium ſequatur, & quòd ratiocinatio quoddam ſit neceſſarium, atqui latius patet id quod neceſſarium eſt quàm ratiocinatio. Omnis enim ratiocinatio neceſſarium eſt quoddam, non autem omne quod eſt neceſſarium ratiocinatio eſt. Quamobrem non ſi quid efficitur quibuſdam poſitis, continuò id redigere & retexere nitendum eſt, ſed primùm ſumendæ ſunt duæ propoſitiones, ac tum demum in uerba ſimplicia ſecandæ. Medium autem uerbum id conſtituendum eſt quod in utraque propoſitione dicitur, quippe cum in omnibus collocandæ ratiocinationis formis neceſſe ſit medium uerbum ab utraque propoſitione contineri, ac ſi tum dicat medium uerbum tum dicatur, aut ipſum dicat, alterum autem ei negetur conuenire, prima erit forma collocationis. Sin autem & dicatur & negetur alicui conuenire, media erit. Si uerò alia de eo dicantur, aut unum ei conuenire negetur, alterum dicatur, erit extrema. eiuſmodi enim fuit in omni forma medii uerbi collocatio. Similis eſt ratio ſi non in totum aiant aut negent propoſitiones. Eadem enim medii uerbi diſpoſitio eſt. Perſpicuum eſt igitur argumentationem eam in qua idem uerbum ſæpe non dicitur, quòd medium uerbum non ſit ſumptum, non eſſe habendam ratiocinationem. Quoniam autem quæ in quaq; forma quæſtio concludatur intelligimus. Et in qua uniuerſum genus, in qua eius pars, perſpicuum eſt non eſſe obſeruandas omnes formas collocationis, ſed eam demum quæ cuiuſque quæſtionis ac rei propoſitæ erit propria. Quæ autem pluribus diſpoſitionis formis concludãtur, ex medii uerbi collocatione formam intelligemus. Sæpe quidẽ propter neceſſariã argumentationem quemadmodum paulò ante dictum eſt, in ratiocinationibus





decipi & captari ſolemus. Interdum autem nos fallit collocationis uerborum ſimilitudo, quod ignorare minime debemus. ueluti ſi a in b dicitur, & b in c, ita uerbis diſpoſitis ratiocinatio eſſe uideri poteſt, cum nihil efficiatur neceſſarium, nec ratiocinatio. Eſto enim a quod ſemper eſt, b Ariſtomenes qui intelligi poteſt, c Ariſtomenes: uerum quidem eſt a in b intelligi. Semper enim Ariſtomenes intelligi poteſt, b etiam in c dicitur: Ariſtomenes enim qui intelligi poteſt, eſt Ariſtomenes, a autem in c non intelligitur. Interire enim poteſt Ariſtomenes: non igitur ita collocatis uerbis concluſio ſequitur, ſed propoſitionem in toto genere ſumi oportuit: atqui hoc falſum eſt, enunciare omnẽ Ariſtomenẽ qui intelligi poteſt eſſe ſempiternum, cum interire poſſit Ariſtomenes. Rurſus ſit c Miccalus, b muſicus Miccalus, a cras interire: b quidem uerè in c dicitur. Miccalus enim eſt Miccalus muſicus, & a in b. Intereat enim cras Miccalus muſicus, a autem in c falſò intelligitur. Huius autem eadem eſt quæ ſuperioris ſententia. Neque enim omnino & in totum uerè dicitur Miccalus muſicus poſtridiè interire, quo non ſumpto, concluſio neceſſaria non ſequitur. Atq; hæc quidem captio ex eo oritur quòd parui refert. Nam quaſi nihil interſit, hoc illi conuenire confirmes, an hoc illi toti conuenire, ita concedimus. Plerumq; uerò ex eo euenit ut fallamur, quòd uerba non ſint aptè diſpoſita & collocata in propoſitione: ut ſi a ſit ualetudo, b morbus, c homo: uerum eſt a b nulli poſſe conuenire. nullus enim morbus ualetudo eſt: uerum etiam eſt b c omni conuenire, omnis enim homo in morbum incidere poteſt: ex quibus effici uideri poteſt in nemine homine ineſſe poſſe ualetudinem. Cuius cauſa eſt quòd non rectè uerba ſint collocata, præſertim cum mutatis uerbis in ea quæ habitus in aliquo ineſſe ſignificent non ſequatur concluſio, ut ſi pro ualetudine id quod ualet accipiatur, pro morbo autem id quod ægrotat. Neque enim uerum eſt

eum qui ægrotet ualere non poſſe, quod ſi minus ſumptum ſit concluſio non efficitur, niſi ea quæ ex contingentis uerbo eſt, quod quidem in iſs non eſt quæ fieri non poſſunt, accidit enim ut nemo homo ualeat. In media etiam forma diſpoſitionis hoc falſum erit eodē modo, fieri enim poteſt ut ualetudo & morbo nulli & omni homini conueniat, ita ut nulli etiam homini morbus. In tertia autem forma ex contingentis uerbo falſum ſequitur. Fit enim ut & ualetudo & morbus, & ſcientia & ignoratio, & uno nomine aduerſa in omne idem conueniant, ipſa autem alia in alia non poſſunt: quod quidem cum iſs conſentit quæ ante diximus. Cum enim accidebat ut eidem plura coueniret, fiebat etiam ut illa alia in aliſs intelligerētur. Perſpicuum eſt igitur errorem & captionem in his omnibus ex uerborum collocatione exiſtere. Mutatis enim rebus quæ ex affectionibus nominantur nihil falſum concluditur: ex quo perſpicuum eſt in eiuſmodi propoſitionibus ſemper pro habitu id quod ex habitu nomen habet eſſe ſumendum, & in primo uel tertio loco collocandum: nec uerò id ſemper agendum eſt, ut ea quæ primum locum aut tertium obtinent exprimantur. Sæpe enim eiuſmodi incident quibus non erunt impoſita nomina. Itaque difficile eſt eiuſmodi ratiocinationes reuocare, interdum etiam in errore uerſamur propter huiuſmodi quæſtionem, ut exempli cauſa, eorum quæ medio carent fore ratiocinationem. Sit enim a duæ rectæ, b triangulum, c figura quæ paribus eſt cruribus: a quidem in c per b intelligitur, in b autem non iam alterius interuentio: ſuapte enim natura rectas duas habet triangulum, ita non erit b medium ipſius a, quod interim demonſtrari poteſt. Perſpicuū eſt enim medium uerbum non ita ſemper ſumendum eſſe ut uerbum ſimplex, ſed interdum orationis uim obtinere, quod etiam in eo quod dictum eſt contingit. Conuenire autem & non conuenire primum uerbum medio, & hoc poſtremo, non ita intelligendum



dum eſt, quaſi ſemper ipſa alia de aliſs dicenda ſint, aut non dicenda, aut eodem modo primum de medio, quo hoc de poſtremo, ſit dicendum. Sed quot modis aliquid eſſe dicitur, atque hoc ipſum uerè, totidem habere ſignificationes uerbum conuenire aut ineſſe putandum eſt, ut aduerſorum unam eſſe ſcientiam. Sit enim a unam eſſe ſcientiam, b autem aduerſa; a quidem ipſi b conuenit, non quòd aduerſa huic conueniant, unam eorum ſcientiam eſſe, ſed quòd uerè de iſs dicitur, unam eorum eſſe ſcientiam, fit autem nonnunquam ut primum uerbum in medio dicatur, medium autem in tertio non dicatur: ut ſi ſapientia eſt ſcientia, boni autem ſcientia eſt ſapientia, ſequitur boni eſſe ſcientiam. bonum quidem non eſt ſcientia, ſapientia autem ſcientia eſt. Interdum autem medium uerbum in tertio dicitur, primum autem in medio non dicitur: ueluti ſi omniūm qualium aut aduerſorum ſcientia eſt, bonum autem & in aduerſis eſt & in qualibus, hæc concluſio ſequitur, boni eſt ſcientia, cum interim bonum ſcientia non eſt nec quale nec aduerſum, ſed hæc ipſa in bonis ſunt. Eſt autem cum nec primum uerbum de medio, nec hoc de tertio dicitur, ita tamen ut primum in tertio aliàs intelligatur, aliàs non intelligatur. Cuius generis exemplum tale eſt, ſi cuius eſt ſcientia, eius genus eſt, & boni eſt ſcientia, profectò boni genus eſt: atqui nihil de re nulla dicitur. quòd ſi cuius eſt ſcientia, id genus eſt, & boni eſt ſcientia, ſequitur bonum eſſe genus: quo exemplo primum uerbum de extremo dicitur, nec aliud aliſ conuenit. Eodem autem modo intelligendum eſt cum non conuenire dicitur. Neque enim ſemper ſignificat hoc illi non conuenire, idem quod hoc non eſſe illud, ſed interdum hoc illius non eſſe, uel hoc non ineſſe in illo. ut exempli cauſa, non eſſe motionis motum, nec ortus ortum: uoluptatis autem eſt, non igitur uoluptas eſt ortus. aut rurſus, Riſus eſt ſignum. ſigni autem ſignum

ſignum non eſt, non igitur riſus eſt ſignum. quod idem fit in cæteris omnibus, in quibus id quod quæritur, ob eam cauſam refellitur, quòd ad ipſum genus quodammodo refertur. Rurſus occaſionem non eſſe opportunitatem temporis. Deo enim occaſio eſt, temporis autem opportunitas non eſt, propterea quòd nihil eſt deo utile. Verba quidem collocanda ſunt hæc, occaſio, temporis opportunitas, & deus: propoſitio autem ad caſum nominis accommodanda eſt. Hoc enim omnino de omnibus dicimus, uerba ſemper pro nominum inflexionibus eſſe collocanda, ut homo, bonum, aduerſa, non hominis, boni, aduerſorum: propoſitiones uerò ad uniuſcuiuſque caſus eſſe referendas. Aut enim huic eſſe exempli cauſa, par, aut huius ueluti duplum, aut hoc ſcilicet pulſans, aut uidens, aut hic ſcilicet homo animal, aut ſi quo alio modo nomen inflectitur in propoſitione. Hoc porrò illi conuenire, & hoc de illo uerè dici tot modis intelligendum eſt quot ſunt genera categoriarum, atque hæc uel quadam ex parte, uel omnino: itémque aut ſimplicia, aut copulata: eodémque modo non conuenire capiendum eſt. Sunt autem hæc tum diligenter animaduertẽda, tum diſtinguenda aptiſſimè. Quod autem in propoſitionibus repetitur & iteratur, ad primum uerbum non ad medium adiungi debet. Nam ſi exempli cauſa hoc concludatur, iuſtitiæ eſſe ſcientiam quia bonum eſt, illud bonum quia bonum, ad primum uerbum debet pertinere. Sit enim a ſcientia quia bonum, b quia bonum, c iuſtitia: profectò uerè a in b dicitur, boni enim eſt ſcientia: b etiam in c intelligitur, iuſtitia enim eſt bonum. Atque hoc quidem pacto diſſolutio efficitur: ſi autem ad b quia bonum, pertineat, non ſequetur. Vt enim a in b uerè dicatur, tamen b in c intelligi haud uerum erit. bonum enim quatenus bonum eſt de iuſtitia dici, & falſum eſt, nec intelligi poteſt. Idem fiet ſi ſalubria quia bona ſint ſub ſcientiam cadere doceantur, aut



aut tragelaphus quia non ſit, aut homo interire quia ſit ſentiens: in omnibus enim quæ dicuntur ad primũ uerbũ adiungi debet repetitio. Nec uerò eadem eſt uerborum collocatio cum omnino aliquid concluditur, & cum certum aliquid aut quadam ex parte aut quodam modo: cum exempli cauſa bonum ſub ſcientiam cadere oſtenditur: & cum aliquid cadere ſub ſcientiam quia ſit bonum: ſed ſi omnino ſub ſcientiam cadere doceatur, medium uerbum conſtituendum eſt id quod eſt, ſin quia bonum, aliquid quod eſt. Sit enim a ſcientia, qua ex parte aliquid eſt, b aliquid quod eſt, c bonum: uerè quidem a in b dicetur. Erat enim alicuius quod eſt, quia aliquid eſt ſcientia, b etiam in c intelligitur, c enim eſt aliquid quod eſt, ita etiam a in c intelligetur. Erit igitur ſciẽtia boni quia bonum aliquid, erat enim aliquid quod eſt propriæ naturæ eſſentiæq; ſignum. At ſi id quod eſt medium uerbum eſſe ponatur, atque id quod eſt omnino ad primum uerbum, non aliquid quod eſt referatur, nunquàm concluſio ſequetur, ſcientiam eſſe boni quia bonum ſed quia ſit. ut uerbi cauſa, ſit a ſcientia quia eſt, b id quod eſt, c bonum. Perſpicuum eſt igitur in ratiocinationibus iis quæ ſpeciales ſunt ad partémque accommodantur, hoc modo uerba eſſe collocanda. Commutanda autem etiam ſunt nomina nominibus quæ idem ualeãt, & orationes orationibus noménque ac oratio ſempérque in nomen mutanda oratio eſt. Sic enim facilior erit uerborum explicatio. ueluti ſi nihil interſit, ut ita dicam, exiſtimabile opinabilis genus eſſe dicas, an non eſſe id quod exiſtimabile aliquid opinabile (eadem enim eſt ſignificatio) pro oratione quæ ſumpta eſt, exiſtimabile & opinabile uerba collocanda ſunt. Quoniam autem aliud eſt uoluptatem eſſe bonum, aliud uoluptatem eſſe ſummum bonum, non eodem modo collocanda ſunt uerba, ſed ſi efficienda ſit concluſio, uoluptatem bonum eſſe, bonum in uerbo medio numerandum eſt: ſin uolupta

uoluptatem eſſe ipſum bonum, ipſum bonum collocandum eſt. quod in alijs etiam obſeruandum eſt eodem modo. Aliud autem eſt aliáque eſt oratio cui b conueniat ei omni a conuenire, aliud cui omni b conueniat in eo etiam omni a intelligi. Nihil enim prohibet b in c dici, non tamen omni ex parte. Sit enim uerbi cauſa b pulchrum aliquid, c album: ſi alicui quod album ſit, aliquid quod ſit pulchrum conueniat, uerum eſt ei quod album ſit, pulchrum conuenire, quanquam fortaſſe non omni conuenit. Itaque ſi a in b, non autem in omni in quo b dicatur, ut in omni c b intelligatur, aut in aliqua modo eius parte: non tamen neceſſe eſt a non modo in toto c, ſed ne in eius quidem ulla parte intelligi. Si uerò de quo b uerè dicatur ei toti conueniat, efficietur a in eo toto dici in quo b omni ex parte dicatur. At ſi a in eo toto dicatur cui b conueniat, nihil prohibet b in c intelligi, cum interea ipſum a non in b toto aut omnino in eodem minimè intelligetur. Poſitis igitur tribus uerbis illud quidem perſpicuum eſt, a de eo toto de quo b dici, idem ualere quod ijs omnibus quibus b conueniat, a etiam conuenire. Ac ſi de omnibus ipſum b dicatur, a etiam de ijs dicetur eodem modo. Rurſus cum non omnes tertiæ formæ ratiocinationes ad primam reuocentur, tamen omnes primæ ad tertiam reuocabuntur. Ponamus enim a b omni, b autem c alicui conuenire, profectò quoniam ea etiam quæ de parte dicit reciprocatur, c in aliqua b parte intelligetur. atqui a in toto b dicebatur, ita tertia forma exiſtit. Similis eſt ratio eius quæ negat cõcluſionis. Quoniam enim propoſitio quæ de parte ait reciprocatur, fiet ut a in nulla b parte, c autem in aliqua intelligatur. Poſtremæ autem formæ ratiocinationũ una modo ad primam nõ reuocatur, cum ea propoſitio quæ negat, non ad uniuerſum genus refertur: cæteræ autem reuocantur omnes. Ponantur enim & a & b in toto intelligi, profectò c in utraque propoſitione ex parte reciprocabitur: a igitur

alic



alicui b conueniet. ita prima forma tractabitur. Si a c omni, c autem alicui b: & ſi a omni c, b autem alicui c conueniat, eadem ratio eſt, c enim in b conuertitur. quòd ſi b omni c, a autem alicui c conueniat, primo loco b collocandum eſt. Nam quoniam b in omni c, c autem in aliquo a intelligitur, efficitur b alicui a conuenire. Quoniámque ea quæ de parte dicit retro commeat, a etiam in aliquo b intelligetur. Eadem etiam ratio eſt quoties ratiocinatio ad uniuerſum genus accommodatur, & uniuerſæ ſunt propoſitiones. Faciamus enim b totì c, a autem nulli eius parti conuenire, certè alicui b c non conueniet: a autem in nullo c intelligetur, ut c medium uerbum collocemus. Idem continget ſi una neget in totum, altera de parte dicat, ſic enim fiet ut & a in nulla c, & c in aliqua b parte intelligatur. At uerò ſi ad partem generis ea quæ negat accommodetur, reuocari non poterit, ut ſi uerbi cauſa b omni conueniat, a autem alicui c non conueniat. Si enim prima propoſitio conuertatur, utraque in parte intelligetur. Perſpicuum eſt autem ut formæ collocationis aliæ ad alias reuocentur, conuertendam eſſe in utraque forma aſſumptionem. Ea enim commutata fit formæ in formam mutatio. Secundæ autem formæ ratiocinationum una ad tertiam reuocatur, non reuocatur altera. Cum enim ea propoſitio negat quæ ad totum genus accommodatur, tum reuocatur. ſi enim a b nulli, c autem alicui conueniat, ambæ propoſitiones æquè retrò cõmeant. ita fit ut b in nullo a, c autem in aliquo intelligatur, ut a in medio collocemus. At uerò ſi a in omni b, in c autem aliquo minimè dicatur, reuocari non poteſt. Neutra enim propoſitio in totum reciprocatur. Atque etiam tertiæ formæ ratiocinationes ad mediam tum reuocabũtur, cum propoſitio quæ negat ad uniuerſum genus accommodabitur: ut ſi a nulli c, b autem aut alicui aut omni conueniat. Etenim c in nullo a, in b autem aliquo intelligetur.

Si

Si uerò negans in parte intelligatur, non reuocabitur. Neque enim in eam quæ ex parte negat, cadit reciprocatio. Perſpicuum eſt igitur eaſdem ratiocinationes in his formis non reuocari quæ ad primam non reuocarentur, ex iiſque ratiocinationibus quæ ad primam formam reuocantur, has ſolas ex eo quod fieri non poteſt, concludi. ac ex ijs quidem quæ diximus perſpicuum eſt quemadmodum reuocari ratiocinationes debeant, formáſque collocationis alias ad alias poſſe reuocari. Intereſt autem aliquid in confirmando & refellendo idémne an aliud ſignificare putes, non eſſe hoc, & eſſe non hoc. ut uerbi cauſa, non eſſe album, & eſſe non album. Non enim idem declarat: nec uerò huius, eſſe album, hæc eſſe non album, negatio eſt, uerum hæc, non eſſe album. Cuius hæc ratio eſt. Eandem enim rationem habet hoc, poteſt ambulare, ad illud, poteſt non ambulare, quam hoc totum, eſt album, ad illud, eſt non album. Et, ſcit bonum, ad illud, ſcit non bonum. Hoc enim, ſcit bonum, aut eſt ſciens bonum, nihil intereſt. Nec hæc duo, poteſt ambulare, & potens eſt ambulare, differunt: ita etiam eorum contraria idem ualent, non poteſt ambulare, non eſt (ut ita dicam) potens ambulare. Si igitur hæc duo idem ualent & efficiunt, non eſt potens ambulare, & potens eſt non ambulare, profectò hæc in eundem ſimul conuenient. Idem enim poteſt tum ambulare, tum non ambulare. Itémque bonum nouit, & non bonum. Affirmatio autem & negatio contrariæ eidem ſimul non conueniunt. ut igitur aliud eſt, non ſcire bonum, aliud, ſcire non bonum, ſic nec eſſe non bonum, ac non eſſe bonum, idem declarant. Eorum enim quorum eadem eſt collocationis ratio, ſi altera ſint diuerſa, etiam altera: nec idem ualent eſſe non par, & non eſſe par. Illi enim quod uerè eſt non par, aliquid ſubiectum eſt, idque eſt impar, huic autem nihil. Itaque non quicquid eſt, id uel par eſt uel impar. Præterea

ea



ea hæc duo, lignum eſt non album, & lignum album non eſt, non ſimul conueniunt. Si enim lignum eſt non album, lignum erit: quod autem non eſt album lignum, id non neceſſe eſt eſſe lignum. Ita perſpicuum eſt huius enuntiationis, eſt bonum, illam, eſt non bonum, non eſſe negationem. quòd ſi in omni re una aut affirmatio uera eſt aut negatio, ſi negatio non eſt, certè affirmatio ſit neceſſe eſt. atqui affirmationis omnis negatio eſt. Huius igitur etiam eſt, non eſt non bonum. Habent autem hunc inter ſe ordinem, Sit a eſſe bonum, b non eſſe bonum, c eſſe non bonum, quod ſub b ſubiectum ſit: d non eſſe non bonum, quòd a ſubijciatur: omni quidem rei aut a aut b conueniet, nec ulli eidem, itémq; uel c uel d: nec ulla eadem in re utrumq; intelligetur, & cui c, ei neceſſe eſt omni b conuenire. Si enim uerè dicitur eſſe non album quid, idem non eſſe non album, uerè dicitur. fieri enim poteſt ut idem ſimul ſit & album & non album, uel ut ſit lignum non album, & ſit lignum album. Ita ſi minus affirmatio, certè negatio conueniet. In b autem c non ſemper dicitur. Quod enim non eſt lignum omnino, ne lignum quidem non album erit. Contrà igitur cui a, ei omni etiam d conueniet, aut enim c aut d. quoniam autem fieri non poteſt ut ſimul ſit non album & album, d intelligetur. Nam in eo quod album eſt hoc uerè dicitur, id non eſſe non album. Inde autem non omni a dicitur. In eo enim quod non eſt lignum omnino, non uerè intelligitur a album eſſe lignum. ita d uerè, a non uerè lignum album eſſe dicitur. Hoc etiam perſpicuum eſt, a c nulli eidem conuenire etiam ſi b & d alicui eidem conuenire poßint. Eadem etiam negationum in dicendo collocatio eſt. Sit a par, b non par, c impar, d non impar. Ac in multis quidem quorum nonnullis idem conuenit, alijs non conuenit, negatio eodem modo non uera erit, non eſſe alba omnia, aut non eſſe unamquamque rem albam. Eſſe autem unamquamque rem

l

non albam, aut eſſe non alba omnia, falſum eſt itémq; huius, Omne animal album eſt, non hæc, omne animal eſt non album, negatio eſt (utraq; enim eſt falſa) ſed illa, non omne animal album eſt. Quoniam igitur perſpicuum eſt aliud ſignificare eſſe non album, aliud non eſſe album, atq; illud affirmationem eſſe, hoc negationem, certè non eodem modo utrumq; monſtratur, ueluti quicquid eſt animal, non eſſe album, aut poſſe non eſſe album, & uerè dici eſſe non album. Hoc enim eſt, eſſe non album: ſed hoc uerè licet dicere, eſſe album, ſiue non album, idem modus eſt, utrumq; enim confirmando in prima forma collocationis docetur. Verum enim & eſt, idem ualent. Huius enim, uerè dicitur eſſe album, non hæc, uerè dicitur non eſſe album: ſed hæc, non uerè dicitur eſſe album, negatio eſt. Quod ſi uerum eſt, quicquid ſit homo, id muſicum uel non muſicum eſſe, ſumendum eſt, quicquid ſit animal, id muſicum eſſe aut non muſicum. Ita res confecta erit. Hoc autem non eſſe muſicum quicquid ſit homo, ijs tribus modis quos expoſui refellitur. Omnino quoties a & b eam inter ſe rationem habent, ut ſimul utrumque in eadem re nunquam dici poßit, in omni autem neceſſariò alterutrum dicatur: eodémq; modo c & d inter ſe affecta ſint, & a ipſius c ſit conſequens, nec conuertatur: profectò ipſius etiam b d erit conſequens, nec reciprocabitur, & a atque d eidem conuenire poſſunt, b autem & c non poſſunt. Ac primùm quidem ipſius b d eſſe conſequens, hinc perſpici poteſt. Quoniam enim c & d alterum neceſſariò conuenit, cui autem b conueniat eidem c conuenire non poteſt, proptereà quòd ipſius a eſt antecedens, & a atque b in eadem re nulla intelligi poſſunt: certè d conſequetur. Rurſus quoniam a & c non reciprocantur, in omni autem re aut c aut d intelligitur, fieri non poteſt ut a & d in eadem intelligantur, b autem & c non dicuntur, proptereà quòd ipſius c a ſit



ſit conſequens. Aliquid enim abſurdi ſequitur: perſpicuum eſt nec b & d reciprocari, quandoquidem fieri poteſt ut ſimul cum d etiam a conueniat: fit etiam interdum ut in hac uerborum collocatione propterea captiones exiſtant, quòd non rectè contraria ſumantur, quorum neceſſe ſit alterum rebus omnibus conuenire. Veluti ſi uerbi cauſa a & b eidem ſimul conuenire non poſſunt, neceſſe ſit autem in quo non alterum dicatur, dici alterum. Rurſus c & d eodem modo inter ſe affecta ſint, cui autem c conueniat id omne a conſequatur, efficietur profectò cui d conueniat, ei b neceſſariò conuenire, quod falſum eſt. Sumatur enim ipſorum a & b negatio eáq; f nominetur, rurſúſq; illa c & d quæ g uocetur, profectò neceſſe eſt uel a uel f omni rei conuenire. Nam aut affirmationem aut negationem, rurſus uel c uel g, ea enim affirmationis & negationis uim obtinent, & cui c, ei omni a ſubijcitur. Ita cui f, ei omni g ſubijcietur. Præterea quoniam uel f uel b omni rei conuenit, itémque aut g aut d, ipſius autem f g eſt conſequens, ipſum etiam d b conſequetur. Hoc enim ſcimus. Si igitur c a ſequatur, ipſius etiam d b erit conſequens, quod falſum eſt. Conuerſo enim uerborum ordine in ijs quæ ita affecta ſunt ſequebatur concluſio: non enim fortaßis neceſſe eſt aut a aut f, nec uel f uel b omni conuenire. Neq; enim ipſius a f negatio eſt. Boni enim, non bonum eſt negatio. Atqui non idem ualet non eſt bonum quod nec bonum, nec non bonum: eadem etiam c & d ratio eſt. Quæ enim ſumptæ ſunt, duæ ſunt negationes.

*

# ARISTOTELIS PRIORVM ANALYTICORVM liber ſecundus, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

CAP I.

QVOT SINT formæ ratiocinationis, quibúſque ac quot propoſitionibus ea conſtet, & quando, quóq; modo tractetur: præterea quæ proponere ſibi debeat tum is qui aliquid refellere, tum is qui confirmare uelit, & quemadmodum pro quaq; uia ac ratione de re propoſita quærendum ſit, quibúſq; rationibus uniuſcuiuſq; principia aſſequamur iam explicauimus. Quoniam quidem ratiocinationes aliæ ad uniuerſum genus, aliæ ad partem accommodātur, ijs quidem quæ de toto genere ſunt, ſemper plura concluduntur: earum autem quæ ſpeciales ſunt, eæ quæ aiunt, plura, quæ negant, ſolam efficiunt concluſionem. Nam cum propoſitiones aliæ reciprocentur, ea autem quæ ex parte negat non reciprocetur, & concluſione aliquid de alio confirmetur, fit ut aliæ ratiocinationes plura concludant. ut ſi exempli cauſa a demonſtratum eſt omni b uel alicui conuenire, b etiam a alicui conueniat neceſſe eſt: & ſi nulli b a conueniat, nec b ulli a conueniet, quod diuerſum eſt à ſuperiore. At uero ſi a alicui b non conueniat, non neceſſe eſt etiam b alicui a non conuenire: fieri enim poteſt ut in omni intelligatur. Atq; hæc

quid



quidem cauſa communis eſt omnium tam eorum quæ ad uniuerſum genus, quàm eorum quæ ad eius partem accōmodantur. De generalibus autem aliter etiam diſſerere poſſumus, quæ enim aut ſub uerbum medium, aut ſub concluſionem ſubiecta ſunt, eorum omnium eadem erit ratiocinatio: ſi alia in medio, alia in concluſione collocentur. ut ſi a b concluſio ex c effecta ſit, de ijs omnibus quæ b & c ſubijciuntur, a dici neceſſe eſt. Si enim exempli cauſa d in toto b intelligatur, & b in toto a, d etiam in toto a intelligetur. Rurſus ſi e in toto c & c in toto a, e etiam in toto a dicetur. Quod etiam fiet ſi negans ſit ratiocinatio. In ſecunda autem collocationis forma id modo quod concluſione continetur, concludi licebit. ut ſi a nulli b, c autem omni conuenit, concluſio ſequitur nulli c b conuenire. Si igitur d ſit ſub c, perſpicuum eſt ei b minimè conuenire. In ijs autem quæ a ſubiecta ſunt, non intelligi, non ex ratiocinatione perſpicitur, atqui ipſi e non conuenit ſi ipſi a ſubeſt. Sed cum in nulla c parte b dici ratiocinatione monſtratum ſit, ipſi autem a non conuenire non ſit oſtenſum, & ſumptum ſit, fit ut non ratiocinatione concludatur b ipſi e non conuenire. In ſpecialibus autem ratiocinationibus eorum quæ concluſio complectitur non ſequetur neceſſaria concluſio (non enim ratiocinatio conficitur tum cum hæc in parte ſumitur) eorum autem quæ medio uerbo, ut partes generi, ſubiecta ſunt, omnium ſequetur, niſi quòd non tractata ratiocinatione. ut ſi exempli cauſa a omni b, b autem alicui c conueniat, id quod ſub c ſubiectum eſt, non concludetur ratiocinatione: id autem quod ipſi b ſubeſt, concludetur, ſed nō propter ſuperiorem ratiocinationem. Quod idem fiet etiam in cæteris formis diſpoſitionis, eius enim quod concluſio complexu ſuo continet, non ſequetur, alterius ſequetur concluſio, & ſi non ex ratiocinatione, hoc ipſo quòd in generalibus etiam ea propoſitione quæ probata non eſſet, ea

monſtrabatur quæ medium uerbum cõtinebat: ita uel in illis non ſequetur, uel etiam in his ſequetur.

## CAP. II.

PRopoſitiones quidem quibus concluſio efficitur, interdum ueræ ſunt interdum falſæ, nonnunquam etiam una uera, falſa eſt altera. Concluſio autem aut uera aut falſa ſit neceſſe eſt, ac ex ueris quidem falſum effici non poteſt, ex falſis autem uerum effici poteſt: ſed non à cauſa ſed ſolum ab effectu. A cauſa enim non eſt ex falſis concluſio, cuius quæ ſit cauſa deinceps aperiemus. Ac primum quidem ex ueris non poſſe falſum effici hinc perſpici licet. Si enim a poſito, b neceſſe ſit eſſe, etiam b ſublato a tollatur neceſſe eſt. Si igitur uerum eſt a, b etiam uerum erit neceſſariò, aut certè efficietur idem ſimul eſſe & non eſſe, quod fieri non poteſt. Nec uerò exiſtimandum eſt quòd a unum ſit uerbum, fieri poſſe ut uno aliquo poſito aliquid neceſſe ſit effici: non enim fieri poteſt. Nam & quod efficitur, neceſſariò concluſionis nomen obtinet: & quibus efficitur, minimum tria uerba ſunt duæq; propoſitiones. Si igitur uerum eſt cui b conueniat, ei omni a: & cui c, ei b conuenire: profectò in quo c, in eodem a intelligatur neceſſe eſt, neq; id falſum eſſe ullo modo poteſt. Hoc enim ſimul tum conueniet, tum non conueniet. A igitur quod pro uno uerbo habebatur, duas conficit propoſitiones. Similis eſt ratio negantium. neq; enim ex ueris falſum effici poteſt, at uerò ex falſis uerum poteſt effici, & utraque falſa, & una enuntiatione, atque ea non utrauis, ſed ſecunda, ſi modo totam falſam ſumamus. nam ſi non tota ſumatur, ex utralibet facere licebit.

### De prima forma collocationis.

FAciamus enim a & toti c & b nulli conuenire, b etiam c non conueniet. atqui hoc fieri poteſt, ueluti lapidi nulli animal, nec homo ulli lapidi conuenit. Si igitur ſumatur a





omni b & b omni c conuenire, profecto a omni c conueniet. ita ex duabus falſis uera ſequetur concluſio. Omnis enim homo eſt animal, eadem negantiæ ratio eſt, ponatur enim in nullo c tum a tũ b intelligi, a autem in omni b id perſpicietur ſi retentis iiſdem uerbis, hominis uerbum medium collocetur. Lapis enim nullus nec homo eſt nec animal, & omnis homo animal eſt. quare ſi quod alicui toti conuenit, id nulli illius parti: cui autem non conuenit, ei totum conuenire ſumamus, ex utraq; falſa uera erit concluſio. Eodem autem modo docebitur ſi quadam ex parte utraq; falſa ſumatur. Si uerò altera falſa ponatur, quoties prima, tota falſa erit, ueluti uerbi cauſa, a b uera concluſio non ſequetur, quoties autem b c ſequetur. Appello autem totam falſam, contrariam: ut ſi in nulla generis parte intelligatur, & in uniuerſo genere intelligi ſumatur: aut ſi uniuerſo generi conueniat, & nulli eius parti ſumatur conuenire. Eſto enim a nulli b conueniat, b autem c omni, ſi aſſumptionem ueram ſumamus & falſam omni ex parte propoſitionem, & b nulli a conuenire, fieri certe non poteſt ut uera ſit concluſio. Nulli enim eorum quæ c ſubiecta ſunt poſuimus conuenire, ſiquidem cui b ei nulli a, & b omni c conuenit. Nec uerò ſequetur falſa concluſio, ſi a toti b, & b c omni conueniat, & aſſumptio uera, propoſitio autem falſa tota ſumatur, in nullóq; eorũ in quibus b a intelligatur. Omni enim c a conuenit, ſiquidem in quo b in eo toto a, & b in toto c dicitur. Perſpicuum eſt igitur ſi prima omni ex parte falſa ſumatur ſeu aiat ſeu neget, & altera uera ſit, ueram concluſionẽ non ſequi: ſin minus omni ex parte falſa ſumatur, ſequi. Si enim a omni c cõueniat, & b alicui, b autem c omni, ueluti animal omni cygno, albo autẽ alicui conuenit, & albus omni cygno: profectò efficietur ſi a in omni b, & b in omni c dicatur, a omni c uerè dici. Omnis enim cygnus eſt animal, idem continget ſi propoſitio neget. Poteſt enim a & alicui b &

nulli c conuenire, b autem in omni c intelligi: ut aliquid quod album eſt, eſt animal, & nix nulla animal eſt, & nix omnis alba. Si igitur a nulli b, b autem omni c conuenire ſumatur, à nulli c conueniet. At uero ſi propoſitio omni ex parte uera, ſumptio autem omni ex parte falſa ſumatur, uera ſequetur concluſio: nihil enim prohibet a & b & c toti, b autem nulli c conuenire, ut omnes eiuſdem generis formæ, quæ non aliæ ab alijs continentur. Nam & equus & homo animalia ſunt, & nullus homo eſt equus. Si igitur a in omni b, & b in omni c ſumatur conuenire uera concluſio erit, cum interim falſa eſt omni ex parte ſumptio. Quod idẽ fiet ſi propoſitio negabit, fieri enim poteſt ut a nec b nec c ulli, & b c nulli cõueniat ut formis alius generis aliud genus. Nã nec muſica nec medicina animalia ſunt, nec medicina eſt muſica. Sumpto igitur a nulli b, b autem omni c conuenire, uera concluſio ſequetur. quinetiam uera erit ut non falſa ſit omni ſed quadam ex parte ſumptio, nihil enim prohibet a & b & c omni, b autem alicui c conuenire, ut genus & ſpeciei & differentiæ. Nam & omnis homo & quicquid eſt gradiens animal eſt, aliquid autem quod graditur non omne hominis nomen obtinet. Si igitur & a in omni b, & b in omni c intelligi ſumatur, profecto a in omni c intelligetur, quod uerum erat. Eadem erit ratio ſi propoſitio neget, fieri enim poteſt ut a nec b nec c ulli conueniat, b autem in aliquo c intelligatur, quo modo affectum eſt genus ad alius generis formam & differentiam. Nam nec prudentia ulla animal eſt, nec id quod in cognitione poſitum eſt, aliquid autem quod in cognitione & cõtemplatione uerſatur, eſt prudẽtia. Si igitur a nulli b, b autẽ omni c conuenire ſumatur, certè a nulli c conueniet, quod uerũ erat. In ijs autem ratiocinationibus quæ ad partẽ accõmodantur fieri poteſt ut & falſa omni ex parte prima propoſitione, uera autẽ altera, uera ſit cõcluſio: & quadã ex parte





propoſitione falſa, uera autem omni ex parte aſſumptione, & propoſitione uera, falſa autem quæ de parte dicit aſſumptione, & utraque falſa. nihil enim prohibet a & nulli b, & alicui c conuenire, & b in aliquo c intelligi, ut nix nulla animal eſt, & aliquid eorum quæ alba ſunt, eſt, & aliquid eorũdem nix eſt. Ita ſi medium uerbum niuis collocetur, primum animalis, ſumatúrque a omni b & b alicui c cõuenire, & propoſitio tota falſa & aſſumptio uera, & concluſio uera futura eſt. Similis erit ratio ſi propoſitio neget, fieri enim poteſt ut a omni b conueniat, c autem alicui non conueniat, cum interim b in aliquo c intelligetur: ueluti omnis homo eſt animal, aliquid autem eorum quæ alba ſunt, non eſt, & aliquid quod eſt album, eſt homo. Ita ſi medium hominis uerbum collocetur, ſumatúrque a nulli b, b autem alicui c conuenire, uera erit concluſio, falſa omni ex parte propoſitione. Itémque ſi falſa ſit quadam ex parte propoſitio & ſumptio uera, uera concluſio ſequetur. Nihil enim prohibet a & in b & in c aliquo dici, ipſumq́; b alicui c conuenire, ut animal alicui quod pulchrum eſt, & alicui quod magnum, & id quod eſt pulchrum alicui eorum quæ magna ſunt conuenit. Ita ſi ſumatur a omni b & b alicui c conuenire, propoſitio quidem quadam ex parte falſa erit, ſumptio autem uera, & uera concluſio. quod idem fiet ſi propoſitio ſit negans. Eadem enim uerba eodem ordine ad fidem faciendam collocabuntur. Rurſus ſi propoſitio uera & ſumptio falſa ſit, uera erit concluſio: nihil enim prohibet a toti b conuenire, ipſum autem c in aliquo, & b in c nullo intelligi. exempli cauſa, omnis cygnus animal eſt, & aliquid item quod eſt nigrum, cum interea nihil quod eſt nigrum, cygnus habeatur. Ergo ſi a in omni b & b in aliquo c intelligi ſumatur, uera concluſio erit, falſa aſſumptione: itémque ſi propoſitio negans ſumatur: poteſt enim a & nulli b, & c alicui non conuenire, b autem in nulla c parte dici: quam

quidem rationem genus habet & ad alius generis formam,
& ad id quod eius formis conuenit. Nam numerus nullus ani
mal eſt, & aliquid eorum quæ alba ſunt, eſt: nec quicquam
eorum quæ alba ſunt, eſt numerus. Si ergo medium uerbum
numerus collocetur, ſumatúrque a b nulli, b autem alicui c
conuenire, profectò a alicui c non conueniet, quod quidem e=
rat uerum, eritque propoſitio uera & falſa aſſumptio. Itém=
que ſi propoſitio quadam ex parte falſa ſit & ſumptio falſa,
erit uera concluſio. Nihil enim prohibet a alicui b & alicui
utriq; c conuenire, cum interim b c nulli conueniet, ut ſi b &
c ſint aduerſa, & utrumque eorum ſit eiuſdem generis acci=
dens: animal enim & alicui quod album eſt, & alicui quod
nigrum eſt conuenit, at id quod album eſt nulli eorum quæ ni=
gra ſunt conuenit. Si igitur a omni b, b autem alicui c conue=
nire ſumatur, uera concluſio ſequetur. Idem etiam fiet ſi ne=
get propoſitio, eadem enim uerba eodémque ordine ad id
probandum collocabuntur. Atque etiam falſis ambabus
concluſio uera erit. fieri enim poteſt ut a b quidem nulli, c
autem alicui conueniat, b uerò in nulla c parte intelligatur,
ut genus ſpeciei quæ alij generi ſubiecta ſit, & accidenti
eius formarum conuenit. Animal enim nulli numero, alicui
autem quod album eſt conuenit, & numerus in nullo eorum
quæ alba ſunt dicitur. Ita ſi a omni b & b alicui c conuenire
ſumatur tum uera erit concluſio tum falſæ ambæ propoſitio=
nes. Idémque continget ſi negans ſit propoſitio, nihil enim
prohibet a omni b, c autem alicui non conuenire, & b in nul
lo c dici. ut omnis cygnus animal eſt, aliquid autem quod eſt
nigrum, non eſt, & nihil quod nigrum eſt cygnus nominatur.
Quapropter ſi a nulli b, b autem alicui c conuenire ſumatur,
a alicui c non conueniet, ex quo fit ut & concluſio uera ſit
& falſæ propoſitiones.

Secun



## Secunda forma. CAP. III.

IN media autem collocationis forma omnino poteſt ex fal=
ſis uerum effici, & omni ex parte falſa utraq; propoſitio=
ne, & quadam ex parte, & una uera falſa altera, ut ſit utra=
uis omni ex parte falſa, & utraque aliqua ex parte falſa, &
una omnino uera altera quadam ex parte falſa, & una omni
ex parte falſa, altera autem quadam ex parte uera, tam in ijs
ratiocinationibus quæ ad uniuerſum genus, quàm in ijs quæ
ad eius partem accommodantur. Si enim a b nulli, c autem
omni conueniat, ut uerbi cauſa, animal in nullo lapide, in o=
mni autem homine intelligatur, & ordo propoſitionum mu=
tetur, ſumatúrque a b quidem omni, c autem nulli conuenire,
ex falſis omni ex parte propoſitionibus uera efficietur cõclu
ſio. Idémque uſuueniet ſi a omni b, c autem nulli conueniat,
eadem enim erit concluſio. Rurſus idem fiet ſi una tota falſa
ſit, & uera omni ex parte altera. nihil enim prohibet a & b
& c omni conuenire, ut b in nullo c intelligatur. Quo modo
genus affectum eſt ad eas formas, quarum aliæ ab alijs non
continentur. Animal enim & in omni equo & in homine di=
citur, nec ullus homo equus eſt: ita ſi animal uni omni, alteri
nulli conuenire ſumatur, illa omni ex parte falſa, hæc omni
ex parte uera erit, & uera cõcluſio. ut ſit negãs utrauis: idem
etiam contingere ſi una ſit quadam ex parte falſa, & uera
omni ex parte altera, hinc ſciri poteſt, quòd a alicui b, c au=
tem omni conuenire poteſt, cum interea b in nullo c intellige=
tur, ut exempli cauſa, animal & in aliquo quod album eſt, &
in omni coruo intelligitur. candor autem nulli coruo cõuenit.
Ergo ſi ſumatur a b nulli, c autem omni cõuenire, propoſitio
quadam ex parte falſa erit, ſumptio autem omni ex parte ue=
ra, & uera concluſio. Commutata etiam ea quæ negat idem
continget. Ab iiſdem enim uerbis probatio petetur. Itémq; ſi
aiens propoſitio quadam ex parte falſa ſit, & negãs omni ex

par

parte uera, nihil enim prohibet a alicui b, c autem omni non conuenire, ut b in nulla c parte dicatur. ueluti animal in aliquo quod album eſt intelligitur, & in pice nulla, & candor nulli pici conuenit. Ita ſi a omni b, c autem nulli ſumatur conuenire, propoſitio quadam ex parte falſa erit, ſumptio autem omnino uera, ueráque concluſio. Atque etiam uera concluſio efficietur ex utraque quadam ex parte falſa propoſitione, fieri enim poteſt ut a & b & c aliqua ex parte conueniat, b autem in nullo c intelligatur: ut animal & in aliqua re quæ alba eſt & in aliqua quæ nigra, dicitur, candor autem in nulla re nigra non dicitur. Si ergo a b omni, c autem nulli conuenire ſumatur, & utraque propoſitio quadam ex parte falſa erit & uera concluſio. Commutata etiam ea quæ negat idem fiet iiſdem adhibitis uocabulis. Quod etiam perſpici licet in iis ratiocinationibus quæ ad partem accommodatur. nihil enim prohibet a tum b omni, tum c alicui conuenire, cum interim b in aliquo c non intelligetur, ut animal & in omni homine, & in aliqua re quæ alba eſt, dicitur, homo uerò in aliqua re alba non dicitur. Ita ſi a nulli b parti, c autem alicui conuenire ponatur, ea quidem quæ de toto genere eſt, omni ex parte falſa erit, quæ autem ad partem accommodatur uera, & uera concluſio. Quod idem fiet ſi propoſitio aiat: fieri enim poteſt ut a b nulli, c autē alicui non cõueniat, ut etiam b in c aliquo minimè intelligatur, uelut animal & in nulla re inanimata & in aliqua re alba non dicitur, quod autē inanimatũ eſt, in aliqua re alba non dicitur. Si igitur ponatur a b omni, c autē alicui non cõuenire, propoſitio quidē quæ generalis eſt, omni ex parte eſt falſa, ſumptio autem uera, ueráque concluſio. Itémque ſi ea quæ ad totum genus uera ſit, falſa autem ea quæ ad partem accommodatur, nihil enim prohibet a nec b nec c ulli conuenire, b autem in aliquo c non intelligi. ut animal nulli neque numero neque rei inanimatæ conuenit, & numerus

alicu



alicui rei inanimatæ non conuenit. Ita ſi a b nulli, c autem alicui conuenire ponatur, uera tam concluſio erit quàm generalis propoſitio, falſa autem erit ea quæ ad partem accommodatur. Eadem eſt ratio cum ea quæ ait quid, generalis ponitur. A enim & b & c toti conuenire poteſt, b autem in aliquo c non intelligi: quam habet rationem genus ad formam & differentiam. Animal enim tum in omni homine tum in omni gradiente intelligitur, homo autem non in omni gradiente dicitur. Ita ſi a omni b conuenire, c autem alicui ponatur non conuenire, generalis propoſitio uera erit, falſa ſpecialis, & uera concluſio. Perſpicuum etiam eſt ex utraque falſa ueram effici concluſionem, ſiquidem fieri poteſt ut a & b & c toti conueniat, b autem aliquod c non ſequatur. Sumpto enim a b nulli, c autem alicui conuenire, utraque propoſitio falſa erit & uera concluſio. Idémque fiet ſi aiat ea quæ de toto genere eſt, & ſpecialis neget, poteſt enim a c omni, b autem nulli conuenire, & b in aliquo c non intelligi. ut animal in nulla ſcientia, & in omni homine, dicitur, non in omni autem homine ſcientia. Si igitur ſumatur a omni b cõuenire, in aliquo autem c non dici, propoſitiones quidem falſæ erunt, uera autem concluſio.

## Tertia forma tractandæ ratiocinationis.

### CAP. IIII.

IN tertia etiam collocationis forma ex falſis uerum effici poteſt & omni & quadam ex parte falſa utraque propoſitione, & altera omnino uera, & falſa altera, & una ex parte falſa, altera omnino uera, & contrà, & quot modis aliter commutari poſſunt propoſitiones. nihil enim prohibet nec a nec b c ulli conuenire, a autem in aliquo b intelligi. uti nec homo nec gradiens ulli rei inanimatæ conuenit, & homo alicui quod eſt gradiens conuenit. Ita ſi ſumantur & a & b omni c conuenire, & propoſitiones omnino falſæ erunt, &

uera

uera concluſio. Itémque ſi una neget aiátque altera, fieri enim poteſt ut b nulli c, a autem omni eidem conueniat, ut etiam a in aliquo b non intelligatur. ut nigror in nullo cygno, animal autem in eodem toto dicitur, & animal non omni rei nigræ conuenit. Si igitur b omni c, a autem nulli eidem conuenire ponatur, a alicui b non conueniet, ueráque concluſio erit falſis propoſitionibus. Erit etiam uera concluſio, ſi falſæ ex quadam parte ſint propoſitiones, nihil enim prohibet tam a quàm b alicui c conuenire. ut exempli cauſa, tum id quod album, tum id quod pulchrum eſt in aliquo animante intelligitur, & id quod album eſt in eo quod pulchrum. Ita ſi a & b in omni c dici ponatur, falſis quadam ex parte propoſitionibus uera ſequetur concluſio. Eadem erit ratio ſi aſſumptio negare ponatur. Nec enim quicquam impedimento eſt quo minus a alicui c non conueniat, b autem alicui eidem conueniat, & a in b non omni intelligatur. Nam & id quod album eſt alicui animanti non conuenit, & id quod pulchrum eſt alicui conuenit, & quod album eſt non in omni re pulchra dicitur. Si igitur ſumatur a nulli c, b autem eidem omni conuenire, tum falſæ aliqua ex parte propoſitiones erunt, tum uera concluſio. Quod idem fiet ſi una omni ex parte falſa, altera omni ex parte uera ſumatur. Poteſt enim & a & b omni c conuenire, a autem alicui b non conuenire. uelut animal & quod album eſt in omni cygno dicitur, cum interim animal in aliquo quod album eſt non intelligetur. His igitur poſitis uocabulis ſi ſumatur b omni c cõuenire, a autem eidem toti non conuenire, & ſumptio erit uera omnino. & propoſitio omni ex parte falſa & uera concluſio. Itémque ſi ſumptio falſa ſit, & propoſitio uera. Eadē enim ad probandum uerba ſumentur, niger, cygnus, inanimatus: quinetiam uera cõcluſio erit, ſi utraq; aiat propoſitio. Nam quoniam accidit ut b in omni c intelligatur, a uerò in toto non intelligatur, & a alicui b conu-



conueniat. ut exempli cauſa, cygnus omnis eſt animal, nullus autem cygnus niger eſt, & aliquod animans eſt nigrum, fit ut ſi tam a quàm b in omni c dici ſumatur, & ſumptio uera tota, & propoſitio tota falſa, & uera ſit concluſio. idémque fiet ſi propoſitio uera ſumatur, iiſdem enim è uerbis fides petetur. Itémque ſi una omni ex parte uera ſit, aliqua ex parte falſa altera, propterea quòd fieri poteſt ut b in omni c, a in aliquo eodem & a in aliqua b parte intelligatur. Omnis enim homo bipes eſt, non omnis pulcher, & aliquid quod eſt bipes pulchrum eſt. Ita ſi & a & b in c toto dici ſumantur, aſſumptio tota uera erit, propoſitio aliqua ex parte falſa, uera autem concluſio. Similis erit ratio ſi propoſitio uera ſit, & aliqua ex parte falſa aſſumptio. Commutatis enim iiſdem uerbis erit probatio, etſi una neget aiátque altera. Quoniam enim fieri poteſt ut b omni c, a autem alicui eiuſdem parti conueniat. His ita poſitis non in omni b a intelligetur. Ita ſi b omni c, a uerò nulli eidem conuenire ſumatur, & negans aliqua ex parte falſa erit, & uera omni ex parte altera, & uera concluſio. Rurſus quoniam hoc demonſtratum eſt, ſi a nulli c, b autem alicui eidem conueniat, fieri poſſe ut a alicui b non conueniat. Illud etiam perſpicuum eſt ſi propoſitio uera ſit omnino, aſſumptio autem aliqua ex parte falſa, poſſe ueram eſſe concluſionem. Si enim ſumatur a in nullo c, b autem in eodem toto intelligi, propoſitio omnino uera, ſumptio quadam ex parte falſa eſt futura. Atque etiam in ratiocinationibus quæ ad partem accommodantur perſpicuum eſt uerum ex falſis effici, eadem enim uerba ſumenda ſunt quæ in generalibus propoſitionibus, ita tamen ut in aientibus aientia, & in negantibus negantia ſumantur. Nihil enim intereſt ad uerborum collocationem, ſumáſne omni ex parte aliquid conuenire, cum nulli conueniat, an omni ex parte ſumas cum in aliquo intelligatur. quod eodem

dem modo iudicandum eſt de negantibus. Quapropter perſpicuum eſt tum cum falſa eſt concluſio, neceſſariò falſa eſſe ea aut omnia aut certè aliqua ex quibus effecta ſit. Cum autem uera eſt, non neceſſe eſſe uerum eſſe aliquid, nec totum aliquid, ſed fieri poſſe, ut cum nihil uerum eſt eorum quæ ſumpta ſunt, æquè uera ſit concluſio, & ſi id non ſit neceſſe. In cauſa eſt quòd cum duo ita affecta ſunt inter ſe ut ſi unum ſit, alterum etiam ſit neceſſariò, hoc autem ſi non ſit, ne ſuperiori quidem locus ſit futurus. At ſi idem ſit, non neceſſe ſit ſuperius fore. Idem autem ſi ſit, & nullum ſit, fieri non poteſt ut idem ſit neceſſariò. ueluti exempli cauſa, ſi tum cum a album eſt neceſſe eſt b eſſe, & cum a album non eſt b ſit neceſſe eſt. Cum enim hoc exempli cauſa a ſi eſt album, b neceſſe eſt magnum eſſe, & cum b magnum eſt, neceſſe eſt c non eſſe album: ſi a album eſt, c non eſſe album neceſſe eſt. Cúmque duo ſunt in rerum natura quorum ſi unum ſit, neceſſe eſt etiam eſſe alterum: hoc ſublato, a tollatur neceſſe eſt. Si igitur b non ſit, fieri non poteſt ut a ſit album. Si uerò tum cum a non eſt album, neceſſe eſt b magnum eſſe, efficitur neceſſariò ſi b non ſit magnum, ipſum b eſſe magnum: quod fieri non poteſt. Si enim b non eſt magnum, a non erit album neceſſariò. Si igitur tum cum a non eſt album, b magnum erit, efficitur quaſi ex tribus uerbis, ſi b non ſit magnum, b eſſe magnum.

## De probatione qua quaſi in orbem alia aliis oſtenduntur. CAP. V.

PRobare autem in orbem & alia alijs uiciſſim oſtendere, aliud nihil eſt niſi concluſione & altera propoſitione ſumpta, & conuerſa reliqua concludere quæ ſumpta fuit in altera ratiocinatione: ut ſi docendum fuit a omni c conuenire, idque per b monſtratum eſt: contráque oſtendatur a in b intelligi, ſumpto illo, a ipſi c & c ipſi b conuenire, cum antea è

conuer



conuerſo ſumptum ſit b in c intelligi. Aut ſi cum docendum eſſet b in c dici, ſumptum eſt a in c intelligi. quod fuit in concluſione, & b ipſi a conuenire, cum antea ſumptum fuerit contrà a in b intelligi. Alio modo alia ex alijs uiciſſim effici, docerı́q; non poſſunt. Siue enim aliud uerbum medium ſumatur, nõ in orbem reuoluetur probatio, nulla enim eadem propoſitio ſumetur: ſiue earum aliqua, alteram tantum neceſſe eſt. Nam ſi earum utraq; ſumatur, eadem ſequetur concluſio, cum aliam ſequi oporteat. Ac in ijs quidem quæ non retro uiciſſim commeant, ex altera propoſitione quæ non eſt probata concluſio efficitur. His enim probationibus probari non poteſt tertium uerbum medio, aut primo medium conuenire. In ijs autem quæ uiciſſim retro commeant ac reciprocantur, alia ab alijs uiciſſim omnia confirmari probariq; poſſunt. ut ſi exempli cauſa a b & c inter ſe reciprocantur ponamus probari, a c propoſitionem per medium uerbum b, & rurſus a b per concluſionem, & b c conuerſam propoſitionem: itémq; b c propoſitionem, per concluſionem atque a b propoſitionem, cuius uerborum ſit ordo conuerſus (propoſitiones autem c b & b a probandæ ſunt, propterea quòd earum tantum confirmationem non adhibuimus) certè ſumpto illo b in toto c & c in toto a intelligi, a b ſequetur concluſio: rurſus ſumpto illo c omni a & a omni b conuenire, c omni b conueniat neceſſe eſt. In hac quidem utraque ratiocinatione quoniam c a propoſitio ſumpta eſt nec probata (cæteræ enim confirmatæ ſunt) eam ſi probemus, profectò omnes aliæ alijs uiciſſim probatæ erunt. ita ſi c in omni b & b in omni a dici ſumatur, tum utraque propoſitio probata ſumetur, tum c in a neceſſe erit intelligi. Perſpicuum eſt igitur in ijs demum quæ reciprocantur, in orbem circumagi, aliáſque ab alijs peti probationes. In cæteris autem eo modo ſumantur quem ſuprà expoſui. In his etiam uſuuenit, ut id quod

m

oſtenſum & probatum eſt, ad aliud probandum ſumatur. Nam cum & c in b & b in a intelligi cõfirmetur, ſumpto illo c in b dici, c autem ipſi a his propoſitionibus conuenire probetur, fit ut ad aliud probandum ſumamus concluſionem: in ratiocinationibus autem quæ negantes ſunt alia alijs uiciſsim probantur hoc modo, Ponamus b omni c & a nulli b cõuenire, illa ſequitur concluſio, A nulli eorum quæ c complectitur conuenit. Rurſus ſi concludendum eſt, a in nullo b intelligi quod paulò ante ſumptum eſt, & a nulli c, & c omni b conueniet. Sic enim retro propoſitio commeat. At ſi b in c dici efficiendum eſt, non iam eodem modo conuertenda a b propoſitio eſt. Eadem enim eſt propoſitio, b nulli a & a nulli b conuenire, ſed ita ſumendum eſt, cui a nulli conuenit, in eo omni b intelligi. Faciamus a nulli c conuenire, quæ erat concluſio, cui autem nulli a conuenit, in eo toto b intelligi ſumatur, profectò neceſſe erit b omni c conuenire. Ita cum tria ſint, unumquodque extitit concluſio. Ac in orbem uiciſsim probare, aliud nihil eſt niſi ſumpta concluſione alteráq; propoſitione, ita ut eius uerborum ordo conuertatur, alteram concludere. In ijs autem ratiocinationibus quæ de parte ſunt, generalis propoſitio alijs probari non poteſt, ſpecialis autem poteſt. Ac generalem confirmari non poſſe hinc perſpici licet, quòd cum generalis generalibus probatur, non eſt de toto genere concluſio, quæ ſumi debet ad probandum addita altera propoſitione. Præterea ex his nulla confici ratiocinatio poteſt, ſi propoſitio reciprocetur, ſpecialis enim erit utraque. Ea autem quæ ad partem accommodatur probari poteſt. Ponamus enim ſumptum eſſe b ad probandum a alicui c conuenire, ſi b in omni a intelligatur & maneat concluſio, b alicui c conueniet. Prima enim forma collocationis extitit, & a medium uerbum collocatur. Si uerò ſit negans ratiocinatio, generalis propoſitio probari non poteſt, propter eam cauſam



cauſam quam paulò ante dixi: ea autem quæ ad partem accommodatur, ſi quidem eodem modo a b propoſitio conuertatur, quo in generalibus, non poteſt, aſſumptione autem poteſt, ueluti cuius alicui parti a non conueniat, eius alicui b conuenire. Si enim alia ſit uerborum collocatio, ratiocinatio non conficitur, propterea quòd neget ea propoſitio quæ ad partem accommodatur.

## CAP. VI.

IN ſecunda autem forma tractandæ ratiocinationis, hoc modo ea quæ ait doceri non poteſt, ea autem quæ negat poteſt. Ac ea quidem quæ ait, ob eam cauſam probari nequit, quòd non ait utraque propoſitio. Nam & concluſio hic negans eſt, & quod ait utraque aiente oſtenditur. negans autem docetur hoc modo, Faciamus a omni b, c autem nulli conuenire, ſequitur hæc concluſio, b nulli c conuenit: ita ſi b omni a, c autem nulli conuenire ſumatur, neceſſe erit a nulli c conuenire. Conficitur enim ſecunda forma ut b medium uerbum collocemus. Si uerò propoſitio neget, datàque aſſumptio, prima erit forma tractandæ ratiocinationis. C enim omni a, b autem nulli c conuenit, ex quibus illud efficitur, b nulli a conuenire: ita nec ulli b a conueniet, ut ſit c medium uerbum in oratione. Ac per concluſionem & unam propoſitionem minimè tractatur ratiocinatio, aſſumpta autem altera tractabitur. Si uerò non ad uniuerſum genus ratiocinatio accommodetur, generalis propoſitio non probatur propter eandem cauſam quam etiam paulò ante attuli: ea autem quæ de parte eſt oſtenditur, quoties ea quæ ait, de toto genere dicit. Ponamus enim a omni b c autem non omni conuenire, concluſio erit, b in c non intelligi. ita ſi b omni a c autem non omni conuenire ſumatur, concluſio ſequetur a alicui c nõ conuenire. Qua in ratiocinatione b medium uerbum collocatur. Sin neget ea quæ de toto genere eſt, a c

propoſitio non probabitur conuerſa a b propoſitione. Sic enim fit ut uel utraque uel altera propoſitio neget, ita non conficietur ratiocinatio, ſed eodem modo quo in generalibus monſtrabitur ſi ſumatur, Cuius alicui parti b non conueniat, eius alicui a conuenire.

### CAP. VII.

IN tertia uerò forma cum utraq; propoſitio generalis eſt, aliæ alijs uiciſſim oſtendi non poſſunt. Cum enim & quod generale eſt, generalibus confirmetur, & in hac forma ſit ſemper ſpecialis concluſio, profectò in hac forma propoſitio generalis doceri nullo modo poteſt. Quoties autem una ad uniuerſum genus altera ad eius partem accommodatur, interdum oſtendi poteſt, interdum non poteſt. Ac cùm utraque aiens ſumitur & generalis eſt aſſumptio, tum denique probari poteſt, cum autem propoſitio non poteſt. Ponamus enim a omni c, b autem alicui eidem conuenire, concluſio ſequetur a in b intelligi. Ita ſi ſumatur c in omni a dici conuerſa generali propoſitione, & a in b quæ concluſio fuit, c quidem alicui b conuenire oſtenſum eſt: b autem in aliquo c intelligi non eſt probatum. Atqui neceſſe eſt ſi c alicui b conueniat, etiam b alicui c conuenire. Sed tamen aliud eſt hoc illi, aliud illud huic conuenire, ſumendúmq; eſt ſi hoc illi alicui conueniat, & alterum huic alicui conuenire, quo ſumpto non iam efficitur ex concluſione & altera propoſitione concluſio. Si uerò b in omni c, a autem in aliquo c intelligatur, tum licebit a c propoſitionem probare, cum ſumptum erit, & c omni b & a eidem alicui conuenire. Etenim ſi c omni b & a alicui b conueniat, profectò a alicui c conueniat neceſſe eſt, ut b in medio locemus. Atque etiam cùm una aiet & altera negabit, ita tamen ut ea aiat quæ de toto genere eſt, altera probabitur. Conſtituamus enim tria uerba quorum exempli gratia b in omni c, a autem in eiuſdem aliqua



qua parte non intelligatur, concluſio hæc ſequetur, A alicui b non conuenit. Si igitur hoc ſumatur c in omni b dici, cum etiam a non omni b conueniat, neceſſe erit a alicui c non conuenire, ut medium uerbum b intelligamus. at uerò ſi negans ad uniuerſum genus accommodetur, non probatur altera niſi eo modo ſumantur qui ſuprà à nobis expoſitus fuit, id eſt niſi hoc ſumatur cuius alicui parti hoc non conueniat, eius alicui parti alterū conuenire. uelut ſi a nulli c & b alicui cōueniat, efficitur a in aliquo b non intelligi. Ita ſi hoc ſumatur, in cuius aliqua parte a non intelligatur, eius alicui parti c conuenire, c alicui b conueniat neceſſe eſt. Alio autem modo cōuerſa ea propoſitione quæ de toto genere eſt alteram probare non poſſumus, neq; enim erit ratiocinatio. quapropter illud quidem perſpicuum eſt mutuam propoſitionum probationem in prima forma collocationis & per primam formam tractari & per tertiam. Si enim aiat concluſio à prima, ſin neget ab extrema petitur probatio. Hoc enim ſumitur cuius nulli parti unum conueniat, ei toti alterum conuenire. In media autem forma ſi generalis ſit ratiocinatio, & ab illa & à prima & à poſtrema: ſin ſpecialis, & ab illa & à poſtrema eius confirmatio ſumitur. In tertia autem ab ea omnes petuntur. Illud etiam perſpicuum eſt, in media & extrema forma eas ratiocinationes quæ non per eas tractentur, aut non eſſe mutuas, aut imperfectas eſſe probationes.

## De ratiocinationum conuerſione.

### CAP. VIII.

COnuertere autem eſt conuerſa concluſione conficere ratiocinando uel poſtremū uerbū medio, uel hoc poſtremo non conuenire. Neceſſe eſt enim concluſione conuerſa & altera propoſitione manēte, eam quæ reliqua ſit euerti. Si enim ſtet, ſtabit etiam concluſio: multum autem intereſt contradicendo an aduerſando conuertas concluſionem, non enim ea-

dem ratiocinatio conficitur, cum utroq; modo conuertitur: quod ex ijs perſpicuum erit quæ mox diſſeremus. Appello autem contradicere, ut hæc omni & non omni, alicui & nulli: aduerſari autem, ut hæc omni & nulli alicui & non alicui conuenire. Sit enim probatum per b mediũ uerbum a in c intelligi, certè ſi a ſumatur nulli c & b omni eidem conuenire, b nulli c conueniet. Itémque ſi a in nullo c, & b in omni c intelligatur, certè a non omni b, ac non omnino nulli conueniet, quandoquidem in tertia forma id quod generale & uniuerſum eſt non probatur. Propoſitio autem quæ maior dicitur nullo modo refelli in totum poteſt per conuerſionem. ſemper enim per tertiam formam refutatur, propterea quòd neceſſe eſt ad extremum uerbum utramq; ſumi propoſitionẽ. Idémque contingit ſi negans ſit ratiocinatio. Ponamus enim probatum eſſe per b a nulli c conuenire, hoc poſito, ſi ſumatur a in omni c & in nullo b dici, nulli c b conueniet: & ſi tam a, quàm b in omni c intelligatur, a alicui b conueniet: atqui in nullo intelligebatur. Quòd ſi contradicens fiat conuerſa cõcluſio, cæteræ etiam contradicentes non generales erunt ratiocinationes. Nam cum altera propoſitio ſit ſpecialis, ſpecialis etiam erit concluſio. Sit enim aiens ratiocinatio eáq; hoc modo conuertatur, profectò ſi a non omni c, ipſi autem b omni conueniat, b non omni c conueniet: & ſi a non omni c, b autem in omni eodem intelligatur, a non in omni b intelligetur. eadem eſt ratio negãtis ratiocinationis. Si enim a alicui c, ipſi autem b nulli conueniat, certè b non nulli omnino ſed alicui c non conueniet. & ſi a in aliquo c, b autem in toto eodem dicatur, quemadmodum initio ſumptum eſt, a in aliquo b intelligetur. In ijs autem ratiocinationibus quæ ad partem accõmodantur, ſi contradicendo concluſio conuertatur, ambæ refellũtur propoſitiones: ſin aduerſãdo, neutra refellitur. Neq; enim iam locus eſt ei refutationi, cui in generalibus ratiocinationibus





nibus eſſe diximus, cum deſit concluſionis cõuerſio, ſed ne ulli quidem refutationi eſt. Faciamus enim a probatum eſſe in aliquo c intelligi: ſi ſumatur a nulli c, b autem alicui eidem conuenire, a in b aliquo non intelligetur, & ſi a nulli c, omni autem b conueniat, nulli c b conueniet. Ita utraq; propoſitio refellitur. At uerò ſi aduerſando conuertatur concluſio, neutra euertitur. Si enim a alicui c non conuenit, ipſi autem b omni conuenit, b alicui c non conueniet. Atqui nondum euerſum eſt id quod agitur. fieri enim poteſt ut & alicui cõueniat & alicui non conueniat. Propoſitionis autem a b quæ generalis eſt, nulla omnino conficitur ratiocinatio. Si enim a alicui eorum quæ ſub c ſubiecta ſunt non conueniat, b autem alicui conueniat, neutra propoſitio ad uniuerſum genus accõmodatur. Idẽ fiet ſi negans ſit ratiocinatio. Si enim ſumatur a omni c conuenire, utraq;: ſi alicui, neutra refellitur. quod eodem modo oſtendi poteſt.

## Secunda forma. CAP. IX.

IN ſecunda autem forma propoſitio prima aduerſando utrolibet genere conuerſionis refelli non poteſt. Ad tertiam enim formam in qua nulla eſt generalis ratiocinatio, ſemper concluſio pertinebit: alterã autem ſimili genere conuerſionis refellimus. Appello autẽ ita ſimile, ut ſi aduerſando conuertatur, etiam aduerſando: ſi contradicendo, contradicendo eam refutemus. Ponamus enim a in omni b, in c autem nullo intelligi, b c concluſio ſequetur. Ita ſi ſumatur b omni c conuenire, & b c maneat, c omni c conueniet. prima enim forma eſt illa collocationis. Si uerò b in omni c, a autem in nullo c intelligatur, a non in omni b intelligetur: eſt enim poſtrema forma. Si uerò b c propoſitio contradicendo conuertatur, a b propoſitio ſimili modo refelletur, a c autem contradicendo. Si enim b alicui c, & a nulli c conueniat, a alicui b nõ cõueniet. Rurſus ſi b in aliquo c, & a in omni b dicatur, a in aliquo

c intelligetur. ita contradicens concluſio efficitur, eodémque modo probabitur ſi propoſitionum ordo commutetur. In ijs autem ratiocinationibus quæ ad partem adhibentur, conuerſa concluſione aduerſando, neutra propoſitio, quemadmodum nec in prima forma refellitur: ſi autem contradicendo conuertatur, utraq; refellitur. Ponatur enim a in nullo b, in aliquo autem c dici, b c erit concluſio. Si igitur ponatur b alicui c conuenire, & a b maneat, concluſio erit, a alicui c non conuenit. atqui id quod agitur non eſt refutatũ, poteſt enim alicui & conuenire & nõ conuenire. Rurſus ſi b alicui c & a alicui c conueniat, non erit ratiocinatio, quippe cum neutrũ eorum quæ ſumpta ſunt ad totum genus accommodetur. Ita a b propoſitio non refellitur. Si uerò contradicendo conuertatur, utramq; licebit euertere. Si enim b in omni c, a autem in nullo b dicatur, in nullo c a intelligetur. atqui in aliquo intelligebatur. Rurſus ſi b omni c, & a alicui c conueniat, alicui b a cõueniet: eadẽ etiã probatio erit, ſi aiat propoſitio generalis.

### Tertia forma. CAP. X.

IN tertia uerò forma cũ aduerſando concluſio conuertitur, neutra propoſitio ulla ratiocinatione euertitur. Cum autẽ contradicẽdo tum utraq;, idq; omnibus ratiocinationibus. Ponatur, iam oſtenſum eſſe a in aliquo b intelligi, mediũq; uerbum c ſumatur, ſunto etiam generales propoſitiones: his poſitis ſi ſumatur a in aliquo b non dici, b autẽ in c omni dici, non ſequetur a c concluſio. Itémq; ſi a alicui b non conueniat, in c autem omni intelligatur, b c non efficietur concluſio. Eodem etiam modo probabitur ſi non ſint generales propoſitiones, aut enim utrãq; ſpecialem eſſe neceſſe eſt per conuerſionem, aut generalẽ fieri aſſumptionẽ. atqui hoc modo nõ efficitur, ut docui, ratiocinatio nec in prima nec in ſecũda forma collocationis. Si uerò cõtradicẽdo propoſitiones cõuertãtur, utraque refelletur. nam ſi a in nullo b, & b in omni c intelligatur,





certè in nullo c a intelligatur neceſſe eſt. Rurſus ſi a nulli b conueniat & in omni c dicatur, b nulli c conueniet. Idem fit cùm altera ad uniuerſum genus non accommodatur. Si enim a nulli b & b alicui c conueniat, in aliquo c a non intelligetur. Si uerò a in nullo b & in omni c dicatur, nulli c b conueniet. Eadem eſt ratio negantis concluſionis. Sit enim demonſtratum a alicui b non conuenire, negantémque ponamus b c, & aientem a c propoſitionem. His ita poſitis efficiebatur ratiocinatio: ac ſi concluſionis contrarium ſumatur, ratiocinatio non tractabitur. Si enim a alicui b, & b omni c conuenit, a c concluſio non ſequebatur. Nec uerò b c ſequebatur ſi a alicui b, nulli autem c conueniebat: ex quo fit ut non refellantur propoſitiones. Sin eiuſdem cõtradicens ſumatur, refelluntur. Si enim a omni b & b omni c conueniat, a omni c conueniet. atqui in nullo intelligebatur. Rurſus ſi a in omni b, in nullo autem c dicatur, b in nullo c intelligetur, cum omni eidem conueniret. Similis erit etiam probatio generales cum ſint propoſitiones. ſit enim a c propoſitio & generalis & negans, altera autem aiens & ad partem accommodetur, his poſitis ſi a omni b & b alicui c conuenit, a etiam alicui c conuenit, at in nullo intelligebatur. Rurſus ſi a & in omni b & in nullo c intelligitur, b in nullo c dicitur. At uerò ſi a alicui b, & b alicui c conuenit, non tractatur ratiocinatio. nec efficitur ſi ita uerba collocentur ut a alicui b, nulli autem c conuenire ſumamus. Ita fit ut illo modo refellantur propoſitiones, hoc non refellantur. perſpicuum eſt igitur ex ijs quæ dicta ſunt quemadmodum conuerſa concluſione in unaquaque forma conficitur ratiocinatio, & quoties aduerſando, quoties contradicendo propoſitioni. Illud etiã perſpicuum eſt in prima forma per ſecundã & tertiã ratiocinationes tractari, ſemperq; aſſumptionẽ per mediã, propoſitionem autem per poſtremã refelli. In ſecunda uerò forma & per primam & per extremam, ita

tamen ut aſſumptionis ſemper à prima, propoſitionis à tertia ducatur refutatio: in tertia autem & per primam & ſecundam, cum hac exceptione, quòd propoſitio per primam ſemper, & per ſecundam ſemper ſumptio refellatur. Ac illud quidem planum factum eſt, quid ſit conuertere, quóque modo & quæ in quaque forma conficiatur ratiocinatio.

## De probatione ab eo quod fieri non poteſt.

### CAP. XI.

Ratiocinatio autem qua incõmodum ſequi docemus tum denique monſtratur, cum poſita & conceſſa concluſione alia propoſitio aſſumitur. Conuenit autem in omneis formas collocationis. Similis enim eſt cõuerſioni, nec alia re ab ea differt niſi quòd confecta iam ratiocinatione ſumptiſque ambabus propoſitionibus, conuerſio fit ratiocinationis. Compellimus autem ad incommodum cum non antea conceſſum eſt contrarium, ſed id uerum eſſe conſtat. Verborum autem in utraq; eadem collocatio eſt, eademq; utriuſq; aſſumptio. ut ſi a omni b conuenit, & c medium eſt uerbũ: his poſitis ſi ponatur a aut non omni aut nulli & omni c conuenire, quod uerum erat, c ipſi b aut nulli aut non omni conueniat neceſſe eſt. Quod cum fieri non poßit, falſum eſt id quod eſt poſitum: ita uerũ eſt eius contrarium. Eadem eſt ratio formarũ cæterarum. Quæ enim conuerſionẽ recipiunt, in eaſdem cadit ea quæ ex eo quod fieri nõ poteſt ducitur ratiocinatio. Ac cæteræ quidem quæſtiones ea ratiocinatione quæ ad incommodum compellit omnes in omnibus formis probãtur. Vniuerſa autem quæ ait quid in ſecunda & tertia docetur, in prima non docetur. Sit enim poſitum a b non omni aut nulli conuenire, ſumatúrque altera propoſitio utralibet ſiue c a omni ſiue b omni d conuenire: His ita poſitis, prima forma tractabitur ac ſi a non omni b conuenire ponatur, ratiocinatio minime conficitur, ut propoſitionem etiam utramuis aſſumamus. Sin autem nulli, cum b d ſumetur, erit quidem falſi concluſio. Id autem quod propoſitum eſt c non docetur. Si enim a in nullo b, & b in omni c intelligitur, a nulli d conuenit, quod fieri non poteſt, falſum eſt igitur a nulli b conuenire. Atqui non ſi nulli cõuenire falſum eſt, propterea omni uerum eſt. Cum autem c a ſumitur, non efficitur concluſio, nec cum ponitur a non omni b cõuenire. Ergo illud quidem perſpicuum eſt, omni conuenire in prima forma, ex eo quod fieri non poteſt non doceri. Alicui autem & nulli & non omni docetur. Sit enim poſitum a in nullo b intelligi, b autem ſumatur omni aut alicui c conuenire. His poſitis a non omni aut nulli c conueniat neceſſe eſt, quod fieri non poteſt. Verum enim erit & perſpicuum a omni c conuenire. ita ſi hoc falſum eſt, neceſſe eſt a in aliquo b intelligi. Si uerò ad a altera propoſitio ſumatur non erit ratiocinatio, nec cum ponetur concluſionis cõtrarium quod aduerſum dicitur, ut alicui non conuenire. Perſpicuum eſt igitur contrarium id quod contradicens uocatur eſſe ponẽdum. Rurſus poſitum ſit a alicui b conuenire, & c in omni a dici ſumatur, efficietur neceſſariò c in aliquo b intelligi. Hoc autem eſto in iјs quæ fieri nequeunt, ita falſum eſt id quod eſt poſitum. Quod ſi ita eſt, uerum eſt nulli conuenire. Idem fiet ſi c a negans propoſitio ſumatur, ſi uerò ad b propoſitio ſumatur, non erit ratiocinatio: ſin contrarium poſitum ſit & ratiocinatio erit & quod fieri non poteſt, ſed id quod propoſitum eſt non docetur. Sit enim poſitum a omni b conuenire ſumatúrque c in omni a intelligi, profectò c in omni b intelligetur, quod fieri non poteſt. ita falſum eſt a omni b conuenire: atqui nondum erat neceſſe niſi omni conueniret nulli conuenire. Eadem eſt ratio ſi ad b altera propoſitio ſumatur. Nam & ratiocinatio erit & quod fieri non poteſt. Id autem quod agitur non refellitur: ex quo perſpicuum eſt ponendum eſſe id contrarium quod contradicens uocatur, ut autem a non b conuenire doceamus, omni

omni conuenire ponendum eſt. Si enim a in omni b, c autem in omni a dicitur, c omni b conuenit. Quod ſi fieri non poteſt, falſum eſt id quod eſt poſitum. Idem etiam fiet ſi ad b ſumatur altera propoſitio, & ſi c a ſit negans. Sic enim ratiocinatio efficitur. Si uerò ad b negans propoſitio ſumatur, nihil probatur: quòd ſi non omni ſed alicui cōuenire ponatur, non docetur non omni ſed nulli conuenire. Si enim a in aliquo b, c autem in omni a dicitur, c in aliquo b intelligetur. Quod ſi fieri non poteſt, falſum eſt a alicui b conuenire, ita nulli conuenire uerum eſt, quo effecto uerum euertitur. A enim alicui b poſitum eſt conuenire, alicui autem non cōuenire poſitum eſt. Iam uerò non ex eo quod poſitum eſt incommodum ſequitur, falſum enim eſſet, ſiquidem ex ueris falſum effici non poſſet. Nunc autem uerum eſt, alicui enim b a conuenit, ita non eſt hoc ponendum, alicui, ſed omni conuenire. Idem continget ſi a alicui b non conuenire doceamus. Si enim idem ualet alicui non conuenire, quod non omni, eadem utriuſque probatio eſt. Perſpicuum eſt igitur non contrarium quod aduerſum uocatur, ſed id quod contradicens ponendum eſſe in omnibus ratiocinationibus. ſic enim & neceſſaria concluſio & probabilis enunciatio futura eſt. Quoniam enim in omni re uera eſt aut affirmatio aut negatio, ſi probatum ſit negationem ueram non eſſe, affirmatio uera ſit neceſſe eſt. Præterea ſi affirmatio uera eſſe non ponatur, probabile erit poſtulare negationem, atqui contrarium non conuenit poſtulare. Nam nec neceſſarium eſt, ſi nulli conuenire falſum ſit, omni conuenire uerum eſſe: nec probabile eſt, ſi alterum falſum, uerum eſſe alterum. Hoc igitur perſpicuum eſt, quæſtiones alias omneis in prima forma ex eo quod fieri non poteſt, doceri: uniuerſam autem quæ aiat, non doceri.

CAP. XII.

IN media autem & tertia hæc quoque probatur, ſit enim poſit-



poſitum a non omni b conuenire, ſumptúmque ſit in omni c a intelligi, profectò ſi a non omni b conuenit, in c autem omni dicitur, non omni b c conueniet, quod fieri non poteſt. Sit enim perſpicuum omni b c conuenire, ita fiet ut falſum ſit id quod poſitum eſt, uerum igitur eſt omni conuenire. Si uerò contrarium ponatur, ratiocinatio quidem erit & id quod fieri nō poteſt, id autem quod propoſitum eſt non docetur. Si enim a in nullo b, c autem in omni eodē dicatur, c nulli b conueniet. Quod quoniam fieri non poteſt, falſum eſt in nullo intelligi. atqui non ſi hoc falſum eſt, continuò uerum eſt omni conuenire. Cum uerò alicui b a conuenit, ponatur nulli b conuenire a, quod interim in omni c intelligatur: his poſitis neceſſe eſt c in nullo b intelligi. quod ſi fieri non poteſt, alicui b a conueniat neceſſe eſt, quòd ſi ponatur alicui non conuenire, eadem quæ in prima forma contingent. Rurſus poſitū ſit a alicui b conuenire in cuius parte nulla dicatur, c in b non intelligatur neceſſe eſt. at in omni intelligebatur. ita falſum eſt id quod eſt poſitum, ex quo fiet ut nulli b a conueniat. Cum porrò non omni b a conuenit, ponatur omni cōuenire, & ipſi c nulli, ita neceſſe erit c in nullo b intelligi. Quod ſi fieri non poteſt, uerum eſt non omni conuenire: quare perſpicuum eſt omneis per ſecundam formam tractari ratiocinationes.

De tertia forma. CAP. XIII.

QVod eodem modo de tertia forma iudicandum eſt. Sit enim poſitum a in aliquo b non intelligi, c autem in omni eodem intelligi. His poſitis a alicui c non conueniet, quod ſi fieri non poteſt, falſum eſt alicui non conuenire: ita omni conuenire uerum eſt. Si uerò ponatur nulli conuenire, tum ratiocinatio erit, tum quod fieri non poteſt: id autem quod propoſitum eſt non probatur. Si enim contrarium ponatur, eadem incident quæ in ſuperioribus, ſed ad illud alicui conuenire ſumendum eſt id quod eſt poſitum. Nam ſi a in nullo b, c aut

*b, c autem in aliquo b dicatur, a non in omni c intelligetur: quod ſi falſum eſt, uerum eſt a alicui b conuenire. Cum autem nulli b a conuenit, poſitum ſit in aliquo intelligi, ſumatur etiam c omni b conuenire. His poſitis a alicui c conueniat neceſſe eſt: atqui nulli conuenire dicebatur. ita falſum eſt in aliquo b a intelligi. quòd ſi poſitum ſit omni b, a conuenire, non probatur id quod propoſitum eſt, quin etiam ad illud efficiendum, non omni conuenire, hoc ipſum propoſitum ſumēdum eſt. Si enim & a omni b, & c alicui eidem conuenit, profectò a alicui eorum quæ ſub c ſubiecta ſunt conueniat neceſſe eſt, quod ſi uerum non erat, certè falſum eſt omni conuenire. quod ſi ita eſt uerum eſt, non in omnibus intelligi. Si cui uerò conuenire ponatur, eadem quæ in ſuperioribus caſura ſunt omnia. Ergo illud iam confectum eſt contrarium id quod contradicens uocatur, ponendum eſſe in omnibus ratiocinationibus quæ ex eo quod fieri nō poteſt ducuntur. Illud etiam perſpicuum eſt, quæſtionem aientem in ſecunda forma, & uniuerſam in tertia quodam modo probari.*

CAP. XIIII.

HOc *autem intereſt inter eam probationem quæ ex eo quod fieri non poteſt ſumitur, & eam quæ directò & recta fronte quid demonſtrat, quòd hæc ponit id quod uult refellere compellendo aduerſarium ad id quod falſum eſſe conſtat: quæ autem directò demonſtrat, à propoſitis quæ uera eſſe conſtat initium ducit. Vtraque duas propoſitiones conceſſas illa quidem ſumit, ita tamen ut ea quæ directò probat eas ſumat, ex quibus ratiocinatio conſtet, altera autem unam earum ſumit, alteram repugnantiam concluſionis. atque hic quidem non neceſſe eſt notam & exploratam eſſe concluſionem, nec eius ſit nécne ſit uera informatam habere notitiam. In illa autem neceſſe eſt antè ita non eſſe, exiſtimare. Nihil autem refert aiat an neget concluſio, ſed æquè in utraque cernitur. Quod directò probatur omne etiam ex eo quod fieri non poteſt monſtrabitur, & directò omne quod ex eo quod fieri non poteſt, eadémque uerba adhiberi licet in utraque, & ſi non in iiſdem formis collocationis. Cum enim ratiocinatio ad primam formam pertinet, uerum erit uel in ſecunda forma uel in tertia, ita tamen ut negantia in ſecunda, aientia in poſtrema reperiantur. Cum uerò primæ formæ collocationem ratiocinatio habebit, uerum erit in prima, quacunque de re diſputetur: quòd ſi ad tertiam ratiocinatio referatur, uerum & in prima & in poſtrema reperietur, aientia in prima, in poſtrema negantia. Sit enim probatum a nulli aut non omni b conuenire, per primam formam propoſitum fuit a in aliquo b intelligi, c autem aſſumptum fuit, c omni a nulli autem b conuenire. Sic enim & ratiocinatio confecta fuit, & id quod fieri non poteſt. atqui hoc ad ſecundam formam pertinet. Si c in omni a & in nullo b intelligitur: ex quibus perſpicuum eſt nulli b a conuenire. Quod eodem modo fiet ſi oſtenſum eſt a non in omni b intelligi, propoſitum enim eſt omni conuenire, c autem ſumptum eſt in omni a, in b autem non omni dici. Idem fit cum c a propoſitio negans ſumitur. Sic enim media forma collocationis exiſtit. Rurſus probatum ſit in aliquo b a intelligi, tum propoſitum fuit nulli conuenire cum interim ſumptum fuit c in omni c dici, & a aut in omni aut in aliquo eodem. Sic enim incommodum ſequetur, hæc autem poſtrema forma eſt: Si & a & b omni c conueniunt, ex quibus hæc concluſio ſequitur, neceſſe eſt a alicui b conuenire.*



De ſecunda forma.

IN *ſecunda autem forma oſtenſum ſit a in omni b dici, ita poſitum fuit non omni b a conuenire, & ſumptum eſt a in omni c, & c in omni b intelligi. ſic enim incommodum ſequetur. atqui hæc prima eſt forma, ſi a omni c, & c omni b conuenit*

*b conuenit, idem fiet ſi monſtratum eſt in aliquo intelligi. Hoc enim poſitum eſt nulli b a conuenire, & ſumptum a in omni c, & c in aliquo b intelligi. Si uerò neget ratiocinatio, propoſitum eſt a alicui b conuenire, ſumptio autem & a in nullo c, & c in omni b dici. ita ad primam formam ratiocinatio pertinet. Hoc etiam fit tum cum ad uniuerſum genus ratiocinatio non accommodatur, ſed probatum eſt a alicui b non conuenire. Tum enim ponitur omni b a conuenire, ſumitur autem & a in nullo c & c in aliqua b parte intelligi.*

## De tertia forma.

*RVrſus in tertia forma oſtenſum ſit a omni b conuenire, profectò poſitum eſt non in omni b a dici, & ſumptum, c in omni b, & a in omni c intelligi: quippe cum hoc pacto ſecuturum ſit incommodum. atqui primæ formæ hæc ratiocinatio eſt. Similis eſt ratio cum ad partem probatio adhibetur, poſitum enim erit nulli b a conuenire. Hæc autem ſumentur, & c alicui b, & a omni c conuenire. Quòd ſi ratiocinatio neget, quod ponetur erit huiuſmodi, a in aliquo b dici, quæ autẽ ſumentur, & c alicui b, & a omni c conuenire. hæc autem ſecunda eſt forma. Idem continget ſi ad totum genus minime pertineat probatio. Nam & hoc ponetur in omni b a dici, & hæc ſumentur c tum in nullo a, tum in aliquo b intelligi, quod genus primæ formæ ſubijcitur. Perſpicuum eſt igitur omneis quæſtiones iiſdem uerbis & directò, & ex eo quod fieri non poteſt probari poſſe. Itémq; licebit ratiocinationibus aliquid directò probãtibus ſumptis iiſdẽ uocabulis ad incõmodũ compellere aduerſarios, quoties cõcluſionis contraria propoſitio ſumetur (eædẽ enim quæ cõuerſione, cõficiũtur ratiocinationes) ita quamprimũ ſuppetũt etiã nobis formæ, per quas unũquodq; tractabitur. quapropter illud quidem perſpicuum eſt, omnem quæſtionem utroque modo confirmari, & ex eo quod fieri non poteſt, & directò, neutrumq; ab altero poſſe diuelli.*





## De ratiocinatione ex contrariis. CAP. XV.

*QVa autem in forma liceat ex contrarijs propoſitionibus aliquid efficere, hinc perſpici poteſt. Contrarias autem propoſitiones uerbo quidem quatuor genera eſſe dico, ut omni & nulli: omni & non omni: alicui & nulli: alicui & non alicui: re autem uera tria ſunt. Alicui enim & non alicui uerbo tantum diſcrepant, harum autem aduerſas appello uniuerſas & generales, omni & nulli conuenire. ut omnem ſcientiam bonam eſſe, & nullam ſcientiam bonam eſſe, cæteras autem uoco contrarias. Ac in prima quidem forma non eſt ex contrarijs propoſitionibus ratiocinatio nec aiens nec negans: aiens quòd cum utraque propoſitio negare debeat, contrariæ ſunt quæ ait & quæ negat. negans autem quòd cum idem & aiant & negent eidem conuenire, in prima forma medium uerbum in duobus reliquis non dicitur, ſed illi aliud adimitur, ipſum autem de alio dicitur: cuiuſmodi propoſitiones non ſunt contrariæ, quæ contradicentes uocantur.*

## De ſecunda forma. CAP. XVI.

*IN ſecunda autem forma & ex contradicentibus & ex aduerſis ratiocinatio confici poteſt. Sit enim a bonum, b ſcientia & c: ſi omnis ſcientia bona eſſe ſumpta eſt, & nulla: a omni b & nulli c conuenit, ita b in nullo c dicitur, ex quo efficitur nullam ſcientiam eſſe ſcientiam. Idem etiam continget, ſi quis ſumpto illo, omnem bonam eſſe medicinam, non bonam eſſe ſumpſerit. nam & b omni & c nulli a cõuenit, ita aliqua ſcientia nõ erit ſcientia. Idem etiam fiet ſi a omni c, nulli autem b conueniat: ut b ſcientiam, c medicinam, a opinionem intelligamus. Nam ſumpto illo, nullam ſcientiam opinionem eſſe, hoc ſumpſit, aliquam ſcientiam eſſe in opinione, hoc autem à ſuperiore uerborum commutatione differt. Prius enim propoſitio aiebat, nũc autem ait ſumptio. Idem etiã fiet quo-*

ties non erit generalis altera propoſitio. Semper enim mediũ uerbum eſt quod in altero negando in altero aiendo dicitur, quapropter contradicentia concludi poſſunt, non ſemper, nec omnino, ſed tum denique cum ita affecta erunt inter ſe ea quæ ſub medio uerbo ſubiecta ſunt, ut uel eadem ſint, uel totũ & pars. Aliter enim id fieri non poteſt: non enim erunt ullo modo nec aduerſæ nec contradicentes propoſitiones.

## De tertia forma. CAP. XVII.

IN tertia uerò forma ratiocinatio quæ ait, nunquam erit ex contradicentibus propoſitionibus, propter eam cauſam quam etiam in prima forma expoſui, negans autem ratiocinatio in ea tractabitur ſeu generales ſint ſeu non generales propoſitiones. Sit enim b & c ſcientia, a autem medicina: his quidem poſitis ſi quis ſumat, omnem medicinam eſſe ſcientiam, & medicinam nullam eſſe ſcientiam, is & b omni a, & c eidem nulli ſumpſit conuenire. Ex quibus efficietur aliquam ſcientiam non eſſe ſcientiam, quod idem fiet ſi a b propoſitio ad totum genus minime accommodetur. Si qua enim medicina ſcientia eſt, & rurſus medicina nulla ſcientia, efficitur ſcientiam aliquam non eſſe in ſcientijs. Ac ſi omnino & in totum uerba ſumantur, aduerſæ: ſin autem una ad partem, altera ad totum genus adhibeatur, contradicentes ſunt propoſitiones. Intelligendum eſt autem contraria eo modo quem diximus ſumi poſſe, omnem ſcientiam bonam eſſe, & rurſus nullam, aut aliquam non bonam, quod genus non ſolet latere. Alijs etiam interrogationibus alterum concludi poteſt aut etiam ſumi, quemadmodum in topicis explicauimus. Quoniam autem affirmationum repugnantiæ tres ſunt, fit ut ſex modis contraria ſumantur, aut omni & nulli, aut omni & non omni, aut alicui & nulli, quæ omnia etiam uocabula transferri licet: uelut a omni c nulli autem b conuenire, aut in nullo c, & in omni b, aut in illo toto, in hoc



hoc non toto intelligi, quod etiam uerbis exprimi poteſt. Eadem eſt ratio tertiæ formæ. Quare perſpicuum eſt quot modis & in quibus formis ex contrarijs cõfici poßit ratiocinatio. Illud etiam perſpicuum eſt quod ſuprà docuimus, uerum ex falſis effici poſſe, ex contrarijs autem non poſſe. Semper enim rei repugnat ratiocinatio: ut ſi eſt bonum, bonum non eſſe: aut ſi animal, non eſſe animal: propterea quòd ex repugnantia ratiocinatio conficitur, & quòd uerba ſubiecta uel eadem ſunt, uel unum totum eſt, & pars alterum. Perſpicuum etiam eſt nihil impedire quo minus in uitioſis ratiocinationibus rei propoſitæ efficiatur repugnantia, ut ſi eſt impar, non eſſe imparem. Ex contrarijs enim propoſitionibus ratiocinatio repugnantiæ (ut dixi) efficitur. Itaque ſi tales ſumpſeris, eius quod propoſitum eſt repugnantia ſequetur. Sciendum eſt autem contraria una ratiocinatione hoc modo non poſſe concludi, ut ſit concluſio: Quod non eſt bonum, bonum eſt, aut aliqua alia eius generis, niſi ſtatim propoſitio huiuſmodi ſumatur, omne animal eſſe album & non album, hominem autem album eſſe: ſed uel ſumenda eſt repugnantia, ut omnem ſcientiam eſſe & non eſſe opinionem, deinde hoc ſumendum, Medicinam quidem eſſe ſcientiam, nullam autem opinionem eſſe, quemadmodum reprehenſiones exiſtunt: aut certè duabus ratiocinationibus id efficiendum eſt. Nec uerò ullo alio modo niſi hoc fieri poteſt, quemadmodum paulò antè dixi, ut ea quæ ſumpta ſunt ſint re uera contraria.

## De principij repetitione & ſumptione. CAP. XVIII.

PEtere autem & ſumere id quod ab initio in diſputationem incidit, ut ſummatim dicam, in eo poſitum eſt ſi res propoſita minime doceatur, id quod fit multis modis. Nã & cum non concluditur omnino, & ad concludendum res minus illuſtres notæq; aut æquè ignotæ ſumuntur, & cũ poſterio-

ribus antiquiora & priora illuſtrantur. Ex probabilioribus enim & prioribus omnis probatio ducitur. Ac horum quidem nihil eſt petere primum poſitam quæſtionem. Quoniam autem alia per ſe nota ſunt, alia ab alijs fidem petunt (principia enim per ſe cognita ſunt, ea autem quæ principijs ſubijciuntur, per alia) cum aliquis id quod per ſe notum non eſt, per ſe docere inſtituit, tum deniq; id quod initio in diſputationem incidit petere dicitur: quod in eo quidem eſt ut ſtatim res propoſita petatur. ſed tamen fieri poteſt ut ad alia quædã diſputatio transferatur, quæ ad probanda illa commodè ſumi poſſunt, ijſq; prima quæſtio probetur. ut ſi a per b, & b per c docetur, c autem ad probandum a ſit accommodatum. Qui enim hoc pacto concludunt, ipſum a per ſe probant: quod ij faciunt qui ſe putant lineas æquè diſtantes deſcribere. Se enim ipſi in errorem impellunt qui ſumunt eiuſmodi, quæ ſi lineæ æquè diſtantes nullæ ſint, probari nequeant: ita fit ut ij qui iſto pacto ratione concludunt, hoc confirment, quamq; rem eſſe, ſi unaquæque ſit: quo quidem modo per ſe nota erunt omnia, quod fieri non poteſt. Ac ſi quis cum incertum eſt b in c, itémque a in b intelligi hoc petat, a ipſi c conuenire, nondum perſpicuum eſt an principium diſputationis petat: & ſi perſpicuum eſt, illum non probare, præſertim cum initium confirmationis ab eo quod æquè obſcurum eſt, ſumi non oporteat. Sin autem b ad c eam habeat rationem ut eadem ſit aut non ſit dubium quin reciprocentur, aut alterum alteri conuenit: profectò principium diſputationis poſtulat. Etenim ſi reciprocentur, illis probabit a in b intelligi. Nunc uerò hoc impedit non autem demonſtrandi ratio. quod ſi faciat, & quod dixi faciet, & ex tribus uerbis reciprocabit ratiocinando. Itémque ſi quis b in c intelligi ſumat, cum æquè ſit obſcurum: & ſi a in b ne tum quidem id de quo quæritur poſtulat, non tamen rem probat. At uerò ſi
idem



idem ſint a & b, uel quia reciprocantur, uel quia a ex b ſequitur, id de quo agitur propter eandem cauſam petitur. Quid enim efficiat id quod in diſputationem uenit petere paulò ante diximus, id uidelicet quod non eſt per ſe perſpicuum, per ſe probare. Quòd ſi petere id de quo agitur aliud eſt nihil niſi per ſe probare quod non per ſe apertum eſt, hoc autem eſt non probare, cum æquè obſcura & dubia ſunt id quod probatur & id quod illud confirmat: aut quia eadem eidem, aut quia idem eiſdem conueniat: in media quidem & tertia forma, utroque modo æquè id quod in diſputationem incidit peti poteſt, cum ratiocinatio ait & in tertia & in prima: negando autem, cum eadem eidem adimuntur, ſed nunquam eodem modo ambæ propoſitiones. Itémque in media forma, propterea quòd uerba minimè reciprocentur in negantibus ratiocinationibus. Ac in demonſtrationibus quidem ſeu philoſophia, hæc ipſa quæ de rei propoſitæ petitione diximus ad ueritatem, in dialecticis autem ad opinionem diriguntur.

## De illo, non ex hoc falſum effici.

### CAP. XIX.

Quod autem ſæpe in diſputationibus ſoliti ſumus dicere, non ex hoc uel illo falſum effici, id primum in eas ratiocinationes quæ ex eo quod fieri non poteſt aliquid concludunt tum deniq; incidit, cum ad eius repugnantiam uentum eſt quod incommodo probabatur. Neq; enim qui non contradixerit unquam illud non ex hoc proferet, ſed hoc dicet aliquid ſuperiorum falſum poſitum eſſe, nec in ea ratiocinatione quæ directò aliquid oſtendit, quippe cum repugnantiam non ponat: præterea cum aliquid exempli cauſa, per a b c, directò refellitur, hoc dici non poteſt, non ex eo quod poſitum eſt effectam eſſe concluſionem. Illud enim non ex hoc effici tum denique proferimus, cum hoc ipſo euerſo & ſub-

*lato, nihilominus ratiocinatio concluditur: quod quidem non contingit in ijs ratiocinationibus quæ rem ſtatim ac directò probant. Sublato enim propoſito iam nulla ad ipſum ratiocinatio ſumitur. Perſpicuum eſt igitur illud ipſum non ex hoc ſequi, in eas demum quæ incommodo urgent aduerſarios, incurrere: ac tum denique cum id quod quæritur ita affectum eſt ad id quod fieri non poteſt, ut ſiue ſit ſiue nullum ſit, nihilominus incommodum ſequatur. Ac modus quidem maximè illuſtris, & peruagatus, quo non ex propoſito falſum effici dicitur tum incidit, cum propoſito non eſt conſentanea & coniuncta ea ratiocinatio quæ ex medijs uerbis ducta ad incommodum compellit aduerſarios, id quod in topicis diximus, hoc enim idem ualet ac efficit, quod pro cauſa, id quod cauſa non eſt, ponere. Vt ſi quis dicere uelit diametron aptè componi non poſſe, & ad illud rationem Zenonis ſumat, non eſſe motum, & ex eo incommodum ſequi oſtendat: neque enim falſum ullo modo ad propoſitum pertinet. Alius autem modus eſt, cum id quod fieri nõ poteſt, cohæret illud quidem cum propoſito, ſed tamen non ex illo efficitur: hoc enim fieri poteſt, & ſi ſuprà & ſi infrà ſit id quod cohæret ac ſumitur. uelut ſi a in b, & b in c, & c in d, intelligi ponatur: ſit autem illud falſum, b in d intelligi. Si enim a ſublato nihilominus b in c dicatur, & c in d, nunquam falſum efficietur ex eo quod in diſputationem incidit. Aut contrà ſi quis id quod cohæret, ſuprà ſumat, ut ſi a in b, & e in a, & in e f dicatur, falſum autem illud ſit, in a f intelligi, profectò hoc etiam modo nihilominus incommodum ſequetur ſublato eo quod quæritur. Itaque id quod fieri non poteſt, cohærere debet cum ijs uerbis, quorum de cohærentia agitur: ſic enim ex re propoſita ſequetur, ut ſi infrà ſit id quod cohæret, cum eo uerbo quod dicitur coniunctum ſit neceſſe eſt. Si enim fieri*





*non poteſt ut a in d intelligatur, ſublato a falſum non ſequetur: ſin ſuprà ſit, cum eo de quo dicitur. Etenim ſi non poteſt b in f intelligi, ſublato b iam non ſequetur incommodum. Quod etiam fit in negantibus ratiocinationibus. perſpicuum eſt igitur ſi id quod fieri non poteſt ijs uerbis ex quibus quæſtio conſtat, non ſit coniunctum, ex re propoſita falſum non effici. Sed utrum ne hoc quidem modo ſemper falſum efficiatur, quæſtio eſt. Etenim ſi non in b ſed in* K *poſitum eſt a intelligi,* K *autem in c, & hoc in d, ita etiam manet incommodum. Quod etiam continget ſi ea quæ ſuprà ſunt, uerba ſumantur. Itaque quoniam hoc ſtante & ſublato incommodum ſequitur, nunquam certè ex propoſito eueniet, aut certè illud, falſum nihilominus effici hoc ſublato, non ita capiendum eſt, ut alio poſito incommodum ſequatur, ſed cum hoc ſublato ex reliquis propoſitionibus idèm incommodum concluditur, quandoquidem non eſt alienum profectò idem falſum ex multis propoſitis effici, ut parallelas concurrere, & ſi maior ſit intima, quàm citima, & ſi triangulum habeat plures rectos duobus.*

## De falſa ratione.

### CAP. XX.

*FAlſa autẽ ratio ex primo falſo euenit. Aut enim ex duabus propoſitionibus, aut ex pluribus omnis efficitur concluſio. Ac ſi ex duabus ſequatur, earum altera, aut etiam utraque falſa ſit neceſſe eſt, ex ueris enim non efficitur ut docui falſa concluſio: ſin ex pluribus, ut c ex a & b, hæc autem ex d e f g, horum aliquid ſuprà eſt quod eſt falſum, ex quo ratio naſcitur. Nam cum & a & b ex illis concludatur, fit ut ex illis aliqua concluſio & falſum ſequatur.*

## De uitanda captione.

*SI autem in cõcludendo captiones aliorum uitare uolumus, obſeruandum nobis eſt, cum illi nos interrogant, nulla cõ-*

*cluſione adiuncta, ut ne demus bis idem in propoſitionibus. quandoquidem exploratum eſt nobis, ſine medio uerbo concluſionem non ſequi. Medium autem id eſt, quod ſæpe dicitur. Quem autem modum in obſeruando medio cuiuſq; concluſionis tenere oporteat, perſpicuũ eſt ex ſcientia quid in quaq; forma probetur. Quod non ignorabimus, quoniam ſcimus quo tandem modo rem in diſputationibus defendi oporteat. Debent autem ij qui argumẽtationes tractant, id quod ijs denuntiamus qui reſpondent dare operam ut argumenta occulant. Quod primum ita deniq; fiet, ſi concluſiones non ante efficient, ſed eas ſumptis rebus neceſſarijs obſcuras relinquẽt. Deinde ſi non ea quæ uicina ſunt & in promptu rogent, ſed media maximè, ut ſi probandum ſit a in f intelligi, media autem ſint b c d e, rogandum erit an a in b dicatur, rurſúſq; non an b ipſi c, ſed an d ipſi e conueniat, deinde num b in c intelligatur. Itémq; cætera. Quòd ſi una ratione efficiatur concluſio, à medio incipiendum erit. Sic enim facillimè eum qui cum diſputat in erorem inducet.*

## De refutatione.

*QVoniam autem tenemus quando quáq; uerborum collocatione ratiocinatio tractetur, illud etiã perſpicuũ eſt quando futura & quando non futura ſit reprehenſio. Omnibus enim aientibus aut uiciſsim poſitis reſpõſionibus & propoſitionibus, ut ſi hæc neget illa aiat, reprehenſioni eſſe locus poteſt. Nam cũ ratiocinatio tractetur & hac & illa collocatione uerborum, fit neceſſariò ut ſi concluſionis contrarium poſitũ ſit, reprehẽſio illud uocetur: reprehẽſio enim repugnantiæ cõcluſio eſt: quòd ſi nihil aiat, locus eſſe nullus reprehenſioni poteſt. Cum enim ratiocinatio non ſit cum omnes propoſitiones negant, ne tum quidẽ erit reprehenſio, præſertim cum ſi reprehẽſio eſt, neceſſe ſit eſſe ratiocinationem: ſin autẽ ratiocinatio eſt, non ſit neceſſariò refutatio. Quod idem*





*continget ſi nulla ſit propoſitio generalis, eadem enim erit refutationis ratiocinationiſque definitio.*

## De captione quæ ex opinione exiſtit.

### CAP. XXI.

*FIt autem interdum ut quemadmodum primi & postremi uerbi collocatio ſic nos fallat opinio, uelut ſi idem pluribus primũ conuenire poſsit, idq; aliquem fallat putetq́; illud nulli conuenire, hoc autẽ ſciat. Faciamus enim a & in b & in c per ſe dici, atq; hæc in d eodẽ modo: profecto ſi quis a omni b conuenire putet, atq; hoc ipſi d, nulli autẽ c a, atq; hoc omni d: eiuſdem eadem ex parte & ſcientiã habebit & ignorationem. Rurſus ſi quis in ijs quæ ſunt eiuſdem ordinis & cõiugationis fallatur, ut ſi a in b, & hoc in c, & c in d intelligatur, exiſtimetq́; a omni b, & rurſus nulli c cõuenire: is certè ſimul ſciet, & nõ exiſtimabit cõuenire. ita nihil aliud de his pronunciat niſi quod ſciat, eius ſe nõ habere opinionẽ. Scit enim quodam modo a in c per b intelligi, ut ex toto partẽ intelligit. Quod igitur ſcit quodã modo, eius omnino ſe habere opinionẽ exiſtimat, quod fieri nõ poteſt. Quod autem paulò antè dictũ eſt, ſi eiuſdem cõiugationis medium uerbum non fuerit, fieri nõ poteſt ut utriuſq; propoſitionis, duntaxat utriuſq; medij ducta ratione opinio habeatur: ut ſi a & omni b, & nulli c, horũ autem utrumq; omni d cõueniat: ſic aut omnino aut quadam ex parte prima propoſitio cõtraria ſumitur. Si enim cui b omni ex parte cõuenit ei a putet cõuenire, b autem in d dici nouit, hoc etiam nouit in d a intelligi: ita ſi rurſus cuius parti nulli c cõuenit ei a cõuenire exiſtimet, profecto cuius alicui parti b conuenit, ei b non exiſtimat a cõuenire. atqui repugnat aut omnino aut quadã ex parte eum qui exiſtimet, cui toti b cõueniat, rurſus alicui non cõuenire b exiſtimare. Atque hoc quidem modo nullus eſt opinioni locus, utroque autem medio nihil prohibet de una, aut altero de utraque propoſitione eſſe*

opinionem. ut ſi a in omni b, & b in d, & rurſus a in c nullo intelligatur. Similis eſt enim hæc talis captio ei qua in rebus ſingulis fallimur. Velut ſi omni b a cõuenit, b autem omni c, a omni c cõueniet. Si quis igitur ſciat a ei omni cui b conuenire, idem ipſi c cõuenire nouit. Atqui nihil prohibet eum an c in rerum natura ſit, ignorare. Nam ſi a idem ualere ponamus quod duæ rectæ, & b idem quod triangulum, c autem triangulum quod ſub ſenſum cadat, fieri poteſt ut quiſpiam c eſſe non putet, cum ſciat triãgulum duas rectas habere, ita idem ſimul & ſciet & ignorabit: hoc enim comprehendere ſcientia, omne triangulum duas rectas habere, non eſt ſimplex, ſed partim eam ſciẽtiam habere quæ de toto genere eſt, partim eam quæ ad res ſingulas accommodatur. Hoc igitur modo ut generali ſcientia, duas rectas eſſe nouit: ut autem ſpeciali, non nouit. Ita fit ut non habeat cõtrarias ſcientias. Quod de illa Menonis ratione iudicãdum eſt eodem modo, diſciplinam eſſe recordationem: nunquam enim rerum ſingularũ haberi poteſt prænotio, ſed unà cum inductione illarum notitiam quaſi recognoſcendo comparamus. Cum enim quædam uidimus ea continuò ſcimus, ut duas rectas habere triangulum, ſi triangulum eſſe nobis ſit cognitum. Eadem eſt ratio aliorum. Ea igitur ſcientia quæ ad totum genus accommodatur, res ſingulas comprehendimus: propria autem non comprehendimus. Itaque fieri etiam poteſt ut in iјs fallamur, ita tamen ut nulla ſit repugnantia, præſertim cum illas res cognitas habeamus generali ſcientia, ſpeciali autem in eiſdem fallamur. Similis eſt etiam ratio eorum quæ commemoramus. Neque enim contrarius eſt ei ſcientiæ quæ ratiocinatione conficitur is error qui medio uerbo exiſtit, neque ea opinio quæ utroque medio uerbo habetur. nihil enim prohibet eum qui & a omni b, & rurſus hoc ipſi c conuenire ſciat, putare a in c non intelligi. ut exempli cauſa, eum qui intelligat omnem

mulam



mulam ſterilem eſſe, & hanc eſſe mulam, hanc párere exiſtimare. Non enim nouit a ipſi c conuenire, niſi unà cognitum habeat utrumque. Ex quo perſpicuum eſt eum erraturum ſi hoc nouit, illud non nouit, quam habet rationem ad rerum ſingularum cognitionem uniuerſarum ſcientia. nihil enim eorum quæ ſenſu percipiuntur, ſi ſenſum fugiat, ſcientia comprehendimus, nec tum quidem cum eorum ſenſum habemus, niſi eo modo quo rem cognitam habemus, uel generali uel propria ſcientia, non etiam ea quæ ad actionem refertur. ut enim ſcire tribus modis dicitur, uel generali notitia, uel propria, uel actu, ſic falli totidem. nihil igitur prohibet idem ſcire in eóque falli, dummodo non repugnanter, id quod uſuuenit ei qui aliquas propoſitiones utraque ſcientia comprehendit, cum antea rem minus conſiderauiſſet. Qui enim mulam párere putat, is ſcientiam eam quæ ad rem actionémque confertur non habet, nec rurſus eam opinionem qua in ſcientiæ aduerſo errore uerſetur. Si enim ſit ratiocinatio, error ſit neceſſe eſt ei ſcientiæ contrarius quæ ad genus uniuerſum accommodatur. At uerò qui bonum eſſe putat malum eſſe, is bonum eſſe idem quod malum eſſe ualere exiſtimabit. Sit enim a bonum eſſe, b autem malum eſſe, rurſus c bonum eſſe: quoniam idem eſſe a quod c exiſtimat, c etiam b eſſe exiſtimabit. Et rurſus b idem eſſe quod a, eodem modo, ita etiam c a putabit eſſe. Vt enim uerum erat de quo c, b etiam dici, & de quo b a, & in c a uerum erat intelligi: ſic de opinione iudicandum eſt, itémque de ueritate. Cum enim idem ſit c & b, & rurſus b & a, etiam c idem quod a erat, eadem eſt ratio opinionis. Si quis igitur hoc primum neceſſarium dabit, at certe illud falſum eſt, aliquem bonum eſſe idem quod malum eſſe exiſtimare, niſi caſu ac fortuitò. Multis enim modis hoc exiſtimari poteſt. Sed de hoc uidendum erit diligentius

De

## De primæ formæ conuerſionibus.

### CAP. XXII.

*Cvm uerò uerbum primum & poſtremum reciprocantur, medium etiam & illorum utrumque reciprocentur neceſſe eſt. Si enim a in c interiectu b conuenit, & ita reciprocatur, ut cui omni ex parte a cōuenit, in eo c intelligatur: b etiam & a reciprocabuntur, ut & cui omni a conuenit, & etiam b c interiectu conueniat, & c ac b interuentu a reciprocentur. Idem etiam fiet ſi negationem adhibeamus, ueluti ſi b in c dicitur, in b autem a non dicitur, nec a in c intelligetur. Ita ſi b & a reciprocātur, c etiam & a reciprocabuntur. Poſitum enim ſit b in a non intelligi, non igitur c intelligetur. Omni enim c b poſuimus conuenire, & ſi c ac b reciprocantur, c etiam & a reciprocabuntur. De eo enim, cui omnino & in totum b conuenit, c etiam dicitur. quòd ſi c & a reciprocantur, b etiam & a reciprocabuntur, cui enim b, c etiam conuenit, at uerò cui c conuenit, in eo a non dicitur: atque hoc unum à cōcluſione incipit, cætera uerò non item, id quod etiam fit in aiente ratiocinatione. Præterea ſi a & b reciprocantur, c etiam & d eodem modo. In uniuerſo autem genere a uel c neceſſe eſt intelligi, & b atque d eandem inter ſe rationem habebunt, ita omni alterutrum conuenit. Quoniam enim cui a, b etiam conuenit, & in quo c d etiam dicitur, omni autem uel a uel b conuenit, nec utrumque ſimul: profectò omni etiam uel b uel d conueniet, nec ſimul utrumque. ueluti ſi exempli cauſa quod ortum non habet id interire non poteſt, & quod interire non poteſt, id ortum non habet: neceſſe eſt profectò id quod ortum habuit, interire, & ortum habuiſſe quod interit. duæ enim conficiuntur ratiocinationes. Rurſus cum in toto genere uel a uel b, & c aut d intelligitur, ita tamen ut ſimul non dicantur: certe ſi a & c reciprocantur, b etiam & d reciprocentur neceſſe eſt. Si enim*

cuip



*cuipiam b non conueniat, cui d conueniat, perſpicuum eſt ei a conuenire. ſin a conueniat, c etiam conueniet. Illa enim reciprocantur. ita ſimul c & d reciprocantur, quod fieri non poteſt, cum uerò a in toto b & c ita dicitur, ut de re alia nulla dicatur, b autem toti c conuenit, neceſſe eſt a & b reciprocari. Quoniam enim a in his tantum duobus b c intelligitur & b tum de ſeipſo tum de c dicitur, profectò quibus a, ijs etiam omnibus b, niſi ipſi, a conueniet. Rurſus cum & a & b in omni c intelliguntur, & c atque b reciprocantur, neceſſe eſt a omni b conuenire. quoniam enim omni c a conuenit, c autem in b intelligitur propterea quòd reciprocantur: a etiam omni b conueniet. Quoties autem duobus propoſitis uerbi cauſa a & b quæ ſint aduerſa, a ipſi b anteponendum eſt, eodémque modo d quàm c magis eſt expetēdum, ſi a & c magis ſint quàm b & d expetenda, profectò a magis eſt quàm d expetendum. Aequè enim a expetendum eſt atque b fugiendum, quippe cum ſint contraria: & c æquè atque d, quandoquidem ſunt etiam ipſa contraria. Si igitur a æquè eſt atque d expetendum, b etiam æquè ac c fugiendum erit. Vtrumque enim æquè fugiendum eſt atque expetendum. Ita etiam hæc duo a c, æquè ac duo illa b & d erunt & fugienda & expetenda. Nam ſi magis ſint, æquè eſſe non poſſunt, poſitum eſt enim b & d æquè eſſe expetenda. quòd ſi d magis quàm a expetendum eſt, b etiam erit quàm c minus declinandum. Minus enim minori contrarium eſt, atqui maiora bona, & minora mala, minoribus bonis, maioribúſque malis anteponēda ſunt. Omne igitur b & d, magis eſt quàm a & c expetendum, nunc autem non eſt, eſt igitur & a quàm d magis expetendum, & c minus quàm b fugiendum. Si igitur omnis qui amore ductus amat a ſequatur & deligat, id eſt gratificandi uoluntatem & nec ipſe gratificetur quod c intelligamus: uel ſi d id eſt gratificandi actionem, non etiam b id eſt uoluntatem probet:*

profe

*profectò a idem habere gratificandi uoluntatem magis expetendum eſt quàm ipſum gratificari. Amor igitur ipſi cõgreſſioni anteponitur, ita fit ut amor amicitiæ magis ſit proprius quàm congreßio. Quòd ſi eſt eius maxime proprius, profectò eum illa habeat tanquam finem ſibi propoſitum neceſſe eſt. Aut nullus eſt in amicitia congreßioni locus, aut certè illa ad amorem refertur, etenim appetitiones & artes aliæ hoc modo oriuntur. Ac illud quidem perſpicuum eſt quemadmodum inter ſe affecta ſint uerba in conuerſionibus, & quæ expetenda ſint magis quæq; magis fugienda. Sequitur autem ut deinceps dicamus non ſolum dialecticas ratiocinationes, & eas quæ ad demonſtrandum ualent, uerumetiam rhetoricas per eas formas quas expoſuimus tractari & confici. Fides enim nobis fit aut ratiocinatione, aut inductione.*

De inductione. CAP. XXIII.

*INductio quidem, eáque concluſio quæ inductione conficitur eſt cum primum uerbum tertij interiectu medio conuenire aut non cõuenire cõcluditur. ut ſi horum duorum a & c, b medium ſit uerbum, & c ſumatur ad docendum a in b intelligi. Sic enim inductiones conficimus, ut ſi exempli cauſa a id quod diu uiuit ponatur, b autẽ id quod bili uacat, & c unumquodque eorum quæ diu uiuunt, ut homo, ut equus, ut mulus: certè omni b c conuenit. Omne enim quod bilis expers eſt diu uiuit, b etiam id eſt id quod bili uacat c omni conuenit. Si igitur c & b reciprocantur, nec c medium tranſeat, certè a in b intelligatur neceſſe eſt. Suprà enim demonſtratum eſt, ſi qua duo uerba eidem conueniant, eorúmque alterum & uerbum aliud reciprocetur, in eo etiam quod reciprocatur, alterum eorum quæ dicuntur intelligi. Intelligendum eſt autem c, quod ex omnibus ſingulis ſit compoſitum. Inductio enim ab omnibus dicitur, éſtque huius generis ratiocinatio primæ & quæ ratione nulla doceri poteſt propoſitionis. Quorum enim ratio eſt, eorum eſt à ratione ducta ratiocinatio: quorum autem non eſt, ea inductione cõcludimus. Inductio etiam ratiocinationi quodam modo contraria eſt. Hæc enim per medium uerbum primum tertio conuenire aut non conuenire docet, illa autem per primum medio tertium. Ac naturæ quidem ordine antiquior eſt & notior quæ à medio uerbo ſumitur ratiocinatio, nobis autem euidentior ea quæ inductione tractatur.*



De exemplo. CAP. XXIIII.

*EXemplum autem eſt, cum medio uerbo primum à ſimili tertij conuenire oſtenditur, ſed tam medium tertio quàm primum ſimili conuenire melius eſſe debet, uelut uerbi cauſa ponatur a eſſe malum, b autem ſuſcipere bellum cum finitimis, c uerò Athenienſes cum Thebanis, d porrò Thebanos cum Phocenſibus: his poſitis ſi uelimus docere miſerum eſſe gerere bellum cum Thebanis hoc ſumendum eſt, miſerum eſſe bellum cum finitimis gerere, cuius probatio ex ſimilibus ſumitur, ueluti malè cecidiſſe Thebanis id bellum quod geſſerunt cum Phocenſibus. Quoniam igitur bellum quod cum finitimis geritur periculoſum eſt: quod autem cum Thebanis geritur, id geritur cum finitimis, perſpicuum eſt bellum gerere cum Thebanis eſſe periculoſum. Ac illud quidem perſpicuum eſt b & in c & in d intelligi, utrumque enim eſt, bellum ſuſcipere cum finitimis. Illud etiam a ipſi d conuenire. Thebanis enim non profuit id bellum quod cum Phocenſibus geſſerunt. A autem in b dici ex d docebitur. eadem etiam ratio eſt ſi multis quæ ſimilia ſint, primum uerbum medio conuenire doceatur. Perſpicuum igitur eſt exemplum nec totius ad partem, nec partis ad totum, ſed partis ad partem rationem habere, cum præſertim utrumque eidem ſubijciatur & notum ſit alterum, eóque differt ab inductione, quòd inductio ex omnibus rebus ſingulis*

ſingulis primum uerbum medio docet conuenire, nec conclusionem cum extremo coniungit, exemplum autem & coniungit, nec omnes res ſingulas ſumit.

De deductione. CAP. XXVI.

APagoge autem eſt, cum medio primum uerbum perſpicuum eſt conuenire, poſtremo autem medium an conueniat incertum eſt illud quidem, ſed æquè probabile, aut magis eſt quàm ſit concluſio. Et præterea ſi paucæ ſint rationes quibus poſtremum mediúmque cõcludantur. Fit enim omnino ut propius accedat ad ſcientiam. ut ſi ponatur a id eſſe quod doceri poteſt, b autem ſcientia & c iuſtitia, perſpicuum eſt quidẽ ſcientiam doceri poſſe, an autem iuſtitia ſcientia ſit incertũ eſt. Si igitur æquè aut magis credibile eſt b c quàm a c auocatio eſt, propius enim accedit ad ſcientiã propterea quòd a c aſſumpſerunt qui antea ſcientia non erant præditi. Rurſum ſi paucæ rationes ad b c docenda ſuppetant, auocatio eſt. hoc enim pacto propius ad ſcientiam aditus patet. ut ſi d ſit in quadrum redigi, e autem id quod rectis lineis conſtat, f circulus & e f unum ſit medium uerbum cum lunulis parem fieri circulum ei quod recta linea conſtet, profectò facilis eſt uia ad ſcientiam. Cum autem nec probabilius eſt b c quàm a c, nec pauca ſunt media, non uoco auocationem, nec cum b c nulla ratione doceri poteſt. Hoc enim ſcientia dicitur.

De ἐνςάσει, id eſt, propoſitione qua aliis reſiſtimus. CAP. XXVII.

Ἔνςασις, id eſt, enunciatio qua reſiſtimus alijs, propoſitio eſt propoſitioni contraria. Differt autem à propoſitione, quòd ipſa partis etiam eſſe poteſt, propoſitio uerò uel non poteſt omnino, uel certè in ijs ratiocinationibus poteſt quæ ad genus uniuerſum accommodantur. Reſiſtimus autem dupliciter & duabus formis ratiocinationum, duobus quidem modis, quòd omnis propoſitio qua occurrimus, uel generalis uel ſpecialis eſt, duabus autẽ formis reſiſtimus quòd eæ propoſitiones quibus occurrimus ſunt propoſitioni contrariæ, & contrariæ tantum in prima tertiáq; forma collocationis reperiuntur. Cum enim quis uult omni conuenire id de quo agitur, tum ita reſiſtimus ut aut nulli aut alicui non conuenire doceamus, quorum illud nulli ad primum tractandæ ratiocinationis genus, alicui autem nõ ad totum pertinet. ut ſi ponatur a idem ualere quod unam eſſe ſcientiam, b autem idem quod aduerſa, & ponat quiſpiam unam eſſe aduerſorum ſcientiam, tum ei occurritur aut non eandem omnino eſſe contrariorum, aduerſa autem eſſe contraria, atq; ita prima forma tractatur, aut noti & ignoti non eſſe unam quod ad tertiam pertinet. In tertia enim collocationis forma, nota & ignota aduerſa eſſe uerum eſt: eorum autem unam ſcientiam eſſe falſum. Rurſus in propoſitione quæ quid negat eodem modo. Cum enim quis petit non eſſe unam aduerſorum, tum aut omnium contrariorum aut aliquorum aduerſorum ut ſalubrium & inſalubrium, eandem eſſe dicimus. Ac illud quidem omnium primæ, hoc autem aliquorum, tertiæ eſt collocationis. Omnino enim in omnibus eum qui in totum reſiſtit, neceſſe eſt contra id quod generale eſt, eorum quæ proponuntur repugnantiam proferre. ut ſi quis non eandem petat aduerſorum omnium, unam eſſe contrariorum debet dicere, quæ argumenti tractatio ad primam formam neceſſario pertinet, quippe cum medium uerbum ſumatur ad id quod quæritur. Qui autem ex parte occurrit, is contra id uniuerſum genus de quo propoſitum dicitur, debet dicere, ueluti rerum notarum & ignotarum non eſſe eandem. Aduerſa enim uniuerſi generis ad hæc rationem habent, conficitúrq; ex his tertia forma collocationis, præſertim cum medium uerbum ut nota & ignota ex parte ſumantur. Ex quibus enim concludere licet contrarium ſuperioris, ex ijs etiam reſiſtere

conamur. Itaq; ex his tamen formis occurrimus, quandoquidem in his ſolis contrariæ ratiocinationes reperiuntur. Nam media forma nullam aientem ut docui complectitur, quòd ſi hac etiam reſiſti poſſe ponamus, longiorem orationem deſiderabit, ut ſi non concedat a in b intelligi propterea quòd ipſum ex c non ſit conſequens, hoc enim ex alijs propoſitionibus intelligetur. Atqui propoſitio ea qua reſiſtimus, non eſt ad alia transferenda, ſed ſtatim ex ea altera propoſitio perſpici debet, quocirca ſignum ex hac una collocationis forma non ſumitur. Conſiderandæ etiam ſunt aliæ propoſitiones quæ ualent ad reſiſtendum, cuiuſmodi ſunt eæ quæ ex contrario, & ex ſimili, & ex opinione ducuntur. Illud etiam uidendum eſt num ex prima forma ſpecialis, & ex media negans ſumi queat.

## De veriſimili & ſigno. CAP. XXVIII.

Veriſimile autem & ſignum non idem ualent, ſed ueriſimile eſt propoſitio probabilis, quod enim plerumque fieri aut non fieri ſciunt, aut eſſe aut non eſſe: id ueriſimile & probabile dicitur: ut odiſſe eos qui inuident, & amare eos qui amant. Signum autem uult eſſe propoſitio quæ ad demonſtrandam rem ualet, uel neceſſaria uel probabilis. Quod enim cum eſt, res eſt, aut cum fuit, etiam extitit, id ſignum eſt rem eſſe aut fuiſſe.

## De enthymemate.

Ac enthymema quidem eſt imperfecta & quæ non conſtat omnibus ſuis partibus ratiocinatio, ex probabilibus & ſignis. Sumitur autem ſignum tribus modis, quot etiã medium uerbum in formis. Aut enim ex prima, aut ex media, aut ex tertia ducitur. ut docere mulierem peperiſſe ex eo quòd lac habeat, ad primam formam pertinet. Medium enim uerbum eſt lac habere, ut a idem quod parere, b lac habere, c idem quod mulierem, efficere ponamus. Illud autem ſapientes eſſe bonos, Pittacus enim bonus eſt, per tertiam oſtenditur, ſit a bonus, b ſapiens, c Pittacus, uerè quidem & a & b in c dicitur, niſi quòd unum hoc non dicunt quòd ſit notum, hoc uerò ſumunt, illud autem grauidam eſſe quia ſit pallida, ex media forma ſumitur: quoniam enim grauidas pallor ſequitur, & hanc ſequitur, demonſtratum putant hãc eſſe grauidam. Sit a pallida, b grauidatam eſſe, c mulier, ac ſi una tantum propoſitio dicatur, enthymema tantum conficitur: ſin altera etiam ſumatur, ratiocinatio, ut Pittacum eſſe liberalem. Omnes enim magnifici liberales, Pittacus autem eſt magnificus: aut ſapientes eſſe bonos, Pittacus enim bonus eſt & ſapiens. atq; hoc quidem modo ratiocinationes tractantur, niſi quòd ea quæ per primum collocationis genus tractatur diſſolui refelliq; non poteſt, ſi modo uera ſit, eſt enim generalis: quæ autem ex ſecunda forma ſumitur, diſſoluitur etiam ſi uera ſit concluſio, propterea quòd non ſit de toto genere ratiocinatio, nec ad rem accommodetur. Non enim ſi Pittacus bonus ſit, idcirco alios etiam ſapientes eſſe neceſſe eſt. Quæ uerò per tertium genus collocationis tractatur, ea & ſemper & omni ex parte refellitur. nunquam enim ita collocatis uerbis concluſio efficitur. Non enim ſi grauida pallida eſt, & hæc eſt pallida, propterea hanc grauidam eſſe neceſſe eſt. Ac uerum quidem in omnibus formis reperietur, ſed tamen eæ quas dixi illarum ſunt diſsimilitudines. Aut igitur hæc ſignorum retinenda diuiſio eſt, eorúmque medium uerbum certæ notæ argumentum ſumendũ, propterea quòd certæ notæ argumentum aiunt eſſe id quod ſcientiam parit, cuiuſmodi eſt medium maximè: aut certè ea quæ ad primum & tertium uerbum pertinent, ſigna: quæ autem ad medium, ea certæ notæ argumenta dicenda ſunt. Eſt enim & probabile maximè & ueriſimile id quod à prima collocationis forma ſumitur.

## De moribus naturíſq; animalium ex ſignis quæ in eis impreſſa ſunt pernoſcendis. CAP. XXIX.

*NAturæ autem moréſq; animantium ita deniq; pernoſci poſſunt ſi quis det animum unà mutari cum corpore à naturalibus affectionibus. Profectò enim qui muſicam didicit, eius in animo commutatio quædam ſecuta eſt, ſed tamen non eſt hæc affectio earum quæ nobis à natura ſunt inſitæ, ſed quaſi iræ quædam & cupiditates naturalium motionum. Quòd ſi & hoc datum ſit, & unum unius ſignum eſſe, nóſque ſuam & propriam cuiuſque generis affectionem ſignúq; ſumere poſſumus, profectò naturas moréſque poterimus pernoſcere. Si enim propriè alicui generi indiuiduo affectio data eſt, ut leonibus fortitudo, ſit aliquod ſignum neceſſe eſt: hæc enim duo conſentire & conſpirare inter ſe poſitum eſt. Sitque hoc, magnam iubam habere, quod in alijs etiam generibus etſi non in totis ineſſe poteſt. Signum enim ſic proprium eſt, quòd uniuerſi generis propria eſt affectio, nec ſolum propria ut ſoliti ſumus dicere. Itaque in alio etiam genere idem perſpicitur, eritq; homo fortis & aliud aliquod animal. Signum igitur habebit. Vnum enim erat unius. Si igitur hæc ſint poſita, poterimus etiam talia ſigna colligere in ijs animalibus quæ unam aliquam tantummodo propriam habent affectionem. Vnumquodq; autem ſignum notámq; habet, & quoniam unum neceſſe eſt eſſe, naturas pernoſcere poterimus. Quòd ſi duas proprietates uniuerſum genus habeat, ut leo fortis eſt & propenſus ad largiendum: quo tandem modo cognoſcemus utrum ſignum utrius ſit earum notarum quæ propriè conſequuntur? An ſi in alio aliquo genere non toto, & in multis. non uniuerſis utraque nota reperiatur tum cognoſcemus cum unam quidem notam habebit, alteram autem non habebit? Si enim fortis ſit, non etiam liberalis, horúmq; duorum hoc habeat, perſpicuum eſt etiam in leone*

*hanc*



*hanc notam eſſe fortitudinis. Ex notis autem naturarum & morum in prima forma concludere, eſt ita uerba collocare, ut medium & primum uerbum reciprocentur, medium autem latius quàm tertium pateat, non ipſa reciprocentur. ueluti ſit uerbi cauſa, a fortitudo, iuba magna b, & c leo: certè cui c, ei etiam b omni conuenit, etiam ſi alijs. Cui autem b, ei etiam toti conuenit, non pluribus, ſed reciprocantur. Sin minus, una unius nota non erit.*

Τέλος.

# ARISTOTELIS POSTERIORVM ANALYTICOrum liber primus, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

## CAP. I.

OMNIS QVAE *ratione conficitur & doctrina & diſciplina, ex prænotione gignitur, quod ijs perſpicuũ erit qui omnes conſiderabunt. Nã & mathematicorum artes & cæteræ omnes hoc modo quod uolunt efficiunt. Eadem eſt ratio earum quæ in ſermone uerſantur, tam eius quæ ratiocinationem adhibet, quàm eius quæ inductionem. Vtraque enim ab ijs quorum anticipata eſt cognitio, docendi initium ſumit: illa accipiendo ut à ſcientibus, hæc rebus ſingulis quòd perſpi-*

cuæ ſunt demonſtrando uniuerſas. Eodem modo ars rhetorica ſuadet: quippe quæ uel exemplis, id eſt inductione, uel enthymematibus, quæ ratiocinationibus ſubiecta ſunt, rem doceat. Duobus autem modis res aliqua neceſſario prænoſcitur: neceſſe eſt enim anticipationem quorundam, quia ſint inſculpi in nobis, in alijs quid ſit id quod dicatur, in nonnullis utrumque cognoſcendum eſt: ueluti hoc totum omnia uere affirmari uel negari, triangulum uero rem eſſe hoc declarat, unum autem utrumque ſignificat, & quid ſit & unum eſſe. Neque enim æquè nobis quodque horum notum eſt. Quædam uero cognoſcere quis poteſt quæ ei erant ante cognita: & aliorum una eademque opera cognitio traditur: ut eorum quæ uniuerſi generis partes ſunt quorum notitiam habet. Omne enim triangulum duobus rectis angulis pares habere prænouit: at hoc quod in dimidiato circulo concluſum eſt eſſe triangulum, ſimul atq; inductione confirmatum ei eſt, cognouit. Quarundam enim rerum hoc modo eſt doctrina, nec medium uerbum ad extremum cognoſcendum in ijs ſumitur quæ iam in rebus ſingulis ſunt, neque de re ſubiecta ulla dicuntur. Quæ etiam antequam inductio aut ratiocinatio tractaretur, dicenda ſunt illa quidem certe fuiſſe cognita quodam modo, alio autem modo negāda ſunt. Quod enim ignorabat an eſſet omnino, id quodammodo ſcit duobus rectis angulis pares omnino habere. Sed perſpicuum eſt hoc modo eum id tenuiſſe quem dicimus uniuerſe & generaliter ſcire, at ſimpliciter & omnino neſciuit. Aliter enim uſuueniet ea, quæ à Platone in Menone inducitur dubitatio. Aut enim nihil diſcet, aut quæ nouit: non enim quidem certe, ut quidam conantur refellere, dicendum eſt: Scis ne omnia duo eſſe parem numerum, necne? cum id ille conceſſit, profert quædam duo, quæ eſſe non putabat neq; ſciebat: Ita ne parem quidem numerum. Explicant enim, negantes omnia duo parem

rem



rem eſſe numerum, ſed eam denique quæ duo eſſe ſciant. Atqui ſciunt id quod eis neceſſaria ratione demonſtratum & probatum eſt. Demonſtratum eſt autem eis non quicquid ſcirent, triangulum eſſe aut numerum, ſed omnino omnem numerum & triangulum. Enunciatio enim nulla ſumitur eiuſmodi: quem tu ſcis numerum aut quam tu ſcis rectam lineam, ſed in toto genere uerſatur. Quinetiam, nihil opinor prohibet id quod quis diſcat, fieri poſſe ut quodam modo ſciat, quodam modo ignoret. Neq; enim abſurdum eſt eum ſcire quodam certo genere quod diſcit, ſed hoc modo ut quatenus, & quomodo ipſe diſcit.

## CAP. II.

CVm uero denique ſcientia comprehendere aliquid nos putamus plane, non ſophiſtarum more caſu, temere ac improprie, cum rei cauſam nobis cognitam eſſe arbitramur, neque id aliter atque eſt poſſe euenire. Ac ſcire quidem id eſſe hinc perſpici poteſt, quòd & ij qui rem aliquam neſciunt, eo tamen animo affectos ſe eſſe credunt: & ij qui eam tenent eo etiam ſunt affecti, ut cuius omnino rei ſcientia tenetur, ea ſecus eſſe non poſſit. Quòd ſi qua eſt alia ſciendi ratio, pòſt dicemus. Dicimus etiam aliquid ſcire demonſtratione: demonſtrationem autem uoco ſcientiæ effectricem ratiocinationem: ſcientiæ porrò effectricem eam appello, qua ob eam cauſam aliquid ſcimus, quia eam habemus. Quòd ſi id ſcire eſt quod poſuimus, neceſſe eſt etiam demōſtrandi artem & ſcientiam ex ueris, & perſpicuis, & ijs quæ medio careant notioribus prioribus, cauſiſq; concluſionis effici. Sic enim erunt eius rei quæ docetur principia accommodata & propria: ratiocinatio enim ſine his extare poteſt, demonſtratio non poteſt, non enim pariet gignetue ſcientiam: ac uera quidē ea eſſe oportet, propterea quòd non poteſt id quod non eſt ſcientia comprehendi, ut diametron aptè componi poſſe.

Ex primis & perſpicuis autem quæ doceri non poßint progredi oportet, quòd is cui illa demonſtratione minime probata ſunt, eorum ſcientiam non habebit. Scire enim ea quorum demonſtratio eſt non fortuita & inconſiderata, id denique eſt ſcientiam & demonſtrationem habere. Ea porrò & cauſas eſſe, & magis nota & priora oportet: cauſas quod tum deniq; ſcimus aliquid, cum eius cauſam habemus cognitam, priora quòd cauſas eſſe oportet, magis perſpicua non ſolum quòd altero modo ſciantur, ſed etiam quòd ſciantur eſſe: priora autem & notiora alia alijs dicuntur duobus modis. Non enim idem eſt aliquid prius eſſe ordine naturæ, quod prius eſſe more noſtro: & aliud eſt notius eſſe natura aliquid, aliud notius eſſe nobis. Appello autem ratione & ſententia noſtra priora atq; notiora ea, quæ propiora ſunt, & uiciniora ſenſui. Omnino autem priora & notiora ea quæ remotiora à ſenſibus: ut autem quicque generale & uniuerſum eſt maxime, ita eſt à ſenſu remotißimum. Proximæ uero ſenſui ſunt res ſingulæ, eæq; res inter ſe contrariæ ſunt. Ex primis autem progredi, eſt ex principijs accommodatis & proprijs. Idem enim appello primum & principium. Demonſtrationis autem principium eſt propoſitio quæ nulla alia doceri poteſt. Ea autem nulla alia doceri poteſt, qua nulla eſt prior. Propoſitio eſt enuntiationis pars altera, qua aliquid unum de aliqua re enunciamus. Ad diſſerendum ea ualet quæ utrumuis æquè ſumit & accipit. Ad demonſtrandū autem ea quæ certe alteram ueram eſſe ſumit. Enūciatio autem eſt repugnantiæ pars utrauis. Repugnantia eſt oppoſitio cuius medium per ſe nullum eſt. Repugnantiæ autem pars qua aliquid de aliquo dicitur, Affirmatio eſt. qua aliquid alicui adimitur aut negatur negatio. Principij autem ratiocinationis, quòd medium non habet, propoſitum appello id quod demonſtratione doceri nō poteſt, nec neceſſe eſt tenere eum qui aliquid



quid uelit diſcere: quod autē neceſſe eſt tenere eum qui quiduis diſcere inſtituerit, poſtulatum. Quædam enim ſunt eius generis in quibus maxime hoc nomen ſoliti ſumus uſurpare. propoſiti pars ea quæ utramlibet enunciationis partē ſumit, ut eſſe aliquid in rerum natura, aut non eſſe aliquid hypotheſis uocatur. Quæ autem ſine his eſt, definitio. Eſt enim definitio theſis: ponit enim Arithmeticus unionē in partes quantitatis non poſſe diuidi: hypotheſis autē non eſt, quoniam aliud eſt aliquid eſſe unionem, aliud unionem eſſe. Quoniam autem & rei aſſentiendum eſt, & res cognoſcenda, ea ratiocinatione quam demōſtrationem uocamus: ea autē ex eo eſt, quòd ea ex quibus ratiocinatio progreditur neceſſario poſita ſunt: certe non ſolum capita aut omnia, aut quædam neceſſario prænoſcenda ſunt, ſed magis etiam tenenda quàm concluſio. Semper enim quod cuiuſque rei cur ſit cauſa eſt, id potius eſt: ut quod impellit nos ut aliquem amemus, id nobis illo eſt charius. Ita ſi capita & initia faciunt ut & ſciamus & credamus, certe illa magis cognita habemus, eiſq; uehemētius aſſentimur, propterea quòd ex illis poſteriora ſint conſequētia. Fieri autem non poteſt, ut quiſquam ijs quæ ipſe neſciat, neq; melius affectus ſit quàm ſi ea teneret, uehemētius quàm ijs quæ ſciat, aſſentiatur: quod fiet niſi quis eorum qui neceſſaria ratione adducuntur ut credant, principiorum quandam habeat prænotionem. Firmius enim principijs uel omnibus uel aliquibus aſſentiamur neceſſe eſt quàm concluſioni. Neque uero ſolum principia magis cognita habere, aut eis magis quàm rei demonſtratione concluſæ aſſentiri debet is qui uult præditus eſſe ſcientia quæ demonſtratione conſtat: ſed nihil aliud ei credibilius eſſe oportet neque notius ijs quæ principijs repugnant, ex quibus concluſio ſequatur contrariæ captionis. Si enim conſtans oportet, ſit immobilis is qui plane atque penitus alicuius rei ſcientiam comprehendit.

## CAP. III.

NOnnullis quidem quòd principia cognita eſſe debent non uidetur eſſe ſcientia: aliorum autem ſententia eſt illa quidem, ſed tamen rem omnem demonſtratione concludi poſſe exiſtimant: quorum neutrum nec uerum eſt, nec uero neceſſarium. Nam qui nihil omnino ſciri poſſe ponunt, ij in infinitum progredi nos uolunt, quòd nunquàm poſteriora ex prioribus quorum nulla ſint initia, cognoſci poßint: in quo uera eſt eorum ſentẽtia: neq; enim infinita tranſilire poſſumus. Sin in eis inſiſtitur ſuntq; principia, ea ignota eſſe uolunt, quippe cum demonſtratione concludi nequeant, quod unum ſcire eſſe dicunt. Quod ſi & principia cognita eſſe non poſſunt, nec ea quæ ex ijs concluduntur, neque omnino cognoſci poſſe nec propriè, ſed ſolum ex fictione ſi illa ſint. Alijs de ſcientia nulla controuerſia eſt (demonſtratione etenim eam ſolum conſtare dicunt) ſed omnia demõſtrari poſſe nihil prohibere: poſſe enim & in orbem demonſtrari omnia, & retro uicißim cõmeari. Nos autem non ſcientiam omnem demõſtratione confici concedimus, ſed eam demum, quæ ex ijs principijs quæ medio uacant nec demonſtrari poſſunt, concluditur. Idq; neceſſariũ eſſe hinc intelligitur, quòd ſi neceſſe eſt principia habere cognita, ea etiã neceſſe eſt ex quibus progreditur demonſtratio. Inſiſtitur autem tandẽ aliquando in ijs quæ nulla habent ſuperiora, quæ ipſa neceſſariò cõcludi demõſtratione non poſſunt. Atq; hæc noſtra eſt de his ſententia: nec ſolum ſcientiam, uerum etiam ſcientiæ caput quoddam eſſe dicimus, ex quo uerba & quaſi fines cognoſcimus. In orbem autem aut uicißim retro cõmeari demonſtrãdo non poſſe omnino hinc ſciri poteſt, quòd ex prioribus & magis perſpicuis omnis debet progredi demonſtratio. Fieri enim non poteſt ut eadem alia alijs ſint & priora & poſteriora, niſi forte altero modo, ut hæc noſtra ratione, illa omnino quo modo inductio





ctio rem illuſtrat. Quod ſi ita eſt, non erit præclarè definitum quid ſit omnino ſcire quippiam, ſed ambiguum erit: aut certe non uera eſt altera demonſtratio, quæ ex rebus nobis notioribus exiſtit. Sequitur autem ex eorum ſententia qui demõſtrationem in orbem & reuolutionẽ redigunt, non id ſolum quod dixi incommodum, ſed hoc etiam, quòd hac ſua oratione nihil aliud uolunt niſi hoc eſſe ſi illud ſit. Iſto autem modo facile eſt demonſtrare omnia, quod ita perſpicuum erit effici ſi tria uerba ponantur. Nihil enim intereſt ex multis an paucis dicamus reuerti & reuolui, ſed ex paucis an ex duobus id refert. Cum enim ſi ſit a, neceſſario eſt b, & ſi hoc ſit, etiam c, profecto ſi a ſit etiam c erit. Quòd ſi quia a eſt, neceſſe eſt b eſſe: & quia hoc eſt a eſſe (hoc enim eſt uicißim rem demonſtrare) locetur a ubi erat c, ſic dicere quia b eſt, a eſſe eſt dicere c eſſe: hoc autem dicere eſt, quia a eſt, c eſſe. Atqui c idem eſt quod a. Ita efficitur, eos qui uicißim aiunt res demonſtrari, aliud dicere nihil niſi, quia a ſit a eſſe. Iſto autem pacto facile eſt docere omnia. Quanquam ne hoc quidem fieri poteſt niſi ijs in rebus quæ aliæ ex alijs conſequuntur, cuiuſmodi ſunt propria. At uno quidem poſito demonſtratum eſt, nihil aliud neceſſe eſſe effici: uno dico, ut uno uerbo uel propoſito conceſſo. Ex duobus autem propoſitis primis & minimis effici aliquid poteſt, quoniam etiam ratiocinatione cnocludi. Si a ex b & c eſt conſequens, & hæc inter ſe & ex a ſunt conſequentia: hoc quidem pacto licet omnia docere quæ poſtulantur prima forma adhibita ratiocinationis, quemadmodum in libris de ratiocinatione demonſtratum eſt. Hoc etiam oſtenſum eſt in cæteris formis aut non tractari ratiocinationem aut non ex ijs quæ ſumpta eſſent. At quæ uicißim non conſequuntur, nuſquam uicißim demonſtrari poſſunt. Ita cum paucis locus reliquus ſit in demonſtrationibus, hoc certe perſpicuum eſt, ſuperuacaneam eſſe atque nefas profiteri,

mutuam eſſe rerum demonſtrationem, ob eámque cauſam omnia poſſe concludi demonſtratione.

## CAP. IIII.

Quoniam autem aliter eſſe aut euenire non poteſt, id quod penitus ſcientia comprehenſum eſt, neceſſe eſt id cadere ſub ſcientiam, cuius ea quæ demonſtratione conſtant ſcientia tenetur. Demonſtratione autem ea conſtat, quam ex eo tenemus quòd demonſtratione aliquid cõcluſum habemus. Ita ex neceſſarijs effecta concluſio demonſtratio eſt. Docendum eſt igitur ex quibus ſint demõſtrationes. Primum explicabimus quid ſit de toto genere dici, quid ſit per ſe, quid omnino & in totum. Ac de toto quidem genere dici id dico, quod aliqua ex parte non dicitur, & aliqua ex parte dicitur: & interdum conuenit, interdum non conuenit. Vt ſi in omni homine animal dicatur, & uerum ſit hunc eſſe hominem, uerum etiam erit eum eſſe animal. Et ſi nũc alterum uerum eſt, etiam alterum. Eodémque modo iudicandum eſt, ſi punctum in omni linea eſſe intelligatur. Quod hinc ſciri poteſt, quia ita reſiſtimus cum de uniuerſo genere interrogamur, aut ſi parti, aut ſi interdum id non conuenit: per ſe autem conueniunt ea quæ in definitione continentur: ut triangulo linea, lineæ punctum. Eorum enim natura ex his cõſtat, & in ea ſunt quæ rei naturam explicat definitione. Itémq; ea per ſe conueniunt quæ in definitione naturam explicante eorum quæ in ipſis inſunt collocantur, ut lineæ rectum conuenit & rotundum, numero par & impar, primus & cõcretus: & id quod æquis eſt lateribus, & quod eſt longum altera ex parte, horumq; omnium in definitione ea quæ rẽ explicat ineſt in illorum definitionibus linea, in horum autem numerus. Itémq; in alijs hæc ipſa per ſe cuiq; conuenire duo. Quæ autem neutro modo conueniunt ea aſſumpta & aduentitia uocantur, ut muſica & candor animalibus. præterea id quod non de ſubiecta



re alia aliqua dicitur, ut ambulare: cum aliud quiddam ſit id quod ambulat, aliud id quod album eſt. Eſſentia autem & omnia quæ aliquid ſignificãt, non aliud aliquid ſunt, quàm quod ſunt. Quæ igitur non de ſubiecta re dicuntur, ea per ſe dico conuenire. Quæ autem de re ſubiecta dicuntur, ea uoco accidentia. Alio etiam modo, id quod cuique per ſe conuenit, per ſe conuenire dicitur: quod autem non per ſe, accidens. ueluti, ſi tum cum aliquis ambulabat fulſit id fortuitu & accidens eſt. Non enim quia ambulauit fulſit, ſed hoc accidiſſe dicimus. At ſi propter ſe, per ſe conuenit: ut ſi quis interfectus interijt, ex ipſa etiam cæde quòd cæde ipſa interijt, nõ quòd accidit ut iugulatus interiret. Quæ igitur dicũtur in ijs quidem quæ omnino abſolutéq; ſub ſcientiam cadunt, hoc modo ijs per ſe conuenire quæ prædicata appellantur, ea per ſe ſunt & neceſſario. Neq; enim poſſunt non conuenire aut omnino ipſa aut eorum contraria: ut linea uel recta eſt uel obliqua: & numerus par aut impar. Eſt enim in codẽ genere aut priuatio aut repugnantia contrarium, ut par aut impar in numeris qua ex parte eſt conſequẽs. Ita ſi neceſſe eſt dicere aut negare, ea etiam quæ per ſe conueniunt, inſint neceſſe eſt. Atq; hoc quidem modo dici de toto genere, & per ſe definitum ſit. Vniuerſum autem dico, quod & de toto genere, & per ſe, & qua ex parte idem eſt, dicitur. Ex quo perſpicuum eſt, ea omnia quæ uniuerſa ſint, rebus ipſis neceſſario conuenire: per ſe autem cõuenire, & qua ex parte ipſum eſt, idem efficiunt: ut per ſe punctum lineæ conuenit, & quod rectum eſt: qua enim ex parte linea eſt, ei conuenit. Triangulo etiam quatenus triangulum eſt duo recti conueniunt: quippe cum per ſe duobus rectis par ſit triangulum. Vniuerſum autem cõuenit tum, cum in quouis & in primo oſtenditur, ueluti hoc ipſum duos rectos habere nec in figura omni ex parte reperitur, & licet docere figuram duos rectos habere, quanquã non quamlibet.

libet figuram, nec quauis figura is qui demõſtrat utitur. Nam quadratum eſt illud quidem figura, ſed tamen duobus rectis pares non habet. Quæ autem lateribus eſt æqualibus figura, habet quidem quælibet duobus rectis pares, ſed non primo, uerum illos prius habet triangulum. Quæ igitur figura eſt eiuſmodi, ut quauis in parte primum duos pares aut quæuis alia habere doceatur, in eam primam id quod uniuerſum eſt conuenit, eiúſque per ſe generalis eſt demonſtratio. Aliarum autem quodam modo non per ſe nec eius quæ latera habet æqualia eſt generalis, ſed patet latius.

## CAP. V.

INtelligendum eſt autem ſæpe uſuuenire, ut in errore uerſemur, nec primum & uniuersè id quod demonſtratur conueniat, qua ex parte primum & uniuersè doceri uidetur. Eo autem in errore tamẽ uerſamur, cum aut nihil præter res ſingulas ſupra ſumi poteſt, aut ſi poteſt; at certe in rebus ſpecie differẽtibus uacat nomine: aut id totum in quo uniuerſum docetur reperiri, partis uim & nomẽ obtinet. In iis enim quæ partis rationẽ ad uniuerſum genus habebũt ualebit quidẽ demonſtratio, eaq; ad totũ genus accõmodabitur: ſed tamẽ huius ut primi uniuerſi generis non erit demõſtratio. Dico autẽ huius primi, quatenus huius demonſtrationẽ cum ad ipſum ut primum uniuerſum genus adhibetur. Si quis igitur lineas rectas non concurrere doceat, eius quidẽ demõſtratio eſſe uideatur, propterea ꝙ in rectas omneis cõueniat. At nõ ualet: ſiquidem non quia hoc modo pares ſunt, id efficitur, ſed quia quomodocunq; pares. Quòd ſi triangulũ non eſſet aliud niſi id quod latera paria habet, certe quod paria habet latera cõuenire uidetur, eadémque ratione uiciſſim, quia numeri, & quia lineæ, & quia ſolida, & quia tempora, quemadmodum aliquando ſeparatim demonſtratum eſt, cum id poſſit in omnibus doceri una demonſtratione. Sed quia non eſt quicquam ullo nomine expre-



expreſſum, omnia hæc, numeri, longitudines, tẽpora, ſolida, unum eſſe, & ſpecie differre ſeparatim ſumptũ eſt. Nunc autem uniuerſe docetur: non enim quia lineæ aut quia numeri, ſed quia hæc cõueniebat id quod conuenire ponebãt. Ob eamque cauſam ſi quis doceat aut una aut altera demonſtratione in unoquoque triãgulo duos rectos eſſe aut ſeparatim unumquodque quod æquis eſt lateribus & ſcalenum, & quod æquis eſt cruribus, is nondũ cognouit par eſſe duobus rectis triangulum, niſi more ſophiſtarũ nec omnino & uniuersè triangulum, nec, ſi nullum præter hæc ſcit aliud triangulum. Non enim quia triangulum eſt nouit, nec omne triangulum, ſed quatenus numerus eſt. Speciem autem non omnem nouit, etſi nulla eſt quam non nouerit. Quando igitur non nouit cõuenire uniuerſe, & quando nouit omnino & abſolute, hinc perſpici licet, quòd ſi idem eſt triangulũ quod iſopleuron, aut unumquodque, aut omnia cognouit: ſin non idem ſed aliud eſt & conuenit, quia triangulum non nouit. Vtrum autem quia triangulum an quia iſoſceles conueniat, & quãdo ea ratione primum conueniat & uniuerſe alicuius demonſtratio, hinc ſciri poteſt quia cum cæteris detractis primo conueniet demonſtratio ualebit. uelùti uerbi cauſa æneo triangulo ei quod paribus eſt cruribus duo recti conuenient, etiam ſi æs & iſoſcelis natura, non etiam figura aut lineamenta detrahantur: ſed non primi, cuius ergo primi? Si trianguli, profectò illius communione aliis ſuppetit, atque huius generalis eſt demonſtratio.

## CAP. VI.

QVòd ſi demonſtrandi ſcientia eſt ex neceſſariis principiis, quod enim ſcientia comprehẽditur, ſecus euenire non poteſt: quæ autem per ſe conueniunt, rebus inſunt neceſſario. quædam enim in definitione quæ naturam rei explicat collocantur, aliorum definitione quæ naturam etiam declarat hæc ipſa ſunt de quibus illa dicuntur, quorum contrariorum alterum

alterum neceſſe eſt conuenire: profectò ex quibuſdam huius generis ratiocinatio accommodata ad demonſtrandum conſtat neceſſe eſt. Omne enim quod conuenit, aut hoc modo aut temere & caſu conuenit. Quæ autem fortuita ſunt, ea non ſunt neceſſaria. Aut igitur hoc modo dicendum eſt, aut ijs qui principium ponunt demōſtrationem ita neceſſariam eſſe, ut ſi demonſtratum eſt, aliquid ſecus cadere non poßit. ex quo efficitur ex neceſſarijs concluſionem effici. Nam cum ex ueris poßit etiam is qui non demonſtret concludere, tamen ex neceſſarijs niſi is qui demonſtrat, non poteſt: hoc enim eſt iam demonſtratum proprium. Demonſtrationem autem ex neceſſarijs eſſe argumento eſt quod hoc modo ijs occurrimus qui ſe putant docere non eſſe neceſſe: ſi arbitremur aut omnino ſecus euenire poſſe, aut certè diſputationis gratia. Ex quibus illud etiam perſpicuum eſt, eos imperitos eſſe qui ita ſe putant principia præclare ſumere, ſi probabilis ſit & uera propoſitio, ut ſophiſtæ. propterea quòd ſcire ſit idem quod ſcientia eſſe præditum. Non enim quod probabile eſt aut non probabile, principium eſt, ſed id quod primum eſt in eo genere in quo demonſtratio uerſatur, nec uerò omne quod uerum eſt, demonſtrationi eſt accommodatum. Concluſionem uerò ex neceſſarijs eſſe oportere, ex his etiam perſpici licet. Si quis enim tractata demonſtratione non teneat cauſam, is ſcire non dicitur. Ponamus enim a ipſi c neceſſario conuenire, ſumpto b medio uerbo ad docendum non neceſſario: is profectò cauſam non nouit, propterea quòd ex medio uerbo id non efficitur. Illud enim aliter euenire poteſt, concluſio autem eſt neceſſaria. Præterea ſi quis nunc neſcit, cum ratiocinationem habet & ſaluus re ſalua & incolumi, nec immemor nec prius ſciebat. Interire autem poterit medium ſi nō ſit neceſſarium. Habebit igitur ratiocinationem incolumem re ſalua, nec tamen ſcire dicetur: nec antea igitur ſciebat: ſi uerò non in-





terijt & interire poteſt, profectò quod efficitur, id eſt, concluſio in ijs erit quæ fieri poſſunt & accidunt. At fieri non poteſt ut is qui ita affectus eſt ſciat. ac neceſſaria quidem cum eſt concluſio, nihil prohibet id medium uerbum quo res demonſtrata eſt non eſſe neceſſariū. Neceſſariū enim ex non neceſſarijs effici poteſt, quemadmodum uerum ex non ueris. Cum autem medium neceſſarium eſt, neceſſaria etiā eſt concluſio: ſicut ex ueris uera neceſſario efficitur. Si enim a in b neceſſario dicatur, & hoc in c, neceſſe eſt etiā a in c intelligi. Cum porrò non neceſſaria eſt concluſio, medium uerbum neceſſarium eſſe non poteſt. Sit enim poſitum a ipſi c non neceſſario conuenire: in b autem & hoc ipſum in c neceſſario intelligi: a igitur etiam in c neceſſario intelligetur: at hoc non eſt poſitum. Quoniam igitur ſi quis aliquid ſciat ex demonſtratione, id ex neceſſarijs conuenire oportet, non eſt id quidem dubium quin ex medio etiam uerbo quod ſit neceſſarium ſumēda & elicienda ei ſit demōſtratio: aut nec cauſam tenebit, nec ſciet illud eſſe neceſſarium, ſed uel putabit ignarus & neſcius, ſi id pro neceſſario habeant quod nō eſt neceſſarium. uel ſimili modo non opinabitur, ſiue rem eſſe ex medijs cognoſcat, ſiue cauſa rei etiam ex ijs quæ ratione doceri non poſſunt. Accidentium autem quæ non per ſe conueniunt quemadmodum definita ſunt ea quæ per ſe conueniunt, nō eſt demōnſtrationis ſcientia: quippe cum ex neceſſarijs concluſio non poßit oſtendi. Accidens enim poteſt non conuenire: nam de huius generis accidente loquor: quanquam aliquis fortaſſe quærat cur hæc de his quærenda ſint niſi neceſſe ſit eſſe concluſionē. Nihil enim intereſt, num quis poſita prioru quauis quæſtione, deinde concluſionē cōſcendat. Ponēda eſt autē quæſtio non quòd neceſſaria ſit concluſio propter rogata, ſed quòd neceſſe eſt eum qui illa concedat etiam concluſionē concedere: & ueram concedere, ſi uere conueniant quæ inſunt.

## CAP. VII.

QVoniam autem in unoquoq; genere & qua ex parte unumquodq; eſt neceſſario inſunt quæ per ſe conueniunt, profectò in iјs quæ per ſe conueniunt uerſantur, ex iiſque progrediuntur quæ ſcientiam efficiunt probationes. Cum enim res fortuitæ non ſint neceſſariæ, fit ut non ſit neceſſe tenere cur conueniat, nec an ſemper & ſi non per ſe conueniat, concluſio. cuiuſmodi ſunt ex ſignis & notis ratiocinationes. Quod enim per ſe conuenit, non per ſe ſciet, nec cur conueniat. Quamobrem autem conueniat ſcire, eſt ex cauſa cognoſcere. per ſe igitur oportet & medium uerbum primo, & primum medio conuenire: ex quo efficitur, ex alio genere eum qui ad aliud diſputationem traducat, demonſtrare non poſſe. ut quòd geometriæ ſubiectum eſt in arithmetica. Tria enim ſunt in demonſtrationibus: unum concluſio, quæ demonſtratur quæ eadem alicui certo generi per ſe conuenit: alterum poſtulata, poſtulata autem ſunt ex quibus progredimur. Tertium eſt genus ſubiectum & propoſitum, cuius proprietates & accidentia per ſe demonſtratio declarat. Ac ea quidem ex quibus progreditur demonſtratio, eadem eſſe poſſunt. Quarũ autem artiũ aliud atq; aliud genus eſt, ut arithmeticæ & geometriæ, nõ poteſt uerbi cauſa arithmetica demonſtratio ad attributa magnitudinũ niſi ſint magnitudines numeri accommodari. quod quatenus in aliquibus fieri poſſit, poſt docebimus. Arithmetica autem ut cæteræ artes ſemper habet ſibi genus poſitũ in quo uerſetur. Ita aut omnino neceſſe eſt idẽ eſſe genus aut quadam ex parte, ſi poßit tranſferri demonſtratio. Alio autẽ modo id fieri nõ poſſe hinc perſpicitur, quòd eiuſdem generis neceſſe eſt eſſe tum primum, tum tertiũ, tum etiam medium uocabulum. Si enim per ſe non conueniant, fortuita erunt & accidentia: ob eámq; cauſam non poteſt geometria demonſtrare aduerſorũ unã eſſe ſcientiam,



nec duos cubos cubũ eſſe. nec uerò ars ulla alia id quod alterius eſt proprium, demonſtrare poteſt, niſi ea omnia quæ ita inter ſe aſſecta ſunt ut alterum alteri ſubijciatur, quã habent rationem res eius artis quæ in perſpiciendo uerſatur ad geometriam, & res muſicæ ad arithmeticam: nec ſi quid lineis conuenit, non qua ex parte lineæ ſunt, nec quatenus à proprijs principijs proficiſcuntur: ut linearum rectam præſtantißimam eſſe, eámq; orbi eſſe contrariam. Non enim qua ex parte proprium eſt genus hæc lineæ rectæ conueniunt, ſed qua commune quiddam eſt. Illud etiam perſpicuum eſt, ſi ſint generales propoſitiones ex quibus ratiocinatio conficitur, talis demonſtrationis & omnino demonſtrationis concluſionem fore ſempiternã: ex quo efficitur nõ eſſe rerũ quæ intereunt demonſtrationem, nec ſcientiam omnino niſi fortuitam & impropriam: propterea quòd non ad uniuerſum genus, ſed ad tempus & modum accommodatur. Cum autem eſt eiuſmodi, altera propoſitio nec generalis ſit & mortalis ſit neceſſe eſt. mortalis, quòd etiam concluſio: non generalis, quòd aliquid uerum erit, aliquid non erit eorum in quibus dicitur. Ita fit ut concludi uniuerſe non poßit, ſed tantum hoc tempore. Quod idem fit in definitionibus. quandoquidem definitio eſt aut demonſtrationis principium, aut demonſtratio collocatione diuerſa, aut quædam demonſtrationis concluſio. Eas autem, quæ in iјs quæ plerunq; eueniunt uerſantur & demonſtrationes & ſcientiæ (ut lunæ defectionis) perſpicuum eſt, quatenus eiuſmodi ſunt, eſſe perpetuas: quatenus autem non perpetuæ ſunt, in iјs ſunt quæ ad partem accommodantur. Vt autẽ de lunæ defectu, ſic de cæteris dicẽdum eſt. Quoniã autem perſpicuũ eſt ex ſuis quicq; principijs tantum demonſtrari poſſe, ſi id quod demonſtratur, non qua ex parte illud eſt conuenit, non eſt hoc ſcire, etiam ſi ex ueris iјſq; quæ monſtrari non poſſunt, nec ulla ratione doceri demonſtren=

tur. Eſt enim hoc ita demonſtrare ut Bryſon quadratum ſolebat. Cum enim ex communibus principijs huiuſmodi rationes demõſtrãt ea etiã ad alia trãſferri poterũt. Itaq; in alia etiã quæ non ſunt eiuſdem generis rationes conueniunt: ex quo efficitur, non quia illud ſit, ſcientia comprehẽdi, ſed propter aliud. Neque enim ad aliud etiam genus accommodari demonſtratio poteſt. Atqui tum denique aliquid ſcimus, non impropriè & per aliud, cum ex eo ſcimus quod ex principijs illius quia illud ſit, cõuenit: ut cuiuſmodi illud eſt, duobus rectis pares habere, cui per ſe ex huius principijs conuenit id quod dictum eſt. Ita fit, ut ſi per ſe etiam illud conuenit cui conuenit, neceſſe ſit medium uerbum eſſe generis eiuſdem: ſin minus, at certè eam ad illud rationem habebit, quam habet ad arithmeticam muſica. quæ autem in eo genere ſunt, ea demonſtrantur eodem modo: ſed per hoc differunt quòd ea demõſtratio quæ rem eſſe dicit, ad aliam artem pertinet (eſt enim genus aliud) ea autem que ex cauſa ſumitur ſuperioris eſt, cuius per ſe ac propriæ ſunt affectiones. Quapropter ex his etiã perſpicuũ eſt non poſſe rem ullam demõſtrari omnino niſi ex ſuis quicq; principijs. At horum principia id quod multorum commune eſt continent. Quod ſi perſpicuum eſt, illud etiam eſt, propria cuiuſque rei principia non poſſe monſtrari. Erunt enim illa omnium principia, illorúmque ſcientia omnium erit præſtantiſſima: præſertim cum is demum melius quippiã ſciat, qui ex cauſis ſuperioribus cognorit. Ex prioribus enim tum denique noſſe quis dicitur, cum non ex cauſis quæ eædem effectus ſint rem cognouerit. Ita ſi melius nouit, etiam optime, & ſciẽtia illa erit tum certior, tum certiſſima. Demonſtratio autem ad aliud genus non accommodatur niſi quemadmodum dictum eſt eo modo, quo geometria ad opticam, & ad eas quæ in machinis ædificandis cernuntur, & ad muſicam arithmetica. Difficile eſt autem utrum quis ſciat

nec



nec ne perſpicere, præſertim cum arduum ſit intelligere an ex proprijs cuiuſq; principijs nec ne ſciamus id quod ſcire dicitur. Arbitramur quidem ita nos ſcire, ſi rem ex ueris aliquibus ratiocinationibus primiſq; cognorimus: quod non eſt ſcire, ſed eiuſdem generis cuius prima ſunt eſſe debent.

CAP. VIII.

Principia autem in quoq; genere dico ea, quæ eſſe demonſtrari nullo modo poſſunt. Quid enim & principia & ea quæ ex ijs concluduntur ſignificent, ſumitur: eſſe autem principia quidem ſumuntur, alia autem demonſtrentur neceſſe eſt: ueluti, uerbi cauſa, quid ſit unio, quid rectum & triangulum. eſſe autem unionem & magnitudinem accipiendum eſt, cætera autẽ demõſtranda ſunt. Quæ autẽ in artibus & ſcientijs ijs quæ demonſtrant tractantur, ea partim cuiuſque artis propria ſunt, partim communia. Communia uerò pro portione, quandoquidem quantum commodum eſt in eo genere quod ſcientiæ ſubijcitur. propria quidem ut lineam eſſe talem uel talem, & rectum. communia, ut ſi ab æqualibus æqualia demas, reliqua fore æqualia. Satis autem erit quodque horum quantum genus poſtulabit. Idem enim efficiet ut etiam non in omnibus ſumatur, ſed in ſolis magnitudinibus: ab eo autem qui rationem numerorum teneat, ad numeros accommodetur: propria etiam ſunt ea quæ uera eſſe ſumuntur, ex quibus ars ea quæ per ſe conueniunt perſpicit, ut uniones arithmetica: geometria ſigna & lineas. Hæc enim tum eſſe, tum hoc uel illud eſſe ſumunt. Quid autem declarent ea quæ per ſe illis conueniunt affectiones ſumunt, ut arithmetica quid par & impar, aut quadratum, aut cubus. geometria uerò quid ſit id quod careat proportione, quid inflecti, quid concurrere. Eſſe autem illa docent, & ex communibus principijs & ex ijs quæ demonſtratione probata ſunt. Eadem eſt ratio aſtrologiæ. Omnis enim ars quæ de=

monſtratione utitur in tribus cernitur, quæ ponuntur eſſe genus cuius attributa quæ per ſe conueniunt conſiderat: communia quæ poſtulata uocamus, ex quibus primis rem demonſtrant: & tertium affectiones ſeu attributa. quorum quid quicq; ſignificet accipit. Nihil autem prohibet eſſe nonnullas quæ aliqua horum negligant, ut non ponere genus eſſe ſi id eſſe conſtet. Neq; enim æquè conſtat numerũ eſſe, ac calorem eſſe & frigus. Et attributa quid declarent non ſumere, ſi ſint perſpicua, ut nec communia. non enim ſumit quid ſignificet æqualia demi ab æqualibus, quod ſit notum. Verumtamẽ natura quidem hæc tria ſunt: id cui aliquid conuenire demonſtratur, ea quæ demonſtrantur, & ea ex quibus demonſtratio ducitur. Nõ eſt autem hypotheſis, nec poſtulatum id quod neceſſe eſt per ſe conuenire, & neceſſe eſt uideri. Non enim ad eam orationẽ quæ extra in uoce poſita eſt, ſed ad eam quæ in animo eſt adhibetur demonſtratio, quippe cum ne ratiocinatio quidem. ſemper enim externæ orationi reſiſti poteſt, ei autem quæ in animo eſt non ſemper poteſt. Atque hæc quidem ſunt, quæ cum doceri monſtrarique poſſunt, is ſumit qui ea non docuit. Si ea quæ uidentur accipit ei qui diſcit, ponit: nec omnino hypotheſis eſt, ſed illi uni. Si uerò nulla extante aut etiam contraria extante opinione accipiat, illud idem petit, atque hoc ipſo hypotheſis & petitio differunt. Eſt enim petitio id quod diſcentis opinioni repugnat, aut quod cum demonſtrari poßit aliquis ſumat, eóque non demonſtrato utatur. Ac definitiones quidem non ſunt hypotheſes. Non enim eſſe, aut non eſſe, id eſt, nec uerum nec falſum definitiones ſignificant. Hypotheſes autem ſunt in numero propoſitionum. Præterea definitiones tantum intelligendæ ſunt, quod non eſt hypotheſis, niſi etiam auditum quis hypotheſin eſſe concedat, ſed ea demum hypotheſeos nomen obtinent, quibus poſitis & conceßis hoc ipſo quòd illa

conce



conceſſa ſint, ſequitur concluſio. Nec uerò geometra falſa ponit quemadmodum nonnulli exiſtimarunt, qui aiunt cum non ſit falſis utendum, geometram mentiri qui dicat pedalem eſſe lineam quæ non ſit pedalis, aut rectam eſſe quæ recta non ſit. Atque geometra nihil concludit ex eo quòd ea ſit linea quam ipſe dixit. ſed ex eo quòd ea ſint quæ his declarantur. Iam uerò petitio & hypotheſis omnis aut generalis aut ſpecialis eſt, quorum neutrum ualet in definitionibus. ac ſpecies quidem ſeu ideas eſſe, aut unum aliquid præter multa non neceſſe eſt, ſi locus ſit futurus demonſtrationi. eſſe autem unum quod de multis dicatur, uerum eſt neceſſario. Neque enim uniuerſo generi hoc non extante loci aliquid relinquetur. Si loci nihil uniuerſi generi relinquatur, medium uerbum nullum extabit, ita nec demonſtratio. Sit igitur oportet unum quiddam non ambiguum quod in pluribus intelligatur. Illud autem fieri non poſſe ut ſimul idem aiat & neget nulla demonſtratio ſumit, niſi hoc etiam modo ſit demonſtranda concluſio. Demonſtratur autem ſumpto primo uerbo quod aiat in medio id intelligi, & eodem quod neget falſo intelligi. Medium autem nihil intereſt aiens ne an negans ſumas: quod de tertio eodem modo iudicandum eſt. Si enim datum ſit aliquem uere hominem dici, etiam non homo aliquid uere dicetur: ſed tamen homo tantum animal dicetur, non etiam non animal, ut uerbi cauſa, & Callias homo, & id quod non eſt Callias homo dicetur: attamen animal tantum non etiam id quod non eſt animal, ſiue Calliam ſiue id quod non eſt Callias eſſe uerum eſt. Cauſa eſt, quòd primum uerbum non ſolum in medio dicitur, ſed etiam in alio, propterea quòd pluribus conuenit. Quapropter nihil intereſt ad concluſionem utrum medium etiam aiat an neget. Illud autem aut affirmanda, aut nganda eſſe omnia ea ratiocinatio ſumit qua id quod fieri non poteſt concluditur,

neque id ſemper uniuerſe & omnino, ſed quantum ſatis eſt in genere, in eo inquã genere in quo demonſtratio uerſatur, id quod etiam ſupra dictum eſt. Quæ autem communia principia dicuntur, ea ſunt omnium artium communia. Communia autem ea dico, ex quibus ducunt demonſtrationem, non ea quibus aliquid conuenire monſtratur, nec id quod docetur conuenire. Dialectica etiam omnibus artibus communis eſt, etiam ſi quis conetur uniuerſe docere communia, ut affirmanda aut neganda eſſe omnia: uel ſi ab æqualibus æqualia demas, aut ſi qua eiuſdem generis. Dialectica autem non ita in certis quibuſdam aut in uno quodam genere uerſatur, neq; enim interrogaret. Non enim is qui rem neceſſaria ratione docet aut demonſtrat interrogare poteſt: propterea quòd contrarijs repugnantibúſq; poſitis idem non oſtenditur, quod in ijs libris in quibus de ratiocinatione diſſeruimus demonſtratum eſt.

CAP. IX.

Quòd ſi idem eſt interrogatio quæ ad concludendum ualet, & propoſitio repugnantiæ, propoſitiones autem in quaque arte ſunt eæ ex quibus cuiuſque artis concluſio efficitur, certe quædam ſint interrogationes oportet effectrices ſcientiæ, ex quibus ſua cuiuſque artis & propria efficiatur concluſio. Ex quo perſpicuum eſt, non omnem à Geometria aut Medicina peti quæſtionem. quod etiam de cæteris exiſtimandum eſt eodem modo, ſed eæ demum ſunt, ex quibus aut demonſtratur aliquid eorum in quibus Geometria cernitur, aut ex iiſdem quibus Geometria perſuadetur. Quo in genere ſunt eæ res quæ opticæ ſubijciuntur, itémq; res cæterarum: atq; harum quidem ex principijs concluſionibúſq; geometriæ afferenda ratio & probatio eſt. geometræ autem, quia geometra ſit non ſunt probanda ſua principia, quod item fit in cæteris artibus.





Non igitur unuſquiſq; eorum qui arte præditi ſunt quæſtionem omnem ponere debet, nec ad omnia rogata reſpondere, ſed ad ea demum quæ ſint in arte definita. Quòd ſiquis cum geometra quia geometra ſit, hoc modo diſputet, perſpicuum eſt eum præclarè eſſe facturum ſi quid ex his demonſtret: ſin ſecus, non præclare: perſpicuum eſt etiam geometram ab illo non refelli niſi improprie. Quocirca nunquam apud ignaros geometriæ, de geometria diſputandum eſt: quippe cum is qui uitioſe diſputabit facile latere poſſit, quod etiam fit in cæteris artibus. Quoniam autem quæſtiones ſunt geometricæ, an etiam ab illa arte abhorrentes ſint, quæſtio eſt: & num quæſtiones uniuſcuiuſq; ſcientiæ eæq; à certa ignoratione proficiſcuntur, ſint geometricæ. Et ſit ne ratiocinatio ignorationis ea quæ ex contrarijs eſt, an παραλογισμὸς, id eſt, falſa & uitioſa ratiocinatio? Omnis quidem quæſtio non geometrica, aut ex geometria eſt, aut ex alia arte. ut muſicæ quæſtio aliena eſt à geometria. Geometriæ autem hæc lineas parallelas concurrere putare quodammodo geometrica eſt, alio modo non geometrica. Hoc enim ambiguum eſt, quemadmodum hoc totum id quod eſt non numeroſum. Ac altera quidem à geometria aliena eſt cum idem ualet quod non habens numeros, altera autem cum idẽ efficit quod male & uitioſe numeroſum: ac que ex his principijs proficiſcitur ignoratio, contraria eſt. In mathematicis autem non æquè captiones incidũt, propterea quòd medium uerbum ſemper eſt duplex. Nam & de hoc toto, & hoc rurſus de alio toto dicitur: quod autem attribuitur, non omne dicitur. Quæ quidem perinde perſpicua ſunt ut quæ animo & cogitatione cernuntur: in uoce autem & diſputatione latent, An omnis orbis ſit figura? Quòd ſi deſcribantur, perſpicua fient. Quid? unum uerſus ſunt orbis? perſpicuum eſt non eſſe. Non eſt autem in reſiſtendo ea opponenda propoſitio quæ propria eſt inductionis. quemadmodum

enim ea enunciatio habenda non eſt, quæ non ualet in pluribus (neque enim in omnibus cernetur) ratiocinatio autem ex ijs quæ in totum genus conueniunt progreditur: ſic perſpicuum eſt eiuſmodi enunciationem non habendam eſſe in numero earum quas reſiſtẽdo debemus opponere. Eædem enim ſunt propoſitiones & ἐνςάσεις. Quod enim quiſque reſiſtendo opponit, id propoſitio aut ad demonſtrandum aut ad diſſerendum accommodata eſſe poteſt. Hoc autem nonnullis uſuuenit, non efficere concluſionem, nihilque concludere, quòd utriuſque ſumatur conſequentia: quod etiam Cæneus facit, concludendo ignem multiplici proportione generari, quoniam & ignis, ut ipſe ait, cito gignitur, & hæc proportio eſt. Sed hoc modo concluſio non ſequitur, ſed ita denique ſequitur, ſi ex celerrima proportione ea quæ multiplex eſt, ſit conſequens, & ignem celerrima in motu ſequatur proportio. Interdum enim ex ijs quæ ſumpta ſunt, nulla concluſio ſequi poteſt: interdum poteſt, ſed non uidetur. Quòd ſi non poſſet ex falſis uerum ſequi & probari, facilè eſſet retexere & ad certam collocationis formam modumq́; reuocare. Reciprocaretur enim neceſſario. Sit enim a id quod eſt, hoc autem cum eſt ea etiam ſunt quæ eſſe noui, ut b: profectò his poſitis, illud eſſe monſtrabo. Ea autem quæ in mathematicis uerſantur, facilius reciprocantur. Propterea quòd in eis nihil aduentitium & accidens aſſumitur, eóque ab ijs quæ in dialecticis tractantur differunt, ſed ſolæ definitiones. Augentur autem non medijs uerbis. ſed tum aſſumptionibus, tum inflexo ordine: aſſumptionibus, ut a in b, & hoc in c dicitur rurſus c in d & ita progrediendo in infinitum. Inflexo ordine in b ueluti a & in c intelligitur, ut ſi a numerus ſit certæ multitudinis etiam infinitæ, b autem impar numerus certæ quantitatis, c numerus certæ multitudinis: his ita conſtitutis & poſitis profectò a in c intelligetur. Sic etiam d numerus par cer-

tæ



tæ magnitudinis, & e numerus par, tum a in e conueniet.

## CAP. X.

Scire autem rem omnino conuenire: & quòd cur ea conueniat, differunt primum in eadem arte, idq; duobus modis. Vno ſi eæ propoſitiones ad concluſionem ſumantur, quæ ratione & argumento non careant quo doceri poßint. Sic enim prima cauſa non ſumitur, cum cauſæ cognitio & ſcientia ex prima cauſa ſequatur. Altero ſi eæ quidem quæ ratione nulla doceri poßint aſſumantur, ſed cauſæ uim non obtineant, cuiuſmodi ſunt ea quæ reciprocantur, ut rebus magis perſpicuis & illuſtrioribus fides fiat. Nihil enim prohibet eorum quæ reciprocantur id quod cauſa non ſit, notius eſſe & illuſtrius. Ita ex ijs exiſtet demonſtratio. Vt planetas proximos eſſe quòd nõ micent. Sit c planetæ, b non micare, a proximum eſſe. Verè b in c intelligitur, planetæ enim non micãt. A etiam in b conueniet. quod enim non micat, proximum eſt: idq; inductione ſenſuue ſumatur. Ita neceſſe eſt a in c intelligi. Ex quo effectum eſt, planetas uicinos eſſe nobis. Atqui ratiocinatio hæc non id ualet ut cauſa rei, ſed ſolum ut res conuenire doceatur. Non enim quia non micant, uicini ſunt: ſed quia uicini ſunt, non micant. Fieri etiam poteſt, ut altero alterum quaſi mutua quãdam probatione doceatur, cum interea cauſæ erit demonſtratio. Vt ſit c planetæ, b uicinum eſſe, a non micare: conuenit quidem & b in c, & a non micare in b, ita a etiam in c cadit, éſtque cauſæ concluſio. prima enim cauſa ſumpta eſt. Rurſus ut lunam docent rotundam eſſe ex acceßionibus. Si enim quod ita creſcit rotundum eſt, & luna creſcit, profectò luna rotunda ſit neceſſe eſt. Atq; hoc quidem modo ratiocinatio effecta eſt qua res conuenire concluditur. Contrà autem ſi medium uerbum collocatum ſit, conficietur ea, qua cur res conueniat docetur. Non enim propter acceßiones rotunda eſt luna, ſed quia rotunda eſt, eiuſmodi recipit acceßiones. Sit c

luna

luna, b rotunda, a acceſsio. In quibus uero media uerba non reciprocantur, eſtq; id quod cauſa non eſt, notius: ijs res conuenire illa quidẽ docetur, cur autem non conueniat non docetur. Quod etiam fit in ijs, in quibus medium uerbum extrinſecus adhibetur. His enim res eſſe, non cur ſit mõſtratur, quandoquidẽ cauſa non affertur. Vt ſi quæratur quamobrẽ paries non reſpiret, & reſpõdeatur, quia non ſit animal. Si enim hoc non reſpirandi cauſa eſſet, animal cauſam reſpirandi eſſe oporteret. ueluti ſi negatio cauſa eſt cur aliquid non conueniat, erit cur conueniat cauſa affirmatio: queadmodum ſi quia non moderata ſunt ea quæ calida & frigida adhibentur, ualetudo non eſt, eadẽ ſi moderata adhibeãtur cauſa erunt ualetudinis. Itemq; ſi affirmatio cauſa eſt cur aliquid conueniat, idem cur non conueniat cauſa erit negatio. ex ijs autem quæ ita demonſtrata fuerint, non efficietur id quod dictũ eſt. Neq; enim animal omne reſpirat. Cauſæ autem huiuſmodi in media diſpoſitionis forma concluſio efficitur. ueluti eſto a animal, b reſpirare, c paries: omni quidem b, a conuenit, omne enim quod reſpirat, eſt animal, c autem nulli conuenit. Ita b c nulli conueniet, non igitur paries reſpirat. Huius autem generis cauſæ accidunt ad ea quæ per hyperbolẽ dicta ſunt, quod eſt mediũ uerbum remotius dicere. In quo eſt genere illud Anacharſidis, In Scythia non eſſe tibiciniſtrias, quòd nec uites ſint. Ac ex eadem quidem arte, & ex mediorum uerborum collocatione hæ ducuntur ratiocinationum, quibus res conuenire & quibus cur res conueniat docetur, diſtinctiones. Alio autem modo inter eam qua res cõuenire & eã qua rei cauſa mõſtratur intereſt, quòd utrumq; ex alia arte cognoſcitur. In quo genere ea ſunt omnia quæ inter ſe ita affecta ſunt, ut alteri ſubſit alterum: quam quidem rationem habent ea quæ opticæ ſubiecta ſunt ad geometriam, & quæ arti extruendarum machinarum, ad eam quæ ſolida tractat, & quæ harmonicæ

pro



propoſita ſunt ad arithmeticam, & phænomena ad aſtrologiam. ferè autem nõnullæ harum artium eidem ſubiectæ ſunt. Nã & aſtrologia mathematica eſt, & nautica, & harmonica, & ea muſica quæ in aurium uoluptate cernitur. In his enim rei cognitio & ſcientia eorum propria eſt qui ad ſenſum artem accommodant, cauſæ autem notitia mathematicos potius attingit. Hi enim cauſarum demonſtrationes tenent, ac plerunque an res ſit ignorant, quemadmodũ ij qui uniuerſum genus contemplantur, ſæpenumero aliquas res ſingulas neſciũt propter non adhibitam conſiderationem. Cuiuſmodi ea ſunt omnia, quæ cum aliquid natura ſua differant, formas adhibẽt. Mathematicæ enim artes in formis uerſantur, non enim in ulla rerum ſingularum. Si enim in aliqua cernũtur res geometris propoſitæ, at certe non quia geometrarum ſunt in ea uerſantur. Habet autem eandem etiam rationem ad opticam quam hæc ipſa ad geometriam, & ad hãc alia. Cuiuſmodi eſt iris, eius enim cognitio phyſici, cauſæ autem eiuſdem ſcientia optici propria eſt aut omnino, aut eius qui artem tractat. Multæ etiam artes quarum aliæ alijs non continentur, inter ſe affectæ ſunt eodem modo. Vt & medicina & geometria. Vulnera enim rotunda tardius curari medici eſt ſcire, cur autem id fiat, geometræ eſt officium.

## CAP. XI.

Formarum autem diſpoſitionis prima ad ſcientiam eſt accommodata maximè: artes enim mathematicorum ab hac demonſtrationes & ſumunt & erunt. In quo genere ſunt in primis arithmetica, geometria, & optica, & penè omnes quæ in cauſarũ cognitione uerſantur. Cum enim aut omnino, aut plerunque & in plurimis per hanc formam ea qua cauſa concluditur tractetur ratiocinatio, ob hanc etiam cauſam efficitur, eam ad ſcientiam accommodatam eſſe maximè. Ad ſciendum enim cauſæ cognitio plurimum ualet. deinde ex hac

una

*una forma definitionis ſcientia inueſtigari poteſt. Nam ſecundæ formæ nulla eſt aiens ratiocinatio, cum definitionis cognitio ſit affirmationis. Extremæ autem eſt aiens illa quidem, ſed non ad totum genus accõmodatur, definitio autem eſt eorum quæ in uniuerſo genere uerſantur. Non enim quodã modo homo eſt animal bipes. Præterea hæc alias non deſyderat, illæ autem huius ſubſidio & coaleſcunt & augentur, quo ad uentum ſit ad ea quæ nulla ratione doceri queunt. perſpicuum eſt igitur, primam diſponendorum argumentorum formam plurimum ad ſcientiam ualere. Quemadmodum autem a in b* ἀτόμως *intelligi poterat, ſic etiam non conuenire poteſt. Dico autem* ἀτόμως *conuenire aut non conuenire, quòd nullum eſt medium uerbum, nulláque ratio, qua doceri poßint. Hoc enim pacto non poterit per aliud conuenire, aut non conuenire. Ac cum uel a uel b in aliqua re tota dicitur, aut etiam eorum utrumque, non poteſt a in b primum non conuenire. Sit enim poſitum a in toto c intelligi, profectò ſi b in totum c non cõueniat (fieri enim poteſt ut a in aliqua re uniuerſa dicatur, & b in eadem non dicatur) concluſio qua a in b non intelligi docebitur, ſequatur neceſſe eſt. Si enim c in toto a, & in nullo b intelligatur, hoc ſequitur, nulli b a conuenire. Idem fiet ſi b in aliquo toto ut in d intelligatur. Cum enim d b toti, & d nulli a conueniat, efficitur a b nulli conuenire. Eodémque modo oſtendetur ſi utrumque in aliquo toto intelligatur, poſſe b ei cui toti a conueniat non conuenire aut rurſus a, in quo b dicatur. Quod perſpici licet in iis coniugatis, quæ inter ſe permiſceri non poſſunt. Si enim nihil eorum quæ in a c d coniugatione reperiuntur, de nullo eorum quæ in b e f ordine continentur dicatur, & a g toti cõueniat, profectò b quod unum eſt coniugatorum in g non intelligetur. Sic enim coniugationes confunderentur. Eadem ratio erit, ſi b in aliquo toto dicatur. Sin neutrum illi toti conueniat, & a in b non dicatur, neceſſe erit* ἀτόμως *non conuenire. Si quod enim medium ſuppetat, eorum alterum alicui toti conueniat neceſſe eſt. Aut enim ad primam, aut ad ſecundam collocationis formam pertinebit ratiocinatio. Ac ſi ad primam pertineat, b in aliquo toto intelligetur. Aiens enim ſit oportet propoſitio ea quæ ad id conficiendum adhibebitur. Si autem mediæ formæ ſit propria, uerbum alterutrum alicui toti cõueniet. Si enim utrique negatio adiungatur, concluſio ſequetur. At ſi utraque propoſitio neget, non ſequetur. Perſpicuum eſt igitur aliud alij* ἀτόμως, *id eſt, cum ratio ad docendum non ſuppetit, non conuenire: quod quidem quando fieri poteſt, & quomodo, diximus.*



CAP. XII.

*IGnoratio autem quæ non ex priuatione aſſenſus, ſed ex affectione ducitur, eſt quæ ratiocinatione efficitur captio: eáque in iis quæ primò conueniunt aut non cõueniunt, uſuuenit duobus modis. Aut enim tum accidit cum quiſpiam omnino conuenire aut non conuenire exiſtimat, aut cum in eam opinionem ratiocinatione impellitur, ut putet conuenire. Ac ſimplicis quidem aſſenſionis, ſimplex eſt captio: eius autẽ quam ratiocinatio parit, genera ſunt plura. poſitum enim ſit a nulli b ita conuenire, ut nulla id ratione monſtrari poßit: profectò ſi a in b, ſumpto medio uerbo c intelligi concludatur, in errorem eum ratiocinatio induxerit. Ac fieri poteſt, ut utraque falſa ſit propoſitio: fieri poteſt etiam ut altera tantum ſit falſa. Si enim nec a in b, nec c in b intelligatur, contráque ambæ ſumptæ ſint, utraque falſa erit. poteſt autem c eam habere ad a & b rationem, ut nec ſub a ſubiectum ſit, nec in b uniuersè in totúmq; dicatur. Fieri enim non poteſt ut b alicui toti conueniat. Nam quoniam dictum eſt ei a primum non conuenire, & non neceſſe eſt a omnibus rebus quæ ſunt in totum conuenire, efficitur utramque falſam eſſe. Quinetiam alteram ueram licet ſumere, non tamen utramuis ſed propoſit*

poſitionem. Semper enim falſa erit aſſumptio, propterea quòd c in nullo b intellgatur. propoſitio autem poteſt, ut ſi a & in c & in b ita intelligatur, ut nulla ratione doceri queat. Cum enim idem primum de pluribus dicitur, neutrum alteri conuenit. Nihil autem intereſt an non ἀτόμως conueniat. Captio quidem ea qua conuenire quod non conuenit putatur, ex his & eo modo quem dixi, ſolum gignitur. Neque enim in alia forma ea concluſio inuenitur, qua quippiam docetur conuenire. Ea autem qua id non conuenire putatur quod conuenit, & in prima reperitur & in media forma diſpoſitionis Quot igitur modis in prima reperiatur, & quomodo affectæ ſint propoſitiones, primum dicamus. Poteſt quidem, cum utraque falſa propoſitio eſt: ut ſi a ita & in c & in b cadat, ut nulla ad id docendum ratio ſumi poſſit. Si enim ſumptum ſit a c nulli, & c, b omni conuenire, falſæ erunt propoſitiones. Hoc etiam fieri poteſt, cum altera eſt falſa, eáque alterutra. Fieri enim poteſt, ut a c uera ſit, & b c falſa: a c quidem uera propterea quòd a non omnibus rebus quæ ſunt conuenit: falſa autem b c, quòd in b c non poſſit intelligi, cui nulla ex parte a conueniat. Neque enim iam a c uera erit enunciatio. Quòd ſi utraque ſit uera, continuò etiam concluſio uera erit. Quin etiam c b uera eſſe poteſt, cum falſa eſt altera. ueluti ſi b & in c & in a intelligatur. Neceſſe eſt enim aterum alteri ſubeſſe. Ita ſi a nulli c conuenire ſumatur, falſa erit enunciatio. Ex quibus perſpicuum eſt & cum altera falſa eſt & cum utraque, falſam fore concluſionem. In media autem forma diſponendorum argumentorum utraque propoſitio omni ex parte falſa eſſe non poteſt. Cum enim a in omni b dicitur, nihil quod alteri omni, alteri nulla ex parte conueniat, licebit ſumere. Atqui ita accipiendæ ſunt propoſitiones ut uni conueniat, alteri non conueniat, ſi concluſionem oporteat ſequi. Quòd ſi hoc pacto ſumptæ



ſumptæ propoſitiones falſæ ſunt, profectò contrà affectæ erunt, quod fieri non poteſt. Nihil autem prohibet utramq; quadam ex parte falſam eſſe. ut ſi c & in a & in b, quadam ex parte dicatur. Si enim c omni a & b nulli conuenire ſumatur, falſæ illæ quidem erunt, non tamen omni, ſed quadam ex parte propoſitiones. Idem etiam fiet, ſi cõtrà negatio collocetur. Altera autẽ eáq; alterutra falſa poteſt eſſe. Quod enim omni a conuenit, in b etiam dicitur. Ita ſi ſumatur c in toto a dici, & omni b nõ conuenire, propoſitio quidem uera erit, ſed falſa ſumptio. Rurſus quod b nulla parte conuenit, id omni a non conueniet: quandoquidem ſi in a, etiam in b intelligetur. At non intelligebatur. Si igitur c in toto a, & in nullo b dici ſumatur, aſſumptio uera erit, & falſa propoſitio. Quod idẽ fiet, ſi negatio traijciatur. Cum enim id quod nulli a conuenit, ne b quidem ulla ex parte conueniat: ſi c in toto a non intelligi, & b omni ex parte conuenire ſumptum ſit, propoſitio uera erit, & falſa aſſumptio. Rurſus quod omni b conuenit, id nulli a ſumere conuenire, falſum eſt. Neceſſe eſt enim ſi omni b conueniat, a etiam alicui conuenire. Ita ſi c in omni b, & in nullo a conuenire ſumatur, uera aſſumptio erit & propoſitio falſa. Perſpicuum eſt igitur & cum utraq; falſa eſt, & cum altera tantum, captioſam fore concluſionem in iis quorum unum alteri ita conueniat id ut doceri nulla ratione poſſit.

## CAP. XIII.

IN iis autem quæ non ἀτόμως conueniunt, aut non conueniunt cum medium uerbum proprium ad falſam concluſionem ſumitur, utraq; propoſitio falſa eſſe non poteſt, ſed ſola propoſitio. Mediũ autem uerbum proprium uoco id, quod ad repugnantiæ concluſionem ſumitur. Sit poſitum a in b adhibito ſumptóq; b intelligi: profectò quoniam neceſſe eſt ſi ſequatur concluſio aſſumptionem aientem ſumere, hæc ipſa uera ſemper futura eſt (neq; enim reciprocatur) & falſa propo-

*ſitio. Hoc enim conuerſo uerborum ordine contraria ratiocinatio efficitur. Quod idem continget, ſi ex alia coniugatione medium uerbum, ut d ſumatur, & in toto a, & in omni b intelligatur. Cum enim aſſumptio eadem manere debeat, conuertiq; propoſitio, una ſemper uera erit & falſa ſemper altera. Ac ferè huiuſmodi captio nihil ab ea differt, quæ medio uerbo proprio inducitur. Si autem non proprium uerbum medium ad concluſionem ſumitur, quoties medium ipſum uerbum ſub a ſubiectum eſt, & nulli b conuenit, utraq; falſa ſit neceſſe eſt. Sumendæ enim ſunt contrà quàm collocatio uerborum patitur, ſi concluſio ſequi debeat. Sic autem ſi ſumantur utraq; falſa erit. ut ſi, exempli cauſa, a omni d conueniat, & d in b nulla ex parte intelligatur: earum conuerſo ordine, & concluſio ſequetur & propoſitiones falſæ erunt. Cum uero medium uerbum ut d ſub a ſubiectum non eſt, propoſitio uera, & falſa erit aſſumptio. illa quidem uera, quòd poſitum eſt d in a non dici: hæc autem falſa. quòd ſi eſſet uera, uera etiam eſſet concluſio. At falſa erat. Quòd ſi in media forma captio ortum habeat fieri non poteſt ut omni ex parte tum propoſitio falſa ſit, tum aſſumptio. Cum enim b ſub a ſubiectum eſt, nihil quemadmodum antè dictum eſt, uni omni alteri nulla ex parte poteſt conuenire. Altera autem idq; alterutra falſa eſſe poteſt. Nam c & in a & in b dicatur, ſumatur autem in a intelligi, & in b non intelligi, proportio uera, & falſa erit aſſumptio. Rurſus ſi c in b ſumatur intelligi, & in nullo a dici, ſumptio uera erit, falſa propoſitio. Ac ſi negans ſit captioſa concluſio, nos quando & quibus ex cauſis captio exiſtat diximus. Si autem ſit aiens, quoties ad eam medium proprium ſumitur, utraq; propoſitio falſa eſſe nullo modo poteſt. Nam quoniam neceſſe eſt id, quod antè dixi, aſſumptionem eandem manere, ſi modo concluſionem ſequi*





*uelimus, propoſitio ſemper falſa erit, quippe quæ conuerti debeat. Idem fiet, ſi medium uerbum ex alio ordine ſumatur, quemadmodum ſupra dictum eſt cum de negante captione diceremus. Neceſſe eſt enim aſſumptionem manere conuertiq; propoſitionem. atque hæc eadem eſt quæ ſuperior, captio. Cum porrò ad concluſionem non proprium medium uerbum ſumitur, ſi d ſub a ſubiectum eſt, hæc quidem uera erit, & falſa aſſumptio. Fieri enim poteſt ut a pluribus quorum alia alijs non contineantur, conueniat. Cum uerò d non eam quam dixi ad a rationem habebit, perſpicuum eſt hanc ipſam falſam fore, quandoquidem aiens ſumitur. Aſſumptio autem tum uera tum falſa eſſe poteſt. Nihil enim prohibet, a in d nulla, d autem in b omni ex parte in totúmque dici. quomodo affectum eſt animal ad muſicum, & ad ſcientiam muſica. nec rurſus quicquam prohibet tum a & nulli d, tum d nulli b, conuenire. Ex quo perſpicuum eſt, cum medium uerbum ſub a ſubiectum non eſt, & utramque propoſitionem falſam eſſe, & alteram utramlibet. Perſpicuum eſt igitur quot modis & ex quibus captiones in ratiocinationibus poßint exiſtere, ſiue ea nobis proponamus quæ demonſtrari doceriq; non poßint, ſiue quæ poßint.*

## CAP. XIIII.

*Perſpicuum illud etiam eſt, ſi quis ſenſus abſit, aliquam etiam cognitionem ſcientiam quæ abfuiſſe, quæ percipi non poßit, ſi modo aut inductione, aut demonſtratione diſcamus. Peruenit autem demonſtratio quò uult ex rebus uniuerſis, inductio uerò ex ſingulis. Fieri autem non poteſt, ut res uniuerſas cognitas habeamus, niſi inductione: quandoquidem ea quæ ex abducendo animo à rebus, quæ ſub ſenſum cadunt dicuntur, erunt cognita inductione etiam ſi quis uelit perſpicua facere, propterea quòd in-*

ſint in quoq; genere quædam, etſi non ſunt ſeparabilia, quia tale ſit. At quodq; inducere non poſſunt, qui ſenſum non habent. Rerum enim ſingularum ſenſus eſt. Neq; enim comprehendi ſcientia poſſunt. Quandoquidem nec ex rebus uniuerſis ſine inductione, nec inductione ſine ſenſu res cognoſci ullo modo poſſunt.

CAP. XV.

OMnis autem ratiocinatio tribus uerbis conficitur: atq; una doceri poteſt a in c conuenire, propterea quòd in b conueniat, & hoc in c intelligatur. Negans autem dicitur ea, quæ duabus propoſitionibus conſtat, quarum altera aliquid aliud alij conuenire enuntiatur, altera autem non conuenire: perſpicuum eſt quidem, has ipſas in ijs habendas eſſe, quæ principia & hypotheſes nominantur. Ita enim deniq; neceſſario docemus ac demonſtramus, ſi hæc ſumpſerimus, exempli gratia, a ſumpto ad id c medio uerbo, in b intelligi: rurſus a in b dici alio ſumpto medio uerbo, & b in c eodem modo. Ac ijs quidem qui ad opinionem ſcilicet omnem ſuam orationem & argumentationem dirigunt, & tantum dialecticè ratiocinantur, perſpicuum eſt hoc unum uidendum eſſe, an ratiocinatio ex ijs progrediatur, quæ quàm poſſunt maximè probabilia ſint. Itaq; ſi quod reuera medium uerbum eſt horum duorum a b, & id putat non eſſe is qui per illud ipſum ratiocinationem tractat, dialecticè probabiliterq; concluſit. Iis autem qui ad ueritatem, danda opera eſt ut ex ijs quæ conueniunt, ratiocinatio perueniat quò uult. Quod ita eſt, quandoquidem eſt quod ipſum de alio dicitur non per aliud: dico autem non per aliud, ut illud album dicimus interdum hominem eſſe nec eodem modo, quo etiam hominem album eſſe dicimus. hoc enim cum non ſit aliud album eſt: illud autem album, quòd accidit ut homo albus eſſet. Sunt igitur quædam quæ per ſe ipſa dicuntur. Sit ergo



ergo c huius generis quod ipſum iam nulli alij conueniat, atq; huic b primo, nec ſit aliud quicquam interiectum: & rurſus e in f intelligatur eodem modo, & hoc in b, utrum in eo neceſſe ſit inſiſtere, an progredi poßimus in infinitum, quæſtio eſt. Ac rurſus quæſtio eſt ſi in a nihil per ſe dicatur, & a b primò conueniat, medium autem uerbum nulli priori, & h in g atq; hoc in b intelligatur, utrum in hoc neceſſe ſit inſiſtere, an hic etiam regredi liceat in infinitum. Inter hanc autem quæſtionem & ſuperiorem, hoc tantum intereſt, quòd in ſuperiore hoc quæritur, fierine poßit, ut initio ſumpto a b eiuſmodi, quod alij nulli, ſed illi aliud conueniat, progrediamur in infinitum: in altera autem num ſi ab huiuſmodi incipiamus, quod idem in alio, in illo nihil dicatur, liceat nobis in infinitum regredi ac deſcendere. Præterea hoc etiam quæri licet, an ſi certus ſit & finitus uerborum extremorum numerus, mediarum incertus infinitúſq; eſſe poßit. ut ſi exempli gratia a in c intelligatur, eorúmq; ſit b medium uerbum, ſintq; & b & a uerborũ alia, horúmq; etiam alia, an hæc in infinitum progredi, nécne poßint? Hæc autem quæſtio idem ualet quod illa, an demonſtrationes in infinitum progredi poßint, & num demonſtrationum infinitus ſit numerus, an aliæ alijs uiciſsim ultro citróq; concludantur. Quæ mea oratio etiam ad ratiocinationes & propoſitiones negantes pertinet, ueluti ſi a nulli b conueniat, aut primò, ſitne aliquod interiectum uerbum, in quo priore dicatur. Vt ſi g quod omni b conueniat, rurſúſq; hoc aliud prius, ueluti h, quod in g toto intelligitur. Etenim in his aut infinitus eſt eorum numerus, quibus prioribus non conueniant, aut certe inſiſtitur. Eorum autem quæ reciprocantur, alia ratio eſt. Non eſt enim in ijs quæ reciprocantur de quo aliud primo aut extremo dicatur. Præſertim cum omnia inter ſe eodem modo hac quidem ex parte affecta ſint, ſiue ſit infinitus nu-

merus eorum quæ per ſe dicuntur, ſiue utriuſq; numerus ſit incertus eorum quæ in diſputationem noſtram inciderunt: niſi forte non eodem modo reciprocari poßint, ſed unum ut accidens, alterum ut prædicatum.

## CAP. XVI.

AC illud quidem perſpicuum eſt mediorum infinitum numerum eſſe non poſſe, ſi & ſuprà & infrà prædicata inſiſtant. Dico autem ſuprà, prædicatum quod ad magis uniuerſa progrediatur, infrà autem, id quod ad inferiorem & anguſtiorem partem formámq; deueniat. Si enim ipſius a quod in f dicatur, infinita eſſent uerba media, in quibus b eſſet: profectò fieri poſſet, ut etiam ab a infra progrediendo alterum in altero ſine fine diceretur. Antequàm enim ad f perueniretur, media uerba innumerabilia eſſent, & ab f ſupra conſcendendo infinita antequàm ad a uentum foret. Quæ ſi fieri non poſſunt, profectò & a & f media uerba infinita eſſe non poſſunt. Nihil enim intereſt, dicátne aliquis hæc a b c cohærentia eſſe inter ſe ut ne ſint media, alia autem non poſſe ſumi. Quicquid enim ſub b ſubiectum ſumã, id medium erit a, medium f, ſiue ſint, ſiue non ſint media infinita, nihilq; refert à quo primum infinita ſumantur, ſiue id fiat continuo ſiue non cõtinuo, quippe cum ea ſint innumerabilia quæ hæc ſequũtur.

## CAP. XVII.

PErſpicuum etiam eſt inſiſtendum eſſe in negante demonſtratione, ſi modo in aiente utraq; ex parte ſit inſtitutio. Sit enim poſitum, non poſſe fieri progreſſum in infinitum nec ſurſum uerſus ab extremo, (extremum autem uoco id, quod ipſum quidem alij nulli, illi autem aliud ut f conuenit) neq; à primo ad extremum: primum autem id appello, quod ipſum in alio, aliud autem in eo nullum dicitur. His ita poſitis, perſpicuum eſt inſiſtendum eſſe etiam in negantibus. Nam cum tribus modis aliquid non conuenire doceatur, primò, cui c, ei b omni, cui autem b, ei a nulli conuenit: horum quidem duorum b c: idq; ſemper alterius interualli in ea quæ medium uerbum nullum habent, ueniatur neceſſe eſt: quippe cum interuallum hoc ſit aiens. Alterum autem perſpicuum eſt, ſi in alio ut in d quod latius pateat non dicatur, hoc neceſſe eſſe omni b conuenire: ac ſi rurſum alij quod latius manet quàm d, non conueniat, illud oportebit in d omni ex parte in totúmq; dici. Ita quoniam uis eius quæ fert ad inferiora finis eſt, & eius quæ ſurſum fert, erit finis, eritq; aliquid cui primò non conueniet. Rurſus ſi b omni a & nulli c conuenit, a etiam nulli c conuenit. Iam ſi hoc docendum eſt, perſpicuum eſt, id faciundum eſſe aut ſuperiore modo, aut hoc, aut tertio. Ac primus quidem quis ſit dictum eſt. Secundus age doceatur. Docebitur autem hoc modo, ut d in b toto, & in nullo c intelligi, ſi neceſſe ſit aliquid b conuenire, & rurſus ſi hoc in c minime dicatur, aliud in d intelligetur quod c non conuenit. Ita quoniam ſuprà conueniendi finis eſt, etiam non conueniendi erit. tertium autem genus erat tale, ſi a omni b conuenit, & c in eo non dicitur, non omni c conuenit, cui a conueniat. Quod rurſus uel ijs modis quos ſupra expoſuimus, uel ſimili modo docebitur: illo quidem modo progrediendi finis eſt. Si uerò hoc modo, rurſus ſumetur b in e dici, cui non omni c conueniat, & hoc rurſus eodem modo. Quoniam autem poſitum eſt etiam inſiſtendum eſſe infrà, perſpicuum eſt finem progrediendi faciendum eſſe in c, quod non conuenit. Perſpicuum eſt etiam, cum nõ una uia & ratione aliquid demonſtratur, ſed omnibus, aliàs tractato argumento per primam formam diſpoſitionis, aliàs per ſecundam, aut tertiam, hoc etiam modo finem futurum. Cum enim uiæ finitæ ſint, quæ finita ſunt finitis modis neceſſe eſt finita eſſe omnia. Hoc igitur perſpicuum eſt, in negatione finem faciundum eſſe progrediendi in demonſtrando, ſi modo inſiſtendum ſit in aientibus.

CAP. XVIII.

IN illis autem finem faciendum eſſe, argumentis è media dialectica petitis perſpici licet hoc modo. Ac in ijs quidem quæ in rei natura dicuntur, perſpicuum eſt. Si enim definire licet, aut ſi rei natura cognita eſt, & ea quæ infinita ſunt decurri nequeunt, ea quæ in rei natura dicuntur, finita ſint neceſſe eſt. De quo ſummatim dicamus hoc modo: Verè enim licet dicere, id quod album eſt ambulare, & illud quod magnum eſt, eſſe lignum: & rurſus lignum magnum eſſe, & hominem ambulare. Aliud quidem eſt hoc, aliud illo modo dicere. Cum enim id quod album eſt lignum eſſe dico, hoc dico, id cui accidit ut ſit album, lignum eſſe, non ſubiectum eſſe ei quod album eſt, lignum. Etenim nec cum nigrum erat, nec cum nigrum aliquid, lignum factum eſt. Ita non eſt niſi fortuitu & per aliud. Cum uerò lignum album eſſe dico, non hoc dico, aliud quippiam eſſe id quod eſt album, & illi album eſſe contigiſſe. (Veluti cum muſicum album eſſe dico, hoc dico, hominem album eſſe, cui muſicum eſſe contigerit.) ſed lignum ſubiectum eſſe, quod etiam factum ſit, non cum aliquid aliud eſſet, niſi id quod lignum, aut aliquod lignum. Quòd ſi quid lege ſanciendum eſt, ſit hoc modo loqui, dici: illo autem modo, aut nullo modo dici, aut dici quidem non omnino, ſed impropriè dici. Sit autem poſitum id quod album eſt id eſſe quod dicitur, lignum autem id de quo aliud dicitur. Atq; illud poſitum ſit, id quod dicatur, ſemper in eo in quo dicatur dici omnino, non impropriè. Sic enim aliquid demonſtratione concluditur, ut uel in natura & eſſentia, uel in qualitate, uel in quantitate, uel in ijs quæ cum aliquo conferuntur, uel in faciendo, uel in patiendo & accipiendo, uel in loco, uel in tempore aliquid de aliquo dicatur. Præterea quæ naturam & ſubſtantiam ſignificant, idem quod



quod illud, aut quod illud aliquid de quo dicitur, indicat. Quæ autem naturam rei non ſignificant, ſed de alio ſubiecto dicuntur quod non eſt, nec idem quod illud, nec id quod illud aliquid declarant, ea accidentia uocantur, ut de homine albi uerbum dicitur. Neque enim homo eſt idem quod albus, nec idem quod albus aliquis, ſed animal certe. Homo enim eſt id quod animal. Quæ autem naturam rei non ſignificant, ea de ſubiecto aliquo dici debent, nec eſſe aliquid: exempli gratia, album quod nec aliud quid ſit & tamen ſit album. Valeant enim ſpecies, monſtra enim ſunt, & ſi ſint, nihil ad hũc ſermonem: quippe cum in ijs uerſentur demonſtrationes. Iam uerò ſi hoc illius non eſt qualitas, & illud huius, nec qualitatis qualitas eſt: fieri non poteſt, ut hoc modo uiciſſim hæc alia in alijs dicantur. ſed ut uere dici poſſint, at certè uerè dici non poſſunt reciprocari. Nam aut ut eſſentia dicetur, ut ſi genus ſit: uel differentia eius quod dicitur. Atqui docuimus hæc infinita eſſe non poſſe, nec ſi ſupera, nec ſi infera petamus. Veluti homo bipes, hoc animal eſt, hoc aliud, nec animal de homine, hic autem de Callia, & hic de alio. Omnis enim eſſentia & natura eiuſmodi definiri poteſt. Quæ autem infinita ſunt, ea non licet intelligentem decurrere. Ita nec ſuperiora, nec inferiora petentibus infinita uidebuntur. Eam enim naturam definire non licet, cui infinita tribuantur. Vt genera quidem certè non alia in alijs ultro citróque dicentur. Id enim quod ipſum eſt, idem quod ipſum quid ualebit: nec uerò qualitates, aut aliarum categoriarum quicquam, niſi forte caſu & impropriè dicetur. Hæc enim omnia acciderunt, & de naturis eſſentiíſque dicuntur. Neque uerò ad ſuperiora progrediendo infinita erunt. Nam in quoque dicitur quicquid ſignificat, aut quale quid, aut quantum quid, aut aliquid tale, aut ea quæ in rei natura reperi-

*untur. Hæc autem finita ſunt omnia, & categoriarum genera finita ſunt, quippe cum aut qualitatem, aut quantitatem, aut comparationem, aut facere, aut pati, aut in loco eſſe, aut in tempore declarent, poſitum eſt autem unum aliquid de uno dici. Quæ non naturam ſignificent, ea alia in alijs non dici, quoniam hæc ſunt accidentia omnia. Sed alia per ſe dicuntur, alia alio modo. Hæc autem omnia de ſubiecto aliquo dici uolumus, & ſubiectum ullum accidens negamus eſſe. Nullum enim horum ponimus eſſe id quod nec aliud quid eſt, & dicitur quod dicitur, ſed ipſum in alio, & alia quædam in alio dicuntur. Nec igitur ſuperiora nec inferiora petentes infinita inuenirent. Nam de quibus accidentia dicuntur, ea omnia in natura cuiuſque reperiuntur, quorum non eſt infinitus numerus. Surſum autem uerſus hæc ipſa atque accidentia infinita non ſunt. Neceſſe eſt igitur eſſe aliquid de quo primum aliud dicatur, & de hoc aliud, atque in eo finem modúmque ſtatuendum, eſſéque aliquid quod nec iam de alio priore nec de illo aliud ſuperiúſque prius dicatur. Atque hoc quidem genus unum demonſtrationis dicitur. Alterum autem eſt huiuſmodi. Si eorum, in quibus alia priora quædam dicuntur, demonſtratio eſt, quorum autem demonſtratio eſt, ijs melius quàm ſcientia affici nemo poteſt, nec ſcientia ſine demonſtratione comparari poteſt: quòd ſi hoc ex ijs quæ notiora ſunt, hæc autem neſcimus nec in ijs melius affecti ſumus quàm ſcientia, nec id quod ex ijs notum eſt ſciemus. Si igitur aliquid omnino adhibita demonſtratione ſciri poteſt, nec alio ſumpto, nec ex hypotheſi, certè in ijs quæ media dicuntur, inſiſtatur neceſſe eſt. Si enim in eis minimè inſiſtatur, ſumptóque eo quod ſuprà eſt progredi licet, omnium rerum erit demonſtratio. ita ſi ea quæ infinita ſunt decurri non poſſunt, profecto ea quorum eſt demonſtratio, demonſtratione non ſciemus. Quòd ſi melius in ijs ſcientia affici non poſſumus, non omni-*

no



*no, ſed ex hypotheſi & quadam ex parte demonſtratione ſciri quicquam poteſt. At logicis quidem his rationibus licebit quem uolemus adducere ut credat quod diximus. Ex iudicandi autem arte has eáſque breuiores ſumamus licet. Eorum quæ dicuntur, nec ſupra, nec infra, numerus infinitus in artibus quæ demonſtrationem adhibent, eſſe poteſt, eorum in quibus tota cauſa uerſatur. Demonſtratio enim eorum eſt quæ per ſe rebus ipſis conueniunt. Per ſe autem conueniunt duobus modis. Nam & quæ in eorum definitione quæ rei naturam explicat continentur, & ea quæ in illis cum rei natura inueſtigatur, dicuntur. Veluti numero impar conuenit, quod numero conuenit, & numerus ipſe in illius definitione continetur. Et rurſus multitudo, aut quod diuidi poteſt, in numeri definitione collocatur: quorum neutrum infinitum eſſe poteſt, nec uero ut impar numerus. Rurſus enim in alio impari comprehenderetur, cui ſic conueniet, ut in eo etiam ille intelligatur. Quod ſi fiat, primum numerus ei qui ipſi conueniunt, conueniet. Quòd ſi uni infinitus talium numerus conuenire non poteſt, ne ſuprà quidem infinita erunt. Atqui neceſſe eſt hæc omnia ei quod primum eſt in ſuo genere, ut numero, & illis numerum conuenire. Ita reciproca erunt non ſuperiora, neque patebunt latius. Nec eorum etiam quæ in rei natura inſunt, infinitus eſt numerus. Neque enim eſſet definitioni locus. Ex quo perſpicuum eſt, ſi ea quæ per ſe dicuntur omnia quæ definitio complectitur, dicuntur, nec ea infinita ſunt, inſiſti ſuprà oportere. Et infrà igitur. Quod ſi ita eſt, ea etiam quæ in duorum extremorum medio locata ſunt, finita ſint neceſſe eſt. Quæ cum ita ſint, hoc iam confectum eſt, & demonſtrationum principia eſſe oportere, & non omnium eſſe demonſtrationem. qua in ſententia initio nonnullos eſſe diximus. Si enim principia ſunt, nec demonſtrari omnia poſſunt, nec in infinitum progredi. Eſſe*

enim

*enim eorum quoduis tale, eſt aliud nihil, niſi propoſitionem eſſe nullam quæ non ratione doceri explicarique poſsit, ſed omnes explicari poſſe, enodationiſque indigere. Quicquid enim demonſtratur, hoc ipſo docetur, quòd extremum adijcitur, non aſſumitur. Ita ſi hoc infinitè fieri poſſet, infinita duorum extremorum media eſſe poſſent, quod fieri non poteſt, ſi in categorijs & ſuprà & infrà inſiſtitur. Siſti autem & logicis ſuprà, & analyticis rationibus, modo demonſtratum eſt.*

CAP. XIX.

*Quibus demonſtratis, hoc perſpicuum eſt, ſi quid in duobus ueluti a & in c & in d intelligatur, ita tamen ut alterum de altero, aut ullo modo, aut omni ex parte non dicatur, non ſemper aliquo quaſi nodo communi conuenire. Vt ei figuræ quæ paribus eſt cruribus, & ſcaleno duobus rectis pares habere, quadam ſocietate & communione conuenit. Quatenus enim figuræ ſunt quædam, conuenit, non quatenus aliud ſunt. quod non ſemper ita eſt. Sit enim b quo a & in c & in d dicatur: perſpicuum eſt & b in c, atque in d alio quodam quod utrique ſit commune, & illud alio intelligi. Ita inter duo extrema infinitus extremorum numerus cadet, quod fieri non poteſt. Communi ergo aliquo quaſi nodo conuenire, non neceſſe eſt ſemper idem pluribus, quandoquidem media interualla erunt. In eodem autem genere & ex iiſdem indiuiduis extrema ſint neceſſe eſt, ſi modò eorum quæ per ſe & ui ſua conueniunt erit communio. Neque enim ex alio genere in aliud ea quæ demonſtrantur transferri licet. Illud etiam perſpicuum eſt, cum a in b dicitur, ſi quod medium ſit, doceri poſſe a in b intelligi, eiúſque rei docendæ ea fore tótque principia, quæ ac quot media reperiuntur. Quæ enim medium non habent, nec ratione ulla doceri poſſunt propoſitiones, eæ aut omnes principia ſunt, aut eæ certè quæ ad uniuerſum genus accommodantur. Sin minus, non iam eſt demonſtratio, ſed progreſſus ad principia, ea demum eſt. Idem fiet etiam, ſi a in b minime dicatur. Si enim eſt aut medium uerbum, aut prius cui non conueniat, demonſtratio eſt. Sin minus, non eſt, ſed initia & elementa totidem ſunt, quot extrema. Quæ enim ex iis propoſitiones conſtant, initia ſunt demonſtrationis. Et quemadmodum initia ſunt quædam quæ demonſtrare non poſſunt hoc eſſe illud, aut hoc illi non conuenire: ſic etiam ſunt quibus & hoc illud non eſſe, & hoc illi non conuenire doceatur. Ita alia erunt principia, quæ hoc illud eſſe, alia quæ non eſſe demonſtrent. Cum autem aliquid demonſtrandum eſt, quod in b ut c primum dicitur, id ſumi debet, itémque quod in hoc ut a. Quòd ſi ita ſemper progrediamur, nunquam alieniorem ab a propoſitionem nec quod ei conueniat, ſumemus ad demonſtrandum, ſed ſemper medium crebrius efficitur & quaſi cogitur, quo ad indiuiduum unúmque redatur. Eſt autem unum, cum medij expers efficitur, atque ea demum una propoſitio eſt oratio, quæ medium non habet, nec demonſtrari ratione poteſt. Et quemadmodum in cæteris rebus principium ſimplex eſt, nec ubique idem eſt, unciáque in pondere uocatur, & in cantibus dieſis, in alióque alio nomine appellantur: ſic in ratiocinatione unum, propoſitio eſt ea quæ demonſtrari non poteſt, in demonſtratione autem & ſcientia & intelligentia. Ac in aientibus quidem ratiocinationibus, nihil extra id quod conuenit excurrit. In negantibus autem, quod conuenire debet, nihil extra id excurrit. Veluti ſi a in b ſumpto, c non intelligatur. Si enim c in omni b, a autem in nullo c intelligatur, profectò ita fiet neceſſariò, ut nulli c, a conueniat. Medium uerbum ipſius a c ſumendum eſt, atque hoc*

hoc pacto ſemper progredi licebit. Si autem docendum erit d in e non intelligi, eo quòd c in d omni, in e autem nulla aut non omni ex parte conueniat, nihil extra e egredi licebit. Id'que idem ualet quod cui oportet conuenire. Tertio autem modo, negare tum ei cui negandum ſit, tum id quod negari debeat, nullo modo extra modum finémque excurret.

## CAP. XX.

Cum uerò demonſtratio alia ad uniuerſum genus, alia ad partem accommodetur, quædámque aiat, alia neget, utra melior præſtantiórque ſit quæſtio eſt, quod etiam de ea quæ recta fronte aliquid demonſtrare dicitur, & ea quæ ad incommodum compellit, iudicandum eſt eodem modo. Ac de ea primum quæ de toto genere eſt & quæ de parte uideamus, quod cum explicauerimus, tum & de ea quæ directo ad fidem ſpectat, & de ea quæ incommodo urget, diſſeremus. Ea quidem quæ partis eſt, nonnullis fortaſſe præſtantior uidebitur, qui argumentum ducent hoc modo: Si ea demonſtratio præſtat, qua magis ac certius ſcimus (in hoc enim uis eſt omnis demonſtrationis) magis autem tum quicque ſcimus, cum ipſum per ſe ſcimus, quàm cum per aliud, ut muſicum eſſe Coriſcum, cum eum eſſe Coriſcum, quàm cum hominem muſicum eſſe cognoſcimus, itémq; in alijs rebus, ea autem quæ uniuerſi eſt generis, aliud eſſe, non id ipſum quod quicque eſt, docet eſſe, ueluti eam figuram quæ paribus ſit cruribus, non paribus eſſe cruribus, ſed triangulum eſſe, & ea quæ partis eſt, id ipſum quod quicque eſt: ſi inquam ea anteponenda eſt, quæ per ſe, & in eo genere ea eſt quæ ad partem accommodatur: certe ei quæ in toto genere uerſatur, ea quæ partis eſt; anteponenda eſt. Præterea ſi uniuerſum genus nihil eſt præterquam res ſingulæ, demonſtratio autem opinionem

affer



affert eſſe aliquid id ad quod ſumitur, atque naturam eiuſmodi in ijs quæ ſint ineſſe, ut trianguli in certis quibuſdam, & figuræ in certis quibuſdam, & numeri in certis numeris: præſtantior autem eſt ea quæ de eo quod eſt, quàm quæ de eo quod nuſquam eſt: & ea qua in errorem impellimur, ei anteponenda eſt qua non inducimur: & ea quæ ad uniuerſum genus accommodatur, eiuſmodi eſt, progredientes enim demonſtrant ut de ſimili. ueluti, quicquid ſit tale, eſſe ſimile eiuſdemq; rationis, quod nec linea ſit, neque numerus, neque ſolidum, neque id quod planum eſt, ſed aliquid præter hæc: ſi eiuſmodi eſt ea potius quæ totius generis eſt, & de eo quod eſt minus ea, eſt quæ ad genus quàm quæ ad partem accommodatur, & falſam affert opinionem: profecto deterior ea quæ generis, quàm quæ partis, iudicanda eſt. Ac primum quidem nihil magis in generali, quàm in ſpeciali, alia ratio eſt. Si enim duobus rectis conuenire, non quia figura eſt æquis cruribus, ſed quia triangulum, qui ſciat eſſe figuram paribus cruribus, minus nouit quatenus ipſum eſt, quàm is qui nouit eſſe triangulum. Omninóque ſi non ſit quatenus triangulum, deinde demonſtrat, nunquam erit demonſtratio. Si autem ſit, qui ſciat unamquamque rem ſingularum quatenus quæque ineſt, melius nouit. Si igitur triangulum latius patet, eadémque definitio eſt, nec ambiguum ſit uerbum trianguli, & omni triangulo conuenit duos habere, nunquam triangulum quia figura eſt paribus cruribus, ſed figura paribus cruribus, quia triangulum ſit, eos habet angulos. Ex quo fit, eum qui uniuerſæ & omnino aliquid teneat, magis ſcire aliquid quia conueniat, quàm qui ex parte idem ſciat: præſtantior igitur ea eſt quæ ad totum genus, quàm quæ ad partem accommodatur. Iam uerò ſi qua ſit ratio, non homonymia, certè res uniuerſa non minus erit in rerum natura, quàm nonnullæ res ſingulæ:

ſed

*ſed multo etiam magis ob eam cauſam, quòd res eæ quæ interire non poſſunt, in illis ſunt, res autem ſingulæ magis intereunt. Præterea non eſt neceſſe uniuerſum genus aliquid præter hæc eſſe exiſtimare: quòd unum declarent, non magis quàm in cæteris, quæ non aliquid ſignificant, ſed uel qualitatem, uel collationem, uel facere. Quòd ſi forte ſignificent, non demonſtratio in cauſa eſt, ſed is qui audit. Præterea ſi demonſtratio eſt ratiocinatio uim demonſtrandi habens, quæ cauſa eſt, res autem uniuerſa magis cauſa eſt. (Cui enim quid per ſe conuenit, id eius eſt cauſa.) & res uniuerſa prima eſt, cauſa eſt res uniuerſa. Ex quo etiam efficitur demonſtrationem eius eſſe anteponendam, quòd magis ſit cauſæ. Præterea ad illud uſque tempus cauſam rei quærimus, túmque nos ſcire putamus, cum nihil eſt quod aut ſit præter hoc aliud: finis enim ultimus atque extremum iam ita eſt. Veluti exempli cauſa, cur uenit? Vt argentum accipiat, hoc autem ut reddat, quod debebat, hoc uerò facit, ut ne iniuriam faciat, atque ita progredientes, cum iam non propter aliud, nec alius cauſa, ob eam cauſam ad finem & exitum uentum eſſe dicimus, itémque eſſe, ac fieri, ac tum denique ſcire nos cur tandem uenerit. Si igitur ſimilis eſt omnium cauſarum ratio, earum etiam eſt quibus cur quicque factum ſit quæritur. Atqui in ijs omnibus, quæ ita cauſæ ſunt, ut qua de cauſa factum ſit quæritur, hoc modo ſcimus maxime. In cæteris etiam igitur tum ſcimus maxime, cum iam non extat id, quod propter aliud fieri dicitur. Cum ergo hoc cognitum habemus, eſſe figuram paribus cruribus quòd quatuor exteriores lineæ pares ſint, iam relinquitur, cur ſit paribus cruribus, quia ſit triangulum, atque hoc quia ſit lineis rectis delineatum. Quòd ſi iam non propter aliud, tum maximè ſcimus, ac generali ſcientia. Ex quo efficitur eam*

quæ



*quæ uniuerſi generis ſit, eſſe anteponendam. Iam quo quicq; ſpecialius eſt, & magis ad partem accommodatur, eò eſt infinitius, & quatenus ad genus accommodatur, eatenus ſimplex & finitum eſt. Quatenus autem infinitum eſt, non cadit ſub ſcientiam, & quatenus finitum eſt, ſcientia comprehenditur. Quatenus igitur generale eſt & uniuerſum, omne magis ſub ſcientiam cadit, quàm id quod ad partem accommodatur. Cadunt igitur ſub demonſtrationem magis ea quæ ad genus uniuerſum pertinent: atqui eorum quæ magis ſub ſcientiam cadunt, potius demonſtratio eſt, ſimul enim ſunt magis ea quæ cum aliquo conferuntur, generalis igitur præſtantior eſt, quandoquidem potius demonſtrationis nomen obtinet. Præterea ſi anteponenda eſt ea, qua & hoc & aliud, ei qua hoc ſolum ſcimus: & is qui uniuerſum genus tenet, partem etiam ſcientia comprehendit, qui autem id quod ad partem accommodatur, tenet, totum non nouit: efficitur eam hac etiam ex parte eſſe anteponendam. Quod etiam doceri poteſt hoc modo: Omnino enim magis ſcire aliud nihil eſt, niſi demonſtrare ac docere aliquid ea ratione & quaſi medio quod principium ſit uicinius. Quod autem nulla ratione doceri poteſt, id illi eſt uicinũ maximè, quo in genere eſt principium. Si igitur ea demonſtratio certior eſt quæ ex principio peruenit quò uult, ea quæ non ex principio: profectò ea etiam certior eſt quæ magis ex principio, ea quæ minus ex principio progreditur. Ea autem quæ generis eſt, magis eſt eiuſmodi, ea igitur anteponenda eſt. Veluti ſi demonſtrandum ſit a in d dici, ad quod ſumenda ſint b & c media, latius quidem a patet: ita ea ad quam a ſumetur erit generalior. Quanquam autem earum rationum quas attulimus, nonnullæ ex logica petitæ ſunt, tamen ex hoc perſpici licet anteponendam eſſe eam quæ ad uniuerſum genus adhibeatur, quòd cum ex propoſitionibus priorem teneat=*

r

mus,ſcimus etiam poſteriorem quodammodo,atque,ut ita dicam, poteſtate tenemus. Vt ſi quis nouit omne triangulum duobus rectis tres pares lineas habere,idem etiam ſcit quodammodo (etiam ſi ignoret) figuram paribus cruribus eſſe triangulum. Qui autem hanc propoſitionem teneat,uniuerſum genus nullo modo nouit,nec poteſtate,nec reipſa & actu. Et generalis omnis ratione & intelligentia percipitur, ſpecialis autem ſub ſenſum cadit. Ac generalem quidem ſpeciali anteponendam eſſe,hactenus.

CAP. XXI.

EAm autem quæ ait, ei quæ negat anteponendam eſſe, hinc perſpici poteſt:Sit enim ea demonſtratio præſtantior,ſi cætera ſint paria,quæ ex paucioribus ſiue poſtulatis, ſiue hypotheſibus,ſiue propoſitionibus conſtat: Si æquè notæ ſint, profectò celerior cognitio ex his percipietur. Atqui hoc ipſum anteponendum eſt.Demonſtrationem autem eam quæ ex paucioribus conſtat, anteponendam eſſe hac ratione doceri poteſt.Si enim media ſint æquè nota,certè priora notiora erunt.Sit demonſtrandum a in e dici,ad quod ſumenda ſint b c d media:ſit etiam demonſtrandum his medijs uerbis,f g a in d intelligi,eodémq; modo a in e,& a in d intelligitur:atqui a in d intelligi prius & notius eſt quàm a in e,propterea quòd hoc ad illud ſumitur,& id quod ad aliud ſumitur, plus ualet ad faciendam fidem: demonſtratio igitur quæ paucioribus conficitur eſt cæteris anteponenda, ut cætera etiam paria ſint.Ac utraque tribus uerbis duabúſque propoſitionibus conſtat,ſed hæc eſſe aliquid ſumit,illa & eſſe quid & non eſſe,ex pluribus igitur:ex quo efficitur,eam deteriorem eſſe. Præterea, quoniam demonſtratum eſt, ſi utraque propoſitio negans ſit,non poſſe concluſionem ſequi, ſed unam eius generis eſſe oportere, alteram aientem, & præterea hoc ad illud ſumendum eſt. Nam cum earum quæ aiunt,

aiunt,



aiunt,ſi demonſtratio augeatur, neceſſario augeatur numerus,tamen negantes una plures in omni ratiocinatione eſſe non poſſunt. Sit enim poſitum b nulli a,& omni c b conuenire:profectò ſi augeri etiam propoſitiones oporteat,medium uerbum,ueluti inter a & b,& e inter b & c interijciendum erit. Atqui perſpicuum eſt e aiens eſſe, b autem ad b quidem aiens,ad a autem negans ſumitur. Nam & d omni b & a nulli d conuenire debet. Ita negans propoſitio una efficitur. Eadem etiam ratio eſt aliarum ratiocinationum. Semper enim medium uerbum extremorum aientium, aiens ad utrumque ſumitur, in negante autem ratiocinatione ad alterutrum negans ſumendum eſt:Ita fit ut una hæc eius generis propoſitio relinquatur,aientes autem cæteræ. Quod ſi notius & credibilius id omne eſt quod ad aliud ſumitur, negans autem aiente docetur, non aiens negante profectò ea quæ & prior eſt & notior,anteponatur neceſſe eſt. Præterea ſi ratiocinationis principium eſt propoſitio uniuerſa quæ ratione concludi non poteſt, éſtque aiens in ratiocinatione aiente,& in negante negans,uniuerſa generaliſque propoſitio.& aiens negante tum prior eſt,tum notior (negatio enim ex affirmatione cognoſcitur) & prior eſt affirmatio, quemadmodum prius eſt eſſe quàm non eſſe: certe principium aientis plus ualet ad faciendam fidem. Quæ autem principijs præſtantioribus utitur,ea anteponenda eſt: præterea principij magis uim obtinet. Neque enim ſine aiente eſſe negans poteſt.

CAP. XXII.

QVoniámq; aiens neganti anteponenda eſt, perſpicuum eſt eam etiam illi,quæ ad incommodum impellit, eſſe anteponendam.Sed intelligendum eſt quæ earum ſit diſtinctio. poſitum quidem ſit a b nulli,& b omni c conuenire, profecto a nulli c conueniat neceſſe eſt.Atq; hoc quidem mo-

do collocatum ſumptiſq; uocabulis, demonſtratio negãs erit, qua a nulli c conuenire docebitur. Ea autem quæ ad incommodum adigit, ita habet. Si demonſtrandum ſit a nulli b conuenire, id ſumendum eſt conuenire, & b in c intelligi, ita efficitur a in c dici, quod quidem fieri non poſſe, & notum ſit & conceſſum. Non igitur poteſt a in b intelligi. Si igitur b in c dici conceditur, fieri non poteſt ut a in b intelligatur. Ac uerborum quidem ſimilis collocatio & ordo eſt. Intereſt autem utra propoſitio negans notior ſit, eáne qua ſignificatur a in b, an ea qua a in c non intelligi. Ac cum notior eſt concluſio quæ non conuenire declarat, demonſtratio incommodi uocatur. Cum autem eſt in ratiocinatione, tum ea eſt qua directò aliquid docetur. Naturæ autem ordine prior ea eſt quæ a in b dici, quàm ea quæ a in c non dici explicat: priora enim cõcluſione ſunt ea ex quibus cõcluſio efficitur. Eſt autem ea quæ a in c non intelligi ſignificat concluſio, quæ autem a in b dici explicat, id ex quo efficitur concluſio. Non enim ſi quid forte refellatur, id concluſio eſt, & illa ea ex quibus concluſio ſequatur: ſed eius ex quo efficitur concluſio, ea natura eſt, ut uel totius ad partẽ, uel partis ad totum rationem habeat. Atqui a b & a c propoſitiones non ita inter ſe affectæ ſunt. Quòd ſi ea plus ad faciendam fidem ualet, quæ ex notioribus prioribúſq; progreditur, utraque autem demonſtratio ex negatione peruenit quò uult, ita tamen ut una ex eo quod prius eſt, altera ex eo quod poſterius, certè ei quæ ad incommodum compellit, ea negans quæ directò docet anteponatur neceſſe eſt. Ex quo efficitur, ſi hac plus pollet aiens, illam etiam plus ualere ea quæ compellit ad incommodum.

CAP. XXIII.

Certior autem & prior ſcientia alia eſt alia multis modis. primò ea quæ eadem & rem eſſe docet, & eius cauſam


ſam explicat, ut ſine altero non intelligatur. Secundo ea quæ non in ſubiecta re aliqua uerſatur, quàm ea quæ rem certam ſibi propoſitam habent: ut arithmetica quàm muſica. Tum ea quæ ex paucioribus exiſtit, quàm ea quæ aliquid adiunctum habet. ut arithmetica certior eſt quàm geometria. dico autem ex adiunctione, cuiuſmodi eſt unio quæ conſtat ſine ſitu: punctum autem ſitum deſyderat, quod dico ex adiunctione. Vna autem ſcientia eſt, quæ unius eſt generis eorum quæ ex principijs conſtant, eorúmque partes ſunt propriæ affectiones. Diuerſæ uerò ſcientiæ ſunt eæ, quarum principia nec ex iiſdem, nec ex alijs alia ducuntur. Quod tum denique perſpicitur, cum ad ea uentum eſt quæ demonſtrari non queunt. Ea enim eſſe debent eiuſdem generis, cuius ea quæ demonſtrata ſunt. Quod etiam intelligitur, cum ea ad quæ ſumuntur in eodem ſunt genere, & cognata ſunt. Eiuſdem autem plures demonſtrationes eſſe poſſunt, non ſolum ut ſumamus ex eodem non cohærens uerbum medium, ueluti ſi horum duorum a b, hæc tria uerba c d g ſumamus, uerumetiam ex alio ordine. ut ſi poſitum ſit a idem ualere quod mutari, & d idem quod moueri, & b idem quod uoluptate affici, rurſusq; f idem quod quieſcere: profectò uerum eſt & d in b, & a in d dici. qui enim uoluptate afficitur, mouetur: & quod mouetur, mutatur. rurſus uerum eſt a in f & f in b intelligi. Omnis enim qui uoluptatem percipit, quieſcit: & qui quieſcit, mutatur. ex quo perſpicitur, ex alijs & diuerſis uerbis quæ medium locum obtineant, non etiam eiuſdem coniugationis ac ordinis conſtare ratiocinationem. Non ita tamen, ut neutrum de altero medio uerbo dicatur, quippe cum neceſſe ſit utrumque alicui eidem conuenire. In alijs etiam diſponendorum argumentorum formis uidere poſſumus quot modis eiuſdem poſſit eſſe ratiocinatio.

## CAP. XXIIII.

EIus autem quod caſu, fortè, temerè fit, non eſt quæ ex demonſtratione comprehendatur, ſcientia. Nam id quod caſu euenit, nec neceſſario fit, nec plerumque, ſed alio modo, cum alterius horum ſit demonſtratio. Omnis enim ratiocinatio uel ex neceſſarijs propoſitionibus, uel ex ijs quæ plerumque quid euenire declarant, peruenit quò uult. Ac ſi propoſitiones neceſſariæ ſint, neceſſaria etiam erit concluſio. Si autem id ſignificent quod plerumque fit, concluſio etiam erit generis eiuſdem. Ita ſi id quod caſu fit, nec plerumque fit nec neceſſario, nunquam eius demonſtratio poteſt eſſe. Nec uerò in ſenſu ſedes ſcientiæ eſt. Nam ut ſenſus ſit talis rei non etiam huius alicuius, at certè ſub ſenſum cadere hoc aliquid, & hoc loco, & hoc tempore neceſſe eſt. Quod autem uniuerſum eſt in omnibúſque cernitur, id ſenſu percipi non poteſt. neque enim hoc, neque hoc tempore: non enim generale uniuerſumq́; eſſet: præſertim cum id uniuerſum totúmque dicamus, quod ſemper & ubiq; eſt. Quoniam igitur demonſtrationes ad uniuerſum genus accommodãtur, ídque ſenſum fugit, profectò ſcientia ſub ſenſum non cadat neceſſe eſt. Quinetiam hoc perſpicuum eſt, nos ſi ſenſu percipi poſſet triangulum duobus rectis pares angulos habere, quæſituros eſſe demonſtrationem, non, ut aiunt nonnulli, ſcientia id comprehenſuros. Res enim ſingulas neceſſe eſt ſub ſenſum cadere, cum ſcientia in rei uniuerſæ cognitione conſiſtat. Itaque ſi in lunæ globo habitaremus, cognitámque haberemus terram interiectam, nunquam tamen defectionis cauſam perſpectam cognitámque haberemus. Senſu enim lunam deficere perciperemus, non eius cauſam omnino: quippe cum rei uniuerſæ non ſit ſenſus proprius. Quanquam ex eo quòd ſæpe hoc euenire cernimus, cum rem totam comprehenſam habuerimus, demonſtrationem tenemus. Ex multis



tis enim rebus ſingulis res uniuerſa planè cognoſcitur. Quod autem totum & uniuerſum eſt, id in pretio eſt, propterea quòd cauſam rei explicat. Itaque quæ de his habetur generalis cognitio, pluris facienda eſt ea quæ & ſenſu paratur & intelligentia, quorum alia cauſa eſt. Nam quod ad principia attinet, alia ratio eſt. Perſpicuum eſt igitur fieri non poſſe ut ſenſu percipiendo, aliquid ſciamus eorum quæ ſub demonſtrationem cadunt, niſi forte quiſpiam dicat ſenſu percipere idem efficere quod ſcientiam demonſtratione paratam habere. Sunt tamen nonnulla quæ ad ſenſus priuationem referuntur in quæſtionibus. Quædam enim ſi cerneremus, nunquam quæreremus: non quòd uidendo ſciremus, ſed quia ex eo quod cernimus rem totam comprehenſam habemus. Vt ſi uitrum rimarum plenum uideamus, luménq; per rimas diffundi, perſpicuum etiam eſſet quamobrem luceret, id eſt, eo quòd ſigillatim in quoq; id cernatur, itaq́; eſſe ſimul intelligatur in omnibus.

## CAP. XXV.

EAdem autem omnium ratiocinationum principia eſſe non poſſe, primum logicis rationibus doceri poteſt. Aliæ enim ueræ ſunt, aliæ falſæ concluſiones. Nam ut uerum liceat ex falſis concludere, at hoc certè uno modo fieri poteſt. Vt ſi a in c uerè, b autem uerbum medium falſo dicitur. Neque enim a in b, neq; b in c dicitur. At ſi harum propoſitionum media uerba ſumantur, falſa erunt: propterea quòd ex falſis falſa omnis ſequatur efficiatúrque concluſio. Vera autem ex ueris ſequuntur. Atqui alia ſunt uera, atque falſa principia. Deinde falſa principia non ſunt eadem earum omnium quæ falſæ ſunt. Falſa enim alia alijs opponuntur, & aduerſa & ea quæ ſimul eſſe nequeunt: ut iuſtitiam eſſe iniuſtitiam, aut ignauiam, & hominem equum uel bouem, & quod par eſt, id maius minúſue eſſe: neque enim omnium quæ uera ſunt,

eadem ſunt principia. Diuerſa enim ſunt nec inter ſe apta & hærentia principia eorum omnium quæ multorum ſunt generum. Veluti uniones cum punctis non conueniunt. Illæ enim ſitum non habent, hæc habent. Neceſſe eſt autem aut medijs uerbis omnia inter ſe conuenire, aut ſuprà aut infra: uel alia uerba ſibi accõmodata,alia aliena habere Cõmunia etiam principia nulla eſſe poſſunt quibus omnia doceãtur. Dico autẽ cõmunia,ut omnia aut eſſe,aut nõ eſſe. Genera enim eorum quæ ſunt, uaria ſunt atque diuerſa, aliáque ijs quæ quanta ſunt,alia ijs quæ qualia,ſolum conueniunt, cum quibus per communia monſtrantur. Iam principia non pauciora ſunt concluſionibus. Cum enim principia propoſitiones ſunt,tum propoſitiones exiſtunt,aut aſſumpto, aut adiuncto uocabulo. Præterea concluſiones infinitæ incertæq; ſunt,uocabula finita. Principia etiam alia neceſſaria ſunt, alia contingentia ac fortuita. Ac ſi qui hoc modo rem conſiderent, profecto fieri non poteſt ut principiorum certus finitúſq; ſit numerus,ſi infinitus ſit concluſionum. Si quis autem cõtrà dicat,ueluti,alia eſſe geometriæ propria,alia numerorum, nõnulla medicinæ:quid aliud dicet, niſi principia diuerſa eſſe artium? Ridiculum autem eſt dicere eadem eſſe, quòd eadem ut ita dicam, ſibi eadem ſint. Sic enim eadem erunt omnia. Neq; uerò omnibus principijs quiduis demonſtrari, idem ualet quod omnium eadem eſſe principia. Stultum enim hoc admodum eſſet. Nam nec in diſciplinis facilibus & apertis hoc, nec in retexendis argumentis fieri poteſt. Principia enim propoſitiones ſunt,quæ ratione concludi nequeunt, à quibus diuerſa concluſio aſſumpta ea quæ doceri non poteſt propoſitione efficitur. Quòd ſi quis dicat primas propoſitiones ad quas argumentum nullum ſumi poteſt,eaſdem eſſe principia,una in quoq; genere eſt. Si igitur nec omnia principia ad quiduis docendum ſumi oportet, nec id quod diuerſum

diſtin



diſtinctúmque eſt, ut ſit diuerſa unaquæque ars & ſcientia, relinquitur cognata eſſe principia omnium, aliiſque alia doceri. Sed perſpicuum eſt hoc fieri non poſſe. Demonſtratum eſt enim principia genere differre eorum quæ genere differant. Cum enim duo ſint principiorum genera, alia quæ ad aliud ſumuntur, alia in quibus ars ipſa uerſatur: ea quidem quibus aliud docetur, communia ſunt: ea autem in quibus ars uerſatur, propria: ut numerus, & magnitudo.

## CAP. XXVI.

Quod autem ſcientia comprehenditur, ac ſcientia ipſa ab eo quod in opinione conſiſtit, & ab opinione ipſa differt, propterea quòd ſcientia rei uniuerſæ eſt & neceſſariæ, quod autem neceſſarium, aliter habere non poteſt. Sunt autem nonnulla uera illa quidem ueréque ſunt, ſed tamen ſecus etiam eſſe poſſunt. In quibus perſpicuum eſt ſcientiam minimè uerſari, quandoquidem ſecus cadere non poſſent ea. quæ aliter poſſunt euenire, nec in eiſdem uerſatur intelligentia. Dico enim intelligentiam initium ſcientiæ. nec uerò ſcientia quæ ſub demonſtrationem non cadit, quæ eadem cognitio eſt propoſitionis ad quam ratio nulla, nec medium uerbum ſumi poteſt. Cum autem uera ſit & intelligentia, & ſcientia, & opinio, & id quod ab eis dicitur: relinquitur opinionem in ueritate falsóue cerni,ſed quæ eadem ſecus etiam euenire poſſunt. quod quidem idem efficit, quod notitia propoſitionis nõ neceſſariæ, ad quam medium uerbum nulláue ratio ſumitur. Atque ita eſſe hinc apparet, quòd imbecilla & infirma opinio eſt, taliſque natura rei de qua habetur opinio. Præterea nemo ſe in opinione eſſe exiſtimat, tum cum putat non poſſe rem ſecus euenire, ſed tum omnes ſe ſcire arbitrantur. At nihil prohibet, cum ita eſſe exiſtimat, ſed tamen ſecus cadere poſſe, tum eum uerſari in opinione, quaſi de tali re ſit opinio, neceſſariæ. autem ſcientia.

r 5

Itaque erunt qui quærant, quid cauſæ ſit quamobrem non ſit idem opinari atque ſcire, & idem opinio ac ſcientia, ſi quis concedat quòd ſciat de eo omni ſe habere opinionem. Conſequentur enim is qui ſcit & is qui eſt in opinione, ſi media uerba rationéſque ſumantur, quoad uentum ſit ad ea quæ iam nulla ratione doceri poterunt. Ita ſi ille ſcit, ſcit etiam is qui opinionem habet. Vt enim rem eſſe opinari poſſumus, ſic quænam eius cauſa ſit, quod medium uerbum eſt. Aut ita opinionem habebit de ijs quæ aliter euenire non poſſunt, quemadmodum non poſſunt definitiones, quæ ad demonſtrandum aliquid ſumuntur, non opinari, ſed ſcire dicetur. Si uerò uera eſſe putet, non tamen hæc eis conuenire per ſe ac natura ſua, opinionem habebit, non uere ſciet: rêmque eſſe, & quæ eius cauſa ſit, opinabitur, ſi modo ex ijs quæ demonſtrari non poſſunt opinionem hauſerit: ſi uerò non ex ijs opinionem collegerit quæ ratione concludi non poſſunt, rem tantum eſſe opinabitur. Opinio autem & ſcientia non omnino in eodem uerſantur, ſed ut falſa & uera in eodem eſt quodam modo, ſic opinio in eodem uerſatur & ſcientia. Nam opinionem ueram & falſam, ut nonnulli aiunt, eiuſdem ſi concedamus eſſe, cum alia incommoda ſuſcipere cogemur, tum hoc approbabimus, non opinari quod quiſque falſo ſentiat. Quoniam autem idem multis modis dicitur, eſt quatenus poteſt, eſt quatenus non poteſt. Nam abſurdum eſt & alienum, uerè opinari diametron aptè componi poſſe: diametron autem eſſe idem in quo uerſentur opiniones, ſic eiuſdem & uera & falſa erit opinio. ſed tamen utriuſque non eadem ratio & definitio eſt. Similiter eiuſdem eſt & ſcientia & opinio. Quædam enim ſic in animali uerſatur, ut non poßit non eſſe animal, alia autem ſic ut poßit: ueluti ſi una in homine per ſe, altera in homine illa quidem, ſed non per ſe in homine uerſetur.

Eadem



Eadem enim res eſt, quoniam homo eſt, quodam autem modo non eadem. Ex quibus hoc perſpicuum eſt, eandem rem ſimul non poſſe & opinione comprehendi & ſcientia. Eodem enim tempore exiſtimaret aliquis idem tum aliter tum non aliter cadere poſſe, quod fieri non poteſt. In diuerſis enim, ut dictum eſt, utrumque in eadem re uerſari poteſt, in eodem autem non item. Simul enim exiſtimaret, uerbi cauſa, hominem idem eſſe quod animal. Hoc enim poſuimus eſſe, fieri non poſſe ut ſit non animal, non idem quod animal. Nam poſitum ſit hoc fieri poſſe. Cætera autem quemadmodum tribuenda ſint in rationem, intelligentiam, ſcientiam, artem, prudentiam & ſapientiam: alia eius potius quæ naturam, alia eius quæ mores attingit, ſunt diſputationis.

## CAP. XXVII.

Solertia autem aut celeritas ingenij, quædam eſt cauſæ, ita breui tempore ut percipi non poßit, inuentio. Vt ſi quis cum uidit lunam habere ſemper eam partem quæ luceat ſoli oppoſitam, celeriter eius cauſam perſpexerit, quòd à ſole lumen accipiat, aut ſi quempiam cum diuite colloquentem, intellexerit eum mutuum accipere, aut nullos amicos eſſe, quòd ſint eiuſdem inimici. Qui enim extremas cauſas cognitas habuerit, idem omnes quæ in medio interiectæ ſunt cognouerit, poſitum ſit a idem efficere quod res collucens ſoli aduerſa, b idem quod lumen à ſole accipere, c luna: profectò c, id eſt, lunæ, b quod eſt lumen à ſole accipere conuenit, in b autem a intelligitur, id eſt, id quod collucet aduerſum ei eſſe à quo lumen accipiat. Ita etiam a in c ſumpto b intelligetur.

ARIST

# ARISTOTELIS POSTERIORVM ANALYTICORUM liber ſecundus, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

*

## CAP. I.

EA QVAE *in diſputationem incidunt, totidem numero ſunt, quot ea quæ ſciuntur. In diſputationem autem quatuor incidunt: An conueniat, quamobrem conueniat, an ſit, & quid ſit. Cum enim quærimus utrum hoc an illud conueniat plura complectentes, ueluti cum quærimus utrum ſol deficiat nécne, tum an conueniat quærimus. Idq́; ex eo perſpici licet, quòd cum inuenimus eum deficere, quærere deſiſtimus. quòd ſi initio cognitum habeamus, eum deficere, non quærimus, num deficiat. Cum autem rem conuenire ſcimus, tum cur conueniat, quærimus. ut cum perſpectum nobis eſt, deficere ſolem, aut moueri terram: cur deficiat, aut moueatur quærimus. Atque hæc quidem hoc modo. Alia autem quædam alio modo quærimus. ut ſit nécne ſit Centaurus aut deus. Illud autem, an ſit, nécne omnino dico, non, ſitne album aliquid nécne. Cum autem exploratum habemus eſſe in rerum natura aliquid, tum quid ſit quærimus.*

*ut*



*ut quid ſit deus, qui ſit homo. Ac ea quidem quæ quærimus, quæq́; cum inuenimus, ſcimus, tot ſunt numero.*

## CAP. II.

CVm *autem hanc quæſtionem ponimus. An conueniat, aut, An ſit omnino: tum hoc quærimus, ſitne eius cauſa, & medium uerbum. Cúmque cognitum habemus uel an conueniat, uel an ſit, aut ex parte, aut omnino, rurſúmque cauſa quæ ſit quærimus, aut quid ſit: tum quod ſit medium, quærimus. Voco autem quale quid ſit, aut an ſit ex parte, uel omnino: ex parte, ut an luna deficiat, an creſcat: His enim quæſtionibus an aliquid conueniat, nécne quærimus: omnino autem, ut ſi quæratur ſitne luna, aut nox, nécne ſit. Hoc ergo his quæſtionibus quæritur, ſitne medium, & quódnam ſit medium. Cauſa enim medium eſt. Omnibus autem quæſtionibus hoc quæritur, ſitne cauſa néc ne. Cum autem cauſam eſſe aliquam cognouimus, quænam ea ſit exquirimus. Cauſa enim cur ſit non hoc uel illud, ſed omnino cur ſit in rerum natura: uel non cur ſit omnino, uerùm quale nam ſit eorum quæ per ſe aut non per ſe dicantur, medium nominatur. Quod autem omnino eſt, id ſubiectum, id eſt, rem de qua agitur appello, ut lunam, uel terram, uel ſolem, uel triangulum: quale autem quid, ut defectionem, æqualitatem & inæqualitatem: de quibus hoc quæritur, ſint nécne medium. In his enim omnibus perſpicuum eſt eandem quæſtionem eſſe quid ſit, & cur ſit. Quid eſt defectio? luminis in luna terræ interiectu priuatio. Quæ cauſa eſt defectionis, aut cur luna deficit? quia terræ obiectu lumen deficit. Quid eſt concentus? ratio numerorum in acuto & graui ſono. Cur acutus & grauis tonus conſentiunt? Quia rationem numerorum habent acutus & grauis tonus. An acutus & grauis tonus conuenire poßint? Sitne in numeris eorum ratio? Cum autem eſſe cognouerimus, tum quænam ſit*

*ratio*

ratio quærimus. Eſſe autem medij & cauſæ quæſtionem ea indicant, quorum medium & cauſa ſub ſenſum cadit. Quærimus enim cum ſenſum non habemus, ut defectionis, ſit néc ne ſit. Quòd ſi ſupra lunæ orbem eſſemus, nunquam, eßét ne & quænam eius cauſa eſſet, quæreremus, eßétque id ſimul ac ſtatim perſpicuum & cognitum. Ex eo enim quòd ſenſum eius haberemus, generalem etiam uniuerſámque haberemus ſcientiam. Senſus enim quo intelligeremus hoc uel illo tempore terram obijci, hoc etiam nobis indicaret, hoc uel illo tempore eſſe defectionem, ex quo uniuerſa cognitio orietur. Ergo quemadmodum diximus, eadem ſcientia eſt, qua quid ſit, & qua cur ſit cognoſcitur. Quod ſit duobus modis, uel omnino, & cum aliquid non conuenit, uel cum aliquid conuenit. ut duos rectos habere, uel maius eſſe uel minus. Illud igitur perſpicuum eſt, omnia quæ in diſputationem incidant, cauſæ mediique eſſe quæſtionem.

## CAP. III.

Qvemadmodum autem definitio demonſtretur, & quis ſit reuocandi modus, quid ſit quorúmque definitio dicamus, ita tamen ut de eo primum diſputemus. In quo inde ducamus exordium, unde commodiſsimè ducitur earum diſputationum quæ inter ſe aptæ coniunctæq; ſint. Quærat enim aliquis, fierine poßit, nécne ut idem eadémque ex parte definitione ac demonſtratione cognoſcatur. Definitio enim naturæ & eſſentiæ eſt, omnis autem natura & eſſentia res uniuerſa eſt, & dicitur, & ratiocinationes ſunt aliæ negantes, aliæ non ad totum genus accõmodantur. ueluti eæ quæ ſecundæ formæ attributæ ſunt, negant omnes: eæ autem quæ tertiæ formæ ſunt, non ad uniuerſum genus pertinent. Deinde ne earum quidem quæ in prima forma reperiuntur & aientes ſunt, omnium definitio eſt. ut omne triangulum duobus rectis angulis pares habere. Cuius ratio eſt, quòd ſcire id quod demonſtratur, aliud nihil eſt, niſi demonſtrationem habere. Ita ſi in his demonſtratio locum habet, profectò eadem aperiri definitione nullo modo poſſunt. Sciret enim aliquis & cognoſceret ex definitione, qui idem demonſtrationem non haberet. Nihil enim prohibet eam non eodem tempore ſuppetere. Atque etiam ex inductione facilè hoc intelligi poteſt. Nihil enim unquam definitione adhibita ſciuimus, nec eorum quæ per ſe, nec eorum quæ non per ſe conueniunt. Præterea ſi rei naturæ eſſentiæq; cognitio quædam definitio eſt, ea quæ huius generis ſunt, perſpicuum eſt non eſſe in naturis & eſſentijs. Ac illud quidem perſpicuum eſt, non eſſe definitionem eorum omnium quorum etiam ſit demonſtratio. Quorum autem definitio eſt, an omnia ſub demonſtrationem cadant, nécne quæramus. Vna quidem certè ratio ad hanc quæſtionem eadem ſumi poteſt, quæ ad ſuperiorem. Cum enim unius quia unum ſit una ſit ſcientia, & ſcire id quod ſub demonſtrationem cadit, aliud ſit nihil, niſi demonſtratione præditum eſſe, profectò aliquid efficietur quod fieri non poteſt. In quo enim eſt definitio, is ſciet ſine demonſtratione. Præterea demonſtrationum ſunt definitiones principia, quæ demonſtrari non poſſe, ſuprà docuimus: uel certè, principia demonſtrabuntur, erúntque principiorum alia principia, in eóque nullus erit nec modus nec finis: aut definitiones quæ principiorum nomen obtinent, demonſtratione concludi non poterunt. An uerò ſi non omnium earundem, at certè alicuius eiuſdem poßit eſſe nécne poßit & definitio & demonſtratio? Neque enim eius demonſtratio, cuius definitio eſt. Nam cum definitio naturam rei explicet, demonſtrationes uidentur omnes quid ſit res & præponere & ſumere. ut mathematicæ, quid unio, quid impar, aliæq; eodem modo, præterea demonſtratio omnis aliquid in alio aut dici, aut non dici docet, ueluti exempli cauſa eſſe, uel non eſſe

eſſe. In definitione autem nihil aliud de alio dicitur, ut neque animal de eo quod bipes eſt, neque hoc de animali, neque denique figura de eo quod planum eſt. Neque enim in definitione quod planum eſt de figura, neque figura de eo quod planum eſt dicitur. Iam uerò aliud eſt quid res ſit, aliud rem conuenire monſtrare: quorum quid ſit res definitio docet, hoc autem in illo dici aut non dici demonſtratio. Diuerſorum autem aliorumq; alia demonſtratio eſt, niſi forte una ſit totius pars quædam: ueluti ſi demonſtratum eſt omne triangulum duos rectos angulos habere, hoc etiam demonſtratum eſt eam figuram habere, quæ ſit paribus cruribus: pars enim eſt, illa autem totum. Eam autem rationem non habent inter ſe hæc duo, eſſe & quid ſit, cum præſertim non ſit unum alterius pars. Perſpicuum eſt igitur nec eorum quorum definitio, omnium eſſe demonſtrationem. nec ea quorum ſit demonſtratio, omnia definitione poſſe explicari. Ita omnino nullius eiuſdem rei utrumque haberi poteſt. Ex quibus perſpicuum eſt, nec idem definitionem ac demonſtrationem eſſe, nec alterum altero contineri. Eandem enim rationem res eæ quæ ſubijciuntur, inter ſe haberent. Ac de his quidem hactenus ſit diſputatum.

CAP. IIII.

EIus autem quod quid ſit res explicat, utrum ſit ratiocinatio & demonſtratio, necne ſit, quemadmodum ratio modo proponebat. Ratiocinatio enim aliquid in alio dici aut non dici ſumpto uerbo medio demonſtrat. definitio autem proprium quiddam eſt, & in naturæ quæſtione dicitur, quæ neceſſariò reciprocantur. Si enim a ſit c proprium, profectò ipſius etiam b & hoc ipſius c erit. Ita propria alia aliorum erunt omnia. At uerò ſi a in naturæ quæſtione omni b conuenit, & uniuersè b de omni c in naturæ quæſtione dicitur, neceſſe eſt etiam a in naturæ quæſtione omni c conuenire. Quòd ſi quis non hoc modo iteret, non neceſſe erit a in c in naturæ quæſtione dici, ſi a in c in naturæ quæſtione dicatur, b autem de ijs omnibus quibus conueniet in eadem quæſtione non dicatur. Quòd ſi utrumque horum illam particulam complectatur, b etiam in c in definitione dicetur. Si igitur definitionem complectatur tam propoſitio quàm aſſumptio, ante in medio uerbo definitio collocabitur. Omnino ſi demonſtrari poteſt quid homo ſit, ponamus c hominem eſſe, a definitionem, ſiue ſit animal bipes, ſiue aliquid aliud: profectò ſi qua concluſio ſequetur, neceſſe erit a omni b conuenire. Huius autem alia ratio media erit. Ita etiam hominis definitio ſequetur in concluſione. Sumit igitur id quod demonſtrandum eſt. Eſt enim b hominis definitio. In quo duarum propoſitionum principiorúmque & eorum quæ doceri nulla ratione poſſunt, habenda ratio eſt. Hoc enim quod dico, in eis maximè perſpici licet. Qui igitur reciprocatione docent quid ſit animus, quídque homo, aut aliud quiduis eorum quæ ſunt, ij principium petunt. Vt ſi quis hoc poſtulet, animum eſſe id quod ipſum ſibi ſit cauſa uiuendi, idque uelit eſſe numerum qui ſe ipſe moueat, is neceſſe eſt hoc petat, animum idem eſſe quod numerum, qui ſe ipſe moueat ſic tanquam idem ſit. Non enim ſi a ex b, & hoc ex c conſequens eſt, propterea ipſius c a erit definitio, ſed de eo tantum uere dicetur. Nec ſi a definitio eſt quædam, & de omni b dicitur. Etenim animalis definitio de hominis definitione dicitur. Verum eſt enim omni definitioni hominis, definitionem animalis conuenire, ut etiam omnem hominem eſſe animal, ſed non ita, quaſi ſit unum. Si igitur non ita ſumat, non concludet, a eſſe ipſius c definitionem. Sin hoc modo ſumat, ante ſumptum erit b c ipſius definitionem eſſe. Ita non eſt demonſtratum, principium enim ſumpſit.

## CAP. V.

Nec uerò ratio ea quæ à diuiſionibus ſumitur, concludit, quemadmodum in retexendis formis dictum eſt. Nuſquam enim his ſumptis & conceſsis, neceſſaria concluſio ſequitur, quemadmodum ne is quidem qui inductionem adhibet, demonſtrat. Neq; enim peti debet cõcluſio, nec uera eſſe aut ſequi eò quòd ſit data atq; conceſſa, ſed ſumptis illis & conceſsis neceſſaria ſequi debet, etiam ſi is qui reſpondet non conceſſerit. Vt ſi quæratur, ſitne homo animal an inanimatus? deinde ſumptum ſit eſſe animal, profecto nõ cõcluſum eſt. Rurſus, omne animal, aut gradiens eſſe, aut aquatile. ſumptumq́; ſit eſſe gradiens, & hoc eſſe hominem, non neceſſe eſt effici ex ijs quæ ſumpta ſunt, hominem eſſe hoc totum, animal gradiens, ſed hoc etiam accipitur. Nihil autem intereſt in multisne, an in paucis hoc modo fiat. Eadem enim ratio eſt. Quapropter tractatione quidẽ eorũ etiã quæ ratiocinatione cõcludi poſſunt, nihil cõcluditur ab ijs qui ex ea ita progredi inſtituunt. Quid enim prohibet totum in homine uerè dici, cum interea eius naturam eſſentiámque non explicabit? Quid etiam prohibet aut addere aliquid, aut detrahere, aut etiam prætermittere eorum quæ ad eſſentiam naturamq́; pertineant? Atque hæc quidem miſſa faciamus. Quanquam autem is qui petit principium retexere poteſt ſumptis ijs omnibus, quæ definitio complectatur, idq; quod deinceps ſequitur diuidere, nihilq; prætermittere. quod neceſſe eſt, ſi omnia in diuiſionem cadant, nihilq; abſit, quod neceſſario faciundum eſt, propterea quòd in formam aliam iam diuidi non debent: tamen non eſt ratiocinatio, ſed alio modo rem patefacit, quod non eſt incommodum, præſertim cum is qui inductionem tractat, etſi fortaſſe non demonſtret, tamen aliquid explicat. Ratiocinationem autem non tractat is qui ex diuiſione definitionem colligit. Vt enim in ijs conclu-

ſioni



ſionibus, ad quas nulla uerba media, nullæq́; cauſæ ſumuntur, ſi quis concedat, his poſitis & conceſsis, neceſſe eſſe illud ſequi, uſuuenit ut cauſa quæ ſit, quæratur: ſic in definitionibus quæ diuiſione explicantur, quid ſit homo? animal mortale, quod pedes habeat, bipes, ſine pennis, quamobrem quæri poteſt in quaq; adiunctione. Dicet enim docebitq; ut ſibi uidetur, diuiſione, omne animal uel mortale eſſe, uel immortale. Atqui non omnis talis oratio, definitio eſt. Ex quo perſpicuum eſt, ut diuiſione aliquid demonſtratum ſit, at definitionem certè non eſſe ratiocinationem.

## CAP. VI.

Sed hoc etiam quæri poteſt, num demonſtrari poſsit ea definitio quæ rei eſſentiam naturámque explicet, hac tamen lege, ut rei natura & eſſentia id intelligatur quod propria quæ definitio complectatur, explicent, ſoláque hæc ſint in definitione, & totum ſit proprium. Hoc enim illius eſſentia eſt. An rurſus hoc etiam loco ſumpta definitio eſt? Præſertim cum medium ad aliquid demonſtrandum ſumi oporteat. Præterea quemadmodum in ratiocinatione definitio ſumi non debet, propterea quòd aut totum genus aut partem complectitur ea propoſitio ex qua ratiocinatio conſtat: ſic nec hoc loco definitio eſſe debet in ratiocinatione, ſed ea ab ijs quæ poſita ſunt excludenda eſt. Quòd ſi quis dubitet an confecta tractatáq; ratiocinatio ſit, occurrendum ei eſt, eſſe. Hoc enim poſitum eſt, eſſe ratiocinationem. Et ei qui neget definitionem concluſum eſſe, reſpondendum eſt, certè eſſe. hoc enim poſuimus eſſe definitionem. Ita abſit etiam neceſſe eſt à ratiocinatione definitio, uel definitione aliquid concludatur. Quod etiam fit, cum ex conceſsione aliquid docetur, ut ſi cõcedatur mali hanc eſſe definitionẽ, quod diuidi poteſt: cõtrarij contraria erit definitio, in quibus aliquid contrarium eſt. Cum autem bonum malo ſit contrarium, & quod diuidi non

poteſt ei ſit quod poteſt: certè boni definitio ſit neceſſe eſt, quod diuidi non poteſt. Etenim hic quoq; definitio ſumitur, ſumitúrq; ad demonſtrandum definitio. Sed ſit alia ſanè ea quæ ſumitur, nihil refert. In demonſtrationibus enim aliud de alio dicitur, ſed non idem, aut cuius eadem ratio eſt, & reciprocatur. Ab utroq; autem & eo qui diuiſione docet aliquid, & ab eo qui huiuſmodi ratiocinatione, idem quæri poteſt, cur erit homo animal bipes gradiens, non animal & gradiens? Ex ijs enim quæ ſumuntur non neceſſe eſt unum id quod dicitur effici, ſed eo modo quo idem homo & muſicus eſſet & grammaticus.

CAP. VII.

QVi igitur fieri poteſt, ut is qui rem definiendo aperit, rei eſſentiam naturámque demonſtret? Neque enim tanquam ex ijs quæ conceſſa ſunt demonſtrans, perſpicuum faciet neceſſe eſſe illis conceßis aliquid aliud concedi (hoc enim demonſtratio eſt) neque rerum ſingularum inductione docebit, cum certæ perſpicuæq; ſint, totum ita eſſe, quòd nihil ſecus ſit. Non enim quid ſit res docet, ſed uel eam eſſe uel non eſſe. Quæ ei tandem alia ratio relinquitur? Neque enim quidem certè ſenſu, digitóue monſtrabit. Iam quo tandem modo quid ſit homo docebit, cum neceſſe ſit eum qui ſciat quid homo ſit aut quiduis aliud, eum etiam eſſe exploratum habere? Quod enim nō eſt, id eſſe nemo nouit, ſed ſolum quid oratio uel nomen ſignificat. ut cum dico tragelaphus, quid autem ſit tragelaphus, ſciri non poteſt. Atqui ſi quid ſit demonſtret & eſſe, & quomodo ſit eadem oratione monſtrabit. Nam & definitio aliquid declarat, & demonſtratio: quid autem ſit homo aliud eſt, aliud, eſſe hominem. Deinde cum in ea ſimus ſententia ut dicamus neceſſe eſſe etiam demonſtratione doceri rem eſſe, niſi fortè ſit eſſentia & definitio, eſſe autem rem non ſit ullius rei eſſentia & natura, (neq;



(neq; enim id quod eſt, genus eſt) certè demonſtratio eò adhibebitur ut res eſſe doceatur. Id quod etiam hoc tempore artes faciunt. Geometra enim ſumpto eo quid triangulum ſignificet, tum eſſe demonſtrat. Quid igitur docebit is qui rem definiendo aperit? an quid ſit triangulum? Qui ergo ſciet difinitione quid ſit res, idem an ſit neſciet. quod fieri non poteſt. Illud etiam perſpici licet ex ijs definitionum generibus quæ mox exponentur, eos qui rem definitione aperiunt, an ipſa ſit nō docere. Nam ut ex medio id quod definitur etiam æquè pateat, at certè quæ eius ſit cauſa, & quamobrem hoc ſit circulus quæritur. Aliter enim dici poſſet eſſe mons æneus. Neq; enim definitiones declarant, poſſe eſſe id quod dicitur, neq; id cuius aiunt eſſe definitionem, ſed ſemper dici poteſt, quid ita ſit. Quòd ſi is qui rem definit demonſtrat, uel quid ſit, uel quid nomen ſignificet, docet. Si nullo modo quid ſit demonſtrat, definitio oratio erit idem quod nomen ſignificans. At hoc abſurdum eſt, primum enim ea quæ non ſunt in eſſentiarum numero, & quæ nuſquam ſunt definitione explicarētur. Exponere enim explicaréq; licet ea etiā quæ nulla ſunt. Deinde omnes orationes definitionis uim nomēq; obtinerēt, Liceat enim nomen cuiuis orationi imponere. Ita & definitiones diſputantes dicemus, & Ilias erit definitio, præterea ars nulla hoc nomen illud declarare doceret. Ex quo efficitur, ne definitiones quidem hoc indicare ac profiteri. Quapropter ex his quidem perſpicuum eſt, aliud definitionem eſſe, aliud ratiocinationem, nec eiuſdem ratiocinationem definitionémq; eſſe: & præterea nec definitionem quicquam demonſtrare, aut docere: poſtremo illud etiam, nec ex definitione quid ſit res, nec ex demonſtratione poſſe ſcire.

CAP. VIII.

QVorum omnium quid rectè, quid ſecus dicatur, rurſum uidendum eſt, quidq; ſit definitio, & quid res ſit,

poßitne aliquo modo, an nullo modo demonſtratione concludi, & aperiri definitione. Quoniam autem nihil, ut diximus, intereſt ſciamus quid res ſit, an cauſam rei ſi ſit: eiúſque ratio eſt, quòd aliqua eſt cauſa, eáque aut eadem, aut alia: ſi alia, aut eiuſmodi quæ demonſtrari poßit, aut quæ non poßit: profecto ſi alia eſt, demonſtraríque poteſt, media ſit cauſa neceſſe eſt, & in prima forma doceatur. Quod enim demonſtratur, id & ad uniuerſum genus accommodatum eſſe, & aiens eſſe debet. Ac una quidem ratio erit ea quæ modo conquiſita eſt, quid ſit res per aliud oſtendere. Eorum enim quæ quid ſit res explicant, medium ſit aliud quod quid res ſit declaret, propriorúmq; proprium, neceſſe eſt. Ita aliud demonſtrabit, aliud non demonſtrabit eorum quæ naturam eſſentiámque eiuſdem rei explicabunt. Atque hæc quidem ratio non poſſe eſſe eius quod quid res ſit declaret demonſtrationem ſupra expoſita eſt. Eſt autem ratiocinatio ex logica petita, qua id quod rei naturam explicat, concluditur.

## CAP. IX.

ID quo pacto fieri poßit ita dicemus, ſi paulò altius principium repetierimus. Quemadmodum enim tum cauſam rei exquirimus, cum eam eſſe tenemus, interdúmq; ſimul utrumque perſpicuum & certum eſt, nec tamen antè quæ cauſa rei ſit cognoſci poteſt, quàm ea eſſe ſciatur: ſic rei eßẽtia ſine eo, an ſit, cognoſci nullo modo poteſt. Neq; enim ſcire poſſunt quid res ſit ij, qui eáne ſit ignorent. Res autẽ an ſit, aliàs caſu & fortuitu tenemus, aliàs cum aliquid eiuſdẽ rei cognoſcimus, ut tonitruum eſſe ſonũ quendam nubiũ, & defectionem eſſe luminis priuationem, & hominem eſſe animal quoddam, & animum id quod ſe ipſum cieat. Ac quæ fortuitu eſſe ſcimus, ea nullo modo cum eo quod quid ſit res aperit, cohæreat neceſſe eſt, præſertim cum ea ne an ſint quidẽ ſciamus. Quæ-





rere autem quid ſit quippiam, niſi ſit cognitum, an ſit, nihil quærere eſt. Quæ autem ſcimus an ſint, facile eſt. Itaq; quẽadmodum rem eſſe cognoſcimus, ſic quid ſit res quodammodo tenemus. Quorum igitur aliquid eius quod quid ſit res explicat, tenemus. exemplum ponamus primum hoc modo: Sit a defectio, c luna, b terræ obiectio. illud quidem, an deficiat nécne, quærere, aliud nihil eſt niſi ſit b, nécne ſit. Hoc autem utrum quæras, an ſit eius cauſa & ratio, nihil intereſt. quod ſi ſit, illud etiam eſſe dicimus. Aut utrius repugnantiæ ratio eſt, eiúſne quæ duos rectòs habere ſignificat, an eius quæ non habere. Cum uerò inuenerimus, ſimul & an ſit & quid ſit res, cognitum habemus, ſi ex medio uerbo id cauſáque ſciatur. Alioqui rem eſſe, non cur ea ſit cognoſcimus. Sit c luna, a defectio, b cum luna plena eſt non poſſe umbram eſſe ſi nemo ſit in medio noſtri. Profecto ſi in c b intelligatur, id eſt non poſſe umbram exiſtere ſi nemo ſit in medio noſtri & huic a: id eſt deficere conueniat, perſpicuum eſt deficere: cur autem deficiat, nondum exploratum eſt: & defectionem eſſe ſcimus, quid autem ſit, non ſcimus. Cum autem perſpicuum eſt a in c conuenire, cur conueniat, aliud eſt nihil niſi quærere quid ſit b, utrum interpoſitio, an lunæ conuerſio, an lucis priuatio, quod alterius extremi uerbi, id eſt a ratio eſt. Eſt enim defectio terræ obiectio. Quid eſt tonitruum? ignis in nube reſtinctio. Cur tonat? quia ignis in nube extinguitur. Sit c nubes, a tonitruũ, b ignis in nube reſtinctio: certè in c, id eſt, in nubem b conuenit. Ignis enim in ipſa reſtinguitur: huic autem a, id eſt ſonus conuenit, éſtq; b, ratio & cauſa primi uocabuli. Quòd ſi rurſum huius aliud medium & cauſa ſumatur, erit ex ijs cauſis quæ reliquæ ſunt. Ac quemadmodum id quo quid res ſit aperitur, ſumatur, dictum eſt. Ex quo perſpicuum eſt, quid res ſit, quanquam nec ratiocinatione concludi, nec demonſtratione poßit, id tamẽ ex ratiocinatione cognoſci

poſſe & demonſtratione. Ita fit ut nec ſine demonſtratione ſcientia comprehendi poſſe quid res ſit, cuius ſit alia cauſa, nec ipſum, quemadmodum in quæſtionibus dixi in demonſtrationem cadere poßit.

CAP. X.

CVm autem aliquibus data ſit cauſa quædam alijs non ſit, perſpicuum eſt, eorum quæ quid ſit res explicant, alia eſſe quæ principia & capita ſint, quæq; nulla ratione demonſtrari poßint, quæ eadem & eſſe & quid ſint ponendum eſt, aut alio modo perſpicua facienda ſunt, id quod ij faciunt qui numerorum rationem tenent. Nam & quid unio ſit, & eam eſſe ponunt. Quæ autem medium, aliámq; cauſam habent cur ſint, ea demonſtratione ut diximus, doceri poſſunt, etſi non quid res ſit demonſtretur. Quoniam autem definitio oratio eſt quid ſit res explicans, profecto quædam erit oratio quæ quid nomen declaret, explicabit, aut oratio alia quæ deſcriptio dicitur. Vt quid ſignificet, quid ſit triangulum, quod quidem cum tenemus, tum cur ſit quærimus. Sed difficile eſt ea quæ an ſint neſcimus, hoc modo comprehendere: cuius difficultatis hæc cauſa antè expoſita eſt. quòd ſit néne ſit non ſcimus niſi impropriè & temere ac caſu. Vna autē oratio dupliciter dicitur, alia coniunctione, ut ilias: alia ea quæ unum uni, non per aliud, conuenire declarat. Ita prior illa quidem ſignificat, ſed non demonſtrat, poſterior autem erit, ut perſpici licet, quaſi naturæ rei demonſtratio, nec alia re niſi uerborum collocatione à demonſtratione differet. Intereſt enim dicas, cur tonet, an quid ſit tonitruū. Reſpondebis enim hoc modo, quia ignis in nubibus reſtinguatur. Cū autem quæretur, quid ſit tonitruum, hoc modo, eſt ſonus ignis qui in nubibus reſtinguitur. Ex quo perſpicuū eſt, eādem orationem alio atq; alio modo enunciari, ita tamē, ut cum illo modo enunciatur, perpetua demōſtratio ſit: cū illo, nomen obtineat defi



definitionis. Præterea tonitrui definitio hæc eſt, ſonus in nubibus, quæ eadem demonſtrationis quid ſit res, concluſio. At uero eorum quæ medium non habent, definitio, expoſitio eſt quid res ſit demonſtrationis expers. Ergo unum definitionis genus, oratio eſt quid ſit res explicans, quæ demonſtrari non poteſt. Alterum ratiocinatio eius quod quid res ſit explicat ſola productione à demonſtratione diuerſa. Tertium demonſtrationis eius quo quid ſit res aperit, concluſio. Perſpicuum eſt igitur ex iſs quæ dicta ſunt, & quatenus ſit, & quatenus non ſit eius quod rei naturam explicat, demonſtratio, & quorum ſit, & quorum non ſit: præterea quemadmodum id affectum ſit ad demonſtrationem, & quatenus eiuſdem eſſe poßit & quatenus non poßit.

CAP. XI.

QVoniam autem tum denique rem ſcire nos arbitramur, cum eius cauſam cognitam habemus, cauſarum autem quatuor genera ſunt, unum eorum quæ quid res ſit explicant: alterum cum poſitis aliquibus, aliud ſit neceſſe eſt: tertium efficientis: quartum finis: hæc quidem omnia ſumpto medio cauſáq; monſtrantur. Nam illud genus cauſæ quo poſito aliud eſſe neceſſe eſt: ſi una propoſitio ſumatur, non poteſt demonſtrari, ſed ſi duæ ut minimum, poteſt. quod tum denique accidit cum medium unum habent: quo uno ſumpto, neceſſaria ſequetur concluſio. Quod etiam perſpicuum fiet hoc modo: Quid ita rectus eſt angulus is qui in dimidio circuli deſcriptus eſt? aut quo ſi ſit, rectus eſt? Sit a rectus angulus, b dimidium duorum rectorum, c angulus in dimidio circuli delineatus: b quidem cauſa eſt, cur a ideſt, rectus angulus in c ideſt, in angulū in dimidiato circulo delineatum cadat. Hic enim ipſi a par & æqualis eſt, c autem ipſi b: duorum enim rectorum medius eſt. Si igitur b ſit, id eſt medius angulus duorum rectorum, a in c, id eſt in angu-

lum rectum qui in dimidiato circulo deſcriptus eſt, conueniet. Hoc autem cauſæ genus & rei natura & eſſentia idem ſunt, cum id declaret oratio. Atqui eſſentiæ rei cauſa media demonſtrata eſt. Cur autem Medicum bellum Athenienſes geſſerint, quæ cauſa fuerit cur bellum geſtum ſit cum Athenienſibus, quòd in Sardos cum Aeretrienſibus impetum fecerint. Hoc enim primum incitauit. Sit a bellum, b priores impetum facere, c Athenienſes: b quidem in c conuenit, id eſt in Athenienſes, qui priores impetum fecerunt: a autem in b dicitur, id eſt in eis qui bellum geſſerunt cum ijs qui priores iniuriam intulerunt. Ita a in b intelligitur, id eſt bellum gerere cum ijs qui laceßierunt, b autem in c, id eſt in Athenienſibus, laceßiuerunt enim. Ex quo perſpicuum eſt, in hoc etiam cauſæ genere medium eſſe eam cauſam, quæ prima incitauerit & permouerit. Eorum autem quorum cauſa finis eſt, exemplum erit tale: Cur deambulat? ut ualeat. Cur domus comparata eſt? ut ſupellex ſeruetur, illud quidem fit cauſa ualetudinis, hoc habēdi conſeruandique gratia. Hæ autē duæ quæſtiones, cur à cœna ſit ambulandum, & qua de cauſa, nihil differunt. Sit c ambulatio à cœna, b non innatare eſculenta, a ualere: ita fiet, ut impedire quo minus eſculenta in ſtomacho innatent, huic, à cœna deambulare, conueniat, quod idem ſalubre eſt. Videtur enim in c id eſt huic, à cœna deambulare, b non innatare eſculenta, conuenire: in hoc autem a, id eſt ſalubre. Quid ergo cauſæ eſt, cur a in c cadat? certe b idem finis, hoc autem eſt ut illius ratio & cauſa, a enim affertur. Cur autem b in c intelligitur? quòd ualere non eſt aliud niſi ita habere. Mutandæ ſunt autem rationes, & ita denique magis perſpicua fient omnia. effectus autem hic contrà, quàm in cauſis efficientibus, collocātur. Illic enim mediū uerbum primū eſſe debet, hic autem c extremum, poſtremus uerò finis. Fieri autem poteſt, ut idem & ad finem referatur, &



& ad materiæ neceßitatem: ut ſi quæratur, cur lumen per laternam diffundatur. Nam & id quod ex tenuioribus minutioribúſque partibus conſtat, per maiores uias ac poros diffunditur, ſiquidem lumen ex eo oritur quòd diffundatur, & aliqua de cauſa, ut ne offendamus. An igitur ſi quid eſſe poteſt, etiam oriri fieriq; poßit, ut ſi tonat reſtincto igne, neceſſe ſit ſtridorem ſonumq; edi, & quemadmodum aiunt Pythagorici, minarum cauſa ijs qui ſunt in tartaro, ut terreantur. Huius autem generis plurima & maxima in ijs quæ natura inſtituuntur conſtantq; , reperiuntur. Quædam enim ad finem natura dum facit refert, alia neceſſario facit. Duplex eſt autem neceßitas. Alia enim à natura & appetitu proficiſcitur, aliam uis affert. Vt lapis ſurſum, & deorſum neceſſariò impellitur, ſed non eadem neceßitate. Ea autem quæ ratione & conſilio efficiuntur, partim nunquam caſu fiunt, ut domus, & ſtatua: nec neceßitate, ſed finis alicuius gratia: partim etiam caſu, ut ualetudo, & ſalus, quod in ijs contingit maximè, quæ hoc modo & ſecus euenire poſſunt, quoties effectus non à fortunæ temeritate proficiſcitur. Itaq; perfectū bonū alicuius finis gratia efficitur, idq; uel natura uel arte. Nihil autem eorum quæ caſu fiunt, ad finem ullum refertur. Eadem autem cauſa quæ eſt eorum quæ ſunt in rerū natura, eſt etiam & eorum quæ efficiuntur, & effectorum & rerum futurarum: medium enim cauſa eſt: niſi quòd eorū quæ ſunt, id quod eſt, cauſa eſt eorum quæ fiūt: id quod efficitur, rerum effectarum: id quod effectum eſt, & quod futurum eſt, futurarum. Vt ſi quæratur, cur fuit defectio? reſpōdeatur, quòd terra in medio fuit. fit etiam defectio, quòd terra in medio efficitur: erit, quia erit in medio: eſt, quia eſt. Quid eſt glacies? Sumatur eſſe aqua concreta, & congelata. Sit c aqua, a congelata, b cauſa media, priuatio omnis caloris: profecto b in c conuenit, & b in a, id eſt in id quod congelatum eſt. Atqui gignitur

tur glacies, cum b gignitur: orta eſt, cum eſt orta: erit, cum erit. Atq; hoc quidem cauſæ genus eiúſq; effectus ſimul oriuntur, cum oriuntur: ſimul ſunt, cum ſunt in rerum natura. Quod fit in præterito & futuro tempore eodem modo.

CAP. XII.

IN ijs autem quæ non ſunt ſimul, an in continuo perpetuóq; tẽpore, ut nobis uidetur, aliæ aliorũ cauſæ ſint, quæſtio eſt. Eius quidem effectus qui ſuperiore tempore extitit, alia eſt cauſa quæ facta eſt: eiúſq; qui futurus eſt, ea etiã quæ eſt futura: & eius qui gignitur, ea etiã quæ facta eſt ſuperiore tẽpore. Ab eo autẽ quod poſterius factum eſt, ratiocinatio ducitur, cuius etiã cauſa principiumq; erit id quod factum eſt. Quod fit etiam in ijs quæ fiunt, eodem modo. At uerò ab ijs quorum ortus antiquior eſt, nõ ducitur. Veluti non ſequitur, ſi hoc factum eſt, propterea id quod poſterius eſt factum eſſe. Eadem eſt etiam ratio rerum futurarum. Neq; enim infinito, neque definito conſtitutoq; tẽpore euenient, ut quoniam uerè hoc factum eſſe dicitur, uerum etiam ſit id quod poſterius eſt extitiſſe. In tempore enim quod interiectum eſt, falſum eſt hoc factum eſſe, cum iam alterum extitit. Eadem etiam futurorum ratio eſt: nec quia hoc factum eſt, illud erit. Medium enim & cauſa, eodem tẽpore quo effectus debet extitiſſe: ita tamen, ut eorum quæ facta ſunt, id quod factum eſt: eorum quæ futura ſunt, id quod futurũ eſt: eorum quæ fiunt, id quod fit: eorum quæ ſunt, id quod eſt in rerum natura, cauſa ſit. Eius autem quod factum eſt, & eius quod erit, cauſa eodem tempore quo effecta, eſſe non poteſt. Præterea nec indefinitũ, nec definitũ certumq; tempus id quod interiectum eſt, poteſt eſſe, falſum enim erit eſſe medio tempore. Videndũ eſt autẽ quid ſit continuum, ut in rebus ex eo quod factum eſt, id quod fit ſequatur. An hoc perſpicuum eſt, id quod factũ ſit, cum eo quod fit non cohærere? Neq; enim id quod fit, cum eo quod factum eſt, cohæret. Sunt enim fines & indiuidua. Quemadmodum igitur puncta non ſunt apta nec cohærentia inter ſe, ſic nec ea quæ fiunt. Vtrumq; enim eorum diuidi non poteſt. Ob eandémque cauſam nec id quod fit, cũ eo quod factum eſt cohæret. Quod enim fit, diuidi nõ poteſt: quod factum eſt, poteſt. Quam ergo rationem linea ad punctum habet, eandem habet id quod fit ad id quod factũ eſt. In eo enim quod fit, infinitus eorũ numerus quæ facta ſunt, continentur. Sed de his aperte dicendum erit in ijs libris quibus uniuerſe de motu ſcribemus. Ac de eo quidem, quæ ſit natura & ratio medij quod cauſa eſt, cum effectus ex ea non ſimul ſequitur, hactenus. Neceſſe eſt enim in his etiam principium & cauſam eiuſmodi eſſe, quæ medio & ratione doceri non poßint. Vt ſi ponamus a factum eſſe, quoniam c extitit, & c poſterius eſſe factum, a autem ſuperiore tempore, ita tamen, ut c ſit principium, propterea quòd inſtãti tempori quod initium temporis eſt, ſit propinquius, ponamus etiam c factum eſſe, ſi a factum ſit: his ita poſitis & conſtitutis, ſi d factum ſit, a extiterit neceſſe eſt, cuius c cauſa ſit. Si enim d factum eſt, neceſſe eſt c effectum eſſe: quo effecto, a factum ſit prius neceſſe eſt. Ei autẽ qui ita mediũ cauſamq; ſumet, reſiſtendum erit tandem aliquando in aliquo, cuius medium cauſáq; nulla erit, aut certè finem progrediendi nullum faciet. Non enim cauſa quæ facta eſt, cum effectu quemadmodum dictum eſt, cohæret, ſed neceſſario incipiendum eſt à medio & principio, cuiuſmodi eſt tẽpus inſtans. Quod item fit in uerbo erit. Si enim d uerè dicitur fore, neceſſe eſt antea uerè dici a fore, cuius c cauſa ſit. Nam ſi d erit, a antea erit. Si autem c erit, erit a ſuperiore tempore. Eſt etiam in his infinita diuiſio. Neq; enim futura inter ſe cohærentia ſunt. Atq; etiam in his ſumenda eſt propoſitio quæ ratione demonſtrari nequeat. Operum autem hæc natura & ratio eſt. Si domus exædificata eſt, ſecti ſint & fuerint lapides neceſſe eſt. Quid ita?

ita? quia neceſſe eſt fundamentum iactum eſſe, ſi quidem ædificata etiam ſit domus. Si fundamentum, lapides antè fuerint neceſſe eſt. Rurſus ſi erit domus, eodem modo parietes antecedent. Quod etiam & medio & cauſa demonſtrabitur eodem modo fundamentum enim antecedet.

CAP. XIII.

QVoniam autem in ijs quæ mutuo & quaſi reuolutione quadam oriuntur, quædam origo cernitur, hoc ipſum in eis locum habere poteſt, ſi modo medium uerbum, atque primum & extremum alia aliorum ſint conſequentia. In his enim locum habet reciprocatio. Hoc autem initio demonſtratum eſt, concluſiones reciprocari, hoc uerò idem ualet quod circuitu quodam oſtendi. In rebus autem ipſis id perſpicitur. Cum enim pluuia terra madefacta eſt, tum uaporem neceſſe eſt oriri: hoc orto, nubem: nube orta, aquam pluuiam: aqua pluuia, neceſſe eſt terram infundi, quod fuit principium. Itaque circuitu quodam res illa peracta eſt. Cum enim unumquoduis eorum eſt, alterum eſt: cum hoc, aliud: cum porrò hoc primum. Cum autem nonnulla uniuersè omninóque fiunt, ut ea quæ ſemper & in omnibus uel ita habent uel eueniunt: alia uerò non ſemper, ſed plerumque. ut non omni uiro in genis barba naſcitur, ſed plerumque horum quidem medium uerbum & cauſa in ijs etiam ſit quæ plerumque fiunt, neceſſe eſt. Si enim a in b in totum dicitur, & hoc in c toto, neceſſe eſt etiam a in c & ſemper & omni ex parte uniuerſeq; dici. Vniuerſe enim in totúmque dici, eſt ſemper & in omnibus dici. Atqui poſitum eſt illud plerumque dici. Medium igitur uerbum, id eſt b plerumq; in illis dicatur neceſſe eſt. Quapropter erũt etiam eorum quæ plerumque ita habent aut eueniunt principia quæ nulla ratione doceri poterunt, eiuſdem generis, id eſt quæ plerumque hoc uel illo modo ſunt aut eueniunt. Quemadmodum



dum quidem quid res ſit definitionibus aperiatur, & quomodo eius ſit aut non ſit demonſtratio uel definitio, diximus.

CAP. XIIII.

QVemadmodum autem indaganda atque inueſtiganda ea ſint quæ in rei natura dicuntur, nunc dicamus. Igitur eorum quæ cuique rei ſemper conueniunt, quædam aliarum etiam rerum communia ſunt, & in aliam rem transferuntur, etſi non in aliud genus. Dico autem in aliam rem transferri ea quæ non ſolùm cuiq; rei quam totum genus complectatur, ſed alij etiam conueniunt. ut uerbi cauſa, aliquid eſt quod cum omni ternioni conuenit, alij etiam rei quæ non eſt ternio, conuenit: quo in genere eſt id quod eſt, & quod & ternioni conuenit, & rei quæ non eſt numerus. Impar etiam omni ternioni cõuenit, ſed in aliam rem transfertur, quippe cum quinque etiam conueniat, ſed tum in aliud genus non transfertur, quandoquidem in numeris habentur & ſunt, nec quicquam præter numerum impar eſt. Sumere igitur ea omnia quæ ſunt eius generis, & uſque eò perſequi debemus, dum eiuſmodi ſumpta ſint primum, quorum quicque cum alijs commune ſit, uniuerſa tum nullam in aliam rem transferri poſſunt. Hæc enim rei natura ſit neceſſe eſt. Veluti, ternio eſt numerus impar qui utroque modo primus eſt, & quòd numerus eam non dimetiatur, & quòd ex numeris non ſit concreta: ut iam ſit hæc ternionis explicata definitio, Ternio eſt numerus impar primus, & hoc modo primus. Eorum enim partim communia ſunt imparibus omnibus, extremum autem uerbum etiam duobus conuenit, at nulli omnia. Quoniámque ſupra demõſtratum eſt à nobis ea neceſſaria eſſe, quæ in rei natura dicerentur, quæ autem ad uniuerſum genus accommodantur, eadem neceſſaria ſunt, & ternionis aliorumq; omnium quibus ita ſumuntur conuenire, naturæ conueniunt, certe ita ſit ut hæc omnia aliud nihil ſint niſi ternio. Naturam autem & eſſenti

*eſſentiam eius hæc explere, hinc perſpici licet. Neceſſe eſt enim ſi ternionis hæc non ſit definitio, genus quoddam eſſe hoc totum, aut quod nomen habeat, aut quod non habeat. In aliam igitur rem transferetur. Poſitum enim ſit genus eiuſmodi eſſe ut in multis intelligi poßit. Si igitur nulli niſi ternionis indiuiduis ſingulíſq; ternionibus conuenit, hæc certè eſt ternionis definitio. Poſitum enim hoc etiam ſit, naturã cuiuſq; rei eſſe, attributum extremum indiuiduorum eiuſmodi, ex quo efficietur eandem eodem modo etiam aliorum quorumuis quæ ita demonſtrata erunt, futuram eſſe definitionem. Cum autem quiſpiam totum aliquid inſtituit exquirere, is genus in ea primum quæ in alias ſpecies diuidi non poßint, tribuere debet, ut numerum in tria & duo, deinde dare operã ita ut illorum definitiones accipiat, ut rectæ lineæ, & circuli, & recti anguli: quæ cum fecerit acceperitq; quónam ſit genus, ueluti, ſit ne in ijs quæ quanta ſunt, an in ijs quæ qualia: tũ proprietates quæ ſint eius, inſpicere debet ex ijs quæ ſint prima communia. Quæ enim cõueniunt ijs quæ ex indiuiduis cõſtant, ex definitionibus erunt cognita, propterea quòd omnium principium definitio eſt, idq; ſimplex, & quòd ſimplicibus ſolis conſequẽtia per ſe, aliíſq; per illa conueniunt. Diuiſiones autem quæ differẽtiarum ſunt, ad hoc efficiendum magnum adiumentum afferent: quæ quemadmodum rẽ demonſtrent, iam ſuprà diximus. Sed hoc modo tantum uſui eſſe poterunt ad rei naturam ratiocinatione concludendam, quanquam nihil prodeſſe uideri poßint, ſed omnia ſtatim ſumere, non aliter ac ſi quis ſine diuiſione ab initio ſumeret. Quid autem priore loco, quid poſteriore in definiẽdo dicatur, nonnihil intereſt. Vt dicamus ne animal cicur bipes, an bipes animal cicur. Si enim ex duobus conſtant omnia, & unum aliquid eſt animal bipes, rurſúſque homo ex hoc conſtat & differentia, aut quiduis aliud unum efficitur, is qui diuiſionem adhibuerit, principium petat neceſſe eſt. Propterea ita demum effici poteſt, ne quid prætermittatur in definitione. Cum enim primo loco genus ſumitur, ſi qua earum quæ infra ſunt, diuiſio adhibeatur, non totum genus in id conueniet, ueluti non omne animal eſt pẽnis perpetuis, aut diſtinctis, ſed id demum, quod eſt uolatile. Hæc enim eius differentia eſt. Animalis autem prima differentia eſt, in quam omne animal cadit. Eadem eſt etiam cæterorum ratio, & eorum generum quæ ſuprà ſunt, & eorum quæ infrà: aut auis differẽtia eſt prima, qua omnes aues: & piſcis ea, qua omnes piſces continentur. Ac is quidem qui ita perſequetur, intelligere poteſt, nihil eſſe prætermiſſum. Qui autem alio modo, is & neceſſario aliquid prætermittet, nec ipſe intelliget. Nec uerò is qui rem definiendo aperit aut diuidit, omnia quæ conueniunt, ſcire debet, quanquàm nonnulli ſunt in ea ſententia, ut dicant, fieri non poſſe ut differentias cuiuſq; rei cognitas habeat is, qui quamq; rem nõ habeat penitus cognitam, & ſine differentijs quamq; rem ſciri non poſſe. A quo enim nihil differat, idem quod illud eſſe: à quo autem differat, illud ab eo eſſe diuerſum. Quod primum falſum eſt. Neq; enim differentia omnis aliud & diuerſum facit, præſertim cum pleræq; differentiæ ijs conueniant, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, etſi non natura per ſe ac ui ſua. Deinde cum contraria quiſpiam ſumit, atque adeo differentiam, & omnia in hanc uel in illam partem conuenire, ſumítque id quod quæritur in altero reperiri, idq; probe nouit, nihil intereſt ſciat, an neſciat cætera omnia in quibus differentiæ intelligantur: perſpicuum eſt enim, ſi hoc modo perſequatur, perueniátq; ad ea, quorum iam nulla differentia ſit, eum inuenturũ, quæ rei naturam explicet definitionem. Omnia autem diuiſionem cõplexu ſuo continere, ſi ſint contraria, quorum nihil medium ſit, id minime poſtulandum eſt. Neceſſe eſt enim omnia in eo altero intelligi, ſi modo illius ſit futura dif-*

ferentia. Vt autē definitio diuiſione explicetur, tria quærere debemus: primum ea quæ in natura & eſſentia dicuntur ſumenda ſunt, deinde ſuo quicq; loco & ordine collocandum eſt, poſtremo hæc totam orationem complere debent. Horum primum ita efficietur, ſi quemadmodum ex accidente ſic ex genere aliquid conuenire docere poſſumus. Collocabuntur autem uerba ita demum ſuo quodque ordine, ſi id quod primum eſt, ſumetur: quod fiet, ſi id ſumatur quod omnium conſequens eſt, illius autem non omnia. Neceſſe eſt enim eſſe aliquid eiuſmodi. Eo autem ſumpto, iam eorum quæ infrà ſunt eadem ratio eſt. Secundum enim erit id quod cæterorum omnium primum erit, & tertium quod prius eſt iis quæ deinceps ſequuntur. Eo enim quod ſuprà eſt ſublato, primum erit quod adiunctum eſt cæterorum. Itémq; in cæteris. Omnia autem ſumpta eſſe perſpici licebit, ſi primam diuiſionem ſumamus: ueluti, Omnis res, aut hoc eſt, aut illud: eſt autem hoc. & rurſus totius differentiam, eius autem quod poſtremum eſt, iam non eſſe ullam differentiam: aut ſimul atq; data erit extrema differentia, hoc extremum à toto ſpecie minimè differre. perſpicuum eſt enim nec quicquam ſuperare, nam quæ in horum natura dicuntur ſumpta ſunt omnia, nec abeſſe. Aut enim genus eſſet aut differentia. Genus quidem certe id quod primum eſt, quódq; aſſumptum eſt cum differentiis, differentiæ autem omnes cohærent. neq; enim ulla iam poſterior relinquitur, præſertim cum ſpecie id quod poſtremum eſſet, differret, quod non differre dixi. Quærere autem debemus propoſitis nobis rebus ſimilibus nec differentibus, primum quid in omnibus idem reperiatur, deinde in diſſimilibus quænam eiuſdem cuius illa generis ſint, & eiuſdem inter ſe ſpeciei, ſed non eiuſdem cuius illa. Cum porrò in iis aliquid omnino idem ſumptum erit, & aliis eodem modo, tum rurſus uidendum erit, in iis quæ ſumpta ſunt,



ſunt, idémne reperiatur, dum in unam rationem uentum ſit. Ea enim erit rei definitio. Quòd ſi ad unam rationem non perueniatur, ſed ad duas aut etiam plures, perſpicuum eſt non unam rei propoſitæ naturam atque eſſentiam eſſe, ſed plures. Veluti exempli cauſa, ſi quid ſit magnitudo animi quæramus, ſpectare debemus quid magno animo homines nonnulli quos ſcimus commune habeant, quia ſint eiuſmodi. Vt ſi Alcibiades magno animo eſt, aut Achilles, aut Aiax: quid in omnibus unum & commune ſit: non poſſe perpeti contumelias. Ille enim dimicauit, alter ad inſaniam adactus eſt, tertius mortem ſibi ipſe conſciuit. Rurſus in aliis ut in Socrate aut Lyſandro hoc idem uidendum eſt, ſi eo quòd ii & cum ſecunda fortuna uſi ſunt & cum aduerſa ſemper æquo animo, eodémq; uultu fuerunt, hæc duo accipio, túmq; uideo quid idem in utriſq; reperiatur. In alteris reperio animi, in iis quæ fortuna affert, æquitatem & perturbationum uacuitatem: in alteris eorum quæ ignominiam & dedecus afferunt, intolerantiam. Si nihil reperiam, duo erunt magnitudinis animi genera. Semper autem omnis ad totum genus definitio accommodatur. Neq; enim medicus præſcribit quid alicui oculo ſalutem afferat, ſed aut omnem definit, aut genus.

CAP. XV.

Facilius eſt autem res ſingulas definire, quàm uniuerſas. Itaq; à rebus ſingulis ad uniuerſas ueniendum eſt: quandoquidem in rebus uniuerſis obſcuriores ſunt ambiguitates, quàm in ſimilibus. Quemadmodū autem demonſtrationibus cōcludendū eſt aliquid conuenire, ſic rem aperire & explicare debet definitio: quod ita fiet, ſi ex rebus ſingulis quæ cōmemoratæ ſunt id quod eſt uniuſcuiuſq; generis definire poſſis ſeparatim: ut quod ſimile eſt, non omne ſed coloribus & figuris: & acutum, id quod in uoce eſt: & ita ad id quod ge-

nerale eſt,ueniendum erit,ne qua ambiguitas incidat. Quòd ſi in diſputationibus metaphoris nullus locus eſſe debet,profecto nec eis utendum eſt in definitionibus,nec ijs omnibus quæ translationibus efferuntur.Sic enim in diſputationibus metaphoræ retinendæ erunt.

CAP. XVI.

AD ſuppeditandam uerò propoſitionum copiam neceſſaria eſt partitionum diuiſionumq; ſelectio, quæ ita adhibenda eſt,ut genus omnium commune proponatur. Vt ſi animalia propoſita ſint ad diſputandum, quæ in omne animal conueniant uidendum eſt.His autem ſumptis, rurſus obſeruandum eſt quænam cæterorum ex primo ſequantur. Vt ſi hoc ſit auis, quænam omnem auem comitentur, atq; ita ſemper proximum quicq; conſiderandum eſt: perſpicuum eſt enim nos ita deniq; quid ita conſequentia ijs quæ ſubiecta ſunt generali uocabulo conueniant, poſſe dicere. Veluti cur exempli cauſa,omni homini aut equo conueniant. Sit a animal, b ea quæ omnem hominem ſequuntur, c d e quædam animalia:perſpicuum eſt profectò cur b in d conueniat. Nam a cur conueniat cauſa eſt:atq; etiam idem cauſa eſt cur conueniat cæteris. Semperq; aliorum eadem ratio eſt. Ac nunc quidem ijs nominibus generalibus quæ tradita impoſitáque ſunt utimur. Non ſolum autem hæc obſeruanda ſunt, ſed ſi quid etiam aliud uideatur quod latè pateat & conueniat, id notandum eſt primum,deinde ex quibus illud ſit conſequens, quæq; ex illo.Veluti hæc duo,omaſum habere, & non utraq; ex parte dentes habere,ijs animalibus conuenit, quæ habent cornua:rurſus habere cornua quibus conueniat. Perſpicuum eſt enim,cur id quod dictum eſt in illis intelligatur,quòd ſcilicet cornua habent. Eſt etiam alia deligendi ratio, quæ ab analogia ducitur.Vnum enim & idem ſumi non poteſt quod ſepium ſpina & os appellandum eſt, cum interim quædam etiam



etiam horum ſint conſequentia quaſi una ſit quædam natura eiuſmodi. Eædem autem quæſtiones ſunt,partim quòd idem habent medium eandemq; cauſam. Vt omnia quorum cauſa eſt contrarij obiectio. Harum uerò aliæ ſunt eiuſdem generis,eæ quæ diſtinctiones habent, quia aliorum aut aliter ſunt.Vt cur ſonus editur?aut cur apparet? aut quæ ſit iridis cauſa?Hæc enim quæſtioni eiuſdem generis omnia ſubijciuntur. Omnium enim cauſa eſt refractio, ſed ſpecie differt. Eo uerò quæſtiones differunt, quòd medium & cauſa alij cauſæ ſubijciatur. Vt cur Nilus menſe extremo maiore impetu fluat?quia extremus magis hyemis naturam imitatur. Cur uerò extremus menſis propius ad naturam hyemis accedit? quia luna deficit. Atq; hæ quidem inter ſe affectæ ſunt quæſtiones.

CAP. XVII.

DE cauſa autem & eo cuius cauſa eſt,hoc quæret aliquis, num ex eo quòd res conuenit,conueniat etiam cauſa. Vt ſi folia decidant, aut luna deficiat,cauſa etiam ſit cur deficiat,& folia decidant. Veluti ſi hoc ſit, lata folia habere: illud terram interiectam eſſe.Si enim non conueniat, aliqua alia eorum cauſa erit.Si cauſa conueniat, ſimul etiam effectæ res conueniet.Vt ſi obiecta eſt terra,luna deficit: ſi quid lata habet folia,folia ei decidunt. Quod ſi ita eſt, tum ſimul erunt, tum uerò utrumq; ab altero demonſtrabitur.Sit a id cui folia decidunt, b id quod folia lata habet,c uitis:tum certè a in b conuenit,omne enim quod eſt latis folijs, folia amittit:b autem in c intelligitur, omnis enim uitis lata folia habet: & in c a dicitur, omnis enim uitis folia decidunt.B autem quod medium eſt uerbum, cauſa eſt. Atqui hoc etiam monſtrari docerique poteſt,uitem habere lata folia, ex eo quòd ei folia decidant.Si enim ponamus d eſſe id quod eſt latis folijs, c id cui folia decidunt, f uitis, profecto & in f, e

conuenit, uiti enim omni folia decidunt: & in e d, omne enim cui folia decidunt, lata habet folia: ex quibus efficitur omnem uitem lata folia habere. Cauſa autem eſt foliorum amißio. Quòd ſi ultro citróq; cauſæ eſſe non poſſunt ( cauſa enim prior eo eſt quod ipſa efficit ) & defectionis cauſa eſt terra obiecta, cur autem obiecta ſit terra, cauſa non eſt lunæ defectio: & ſi à cauſa ſumpta demonſtratio docet cur res ſit, ea autem quæ non ex cauſa ſumitur, probat rem cõuenire: profecto is qui hac utitur, terram obiectam eſſe ſcit, cur autem obiecta ſit, neſcit. Illud autem perſpicuum eſt, defectionem lunæ cauſam non eſſe cur terra obiecta ſit, ſed hoc defectionis. In ratione enim defectionis terræ interpoſitio cohæret. Ex quo perſpicuum eſt ab hoc illud, non hoc ab illo illuſtrari & aperiri. An unius plures cauſæ eſſe poßint? Etenim ſi idẽ in multis primò dici poteſt, poſitum ſit a in b primum conuenire, & in c primum aliud, atq; hæc in d & e: profecto a in d & e conueniet. In quo b ipſius d, & c e cauſa intelligitur. Ita fit, ut ſi cauſa ſit, neceſſe ſit rem eſſe: ſin res ſit, non neceſſe eſt omni eſſe quod cauſa ſit, ſed cauſam illam quidem ac non omnem. An ſi ſemper ad totum genus quæſtio accommodatur, cauſa etiam totum aliquid erit, & res effecta ad totus genus accommodabitur? Vt foliorum amißio in aliquo toto certo intelligitur, etiã ſi eius ſint ſpecies, atq; in his uniuersè ac omnino etiam quæ è terra gignuntur, aut in rebus quæ gignuntur è terra huiuſmodi. Itaq; medium uerbum in his & res effecta æquè patere reciprocaríq; debent. ueluti ſi quæratur uerbi cauſa cur arborum folia decidant, & cauſa ſit humoris copia: ſiue arboris folium decidat, humoris copia ineſſe debet: ſiue humoris copia in quolibet inſit, certè arboris folia decident. Vtrum autem poteſt non eadem cauſa eſſe eiuſdem rei omnibus, ſed alia, nécne? an ſi per ſe demonſtrata ſit res, non ſignis aut conſequentibus & accidentibus non poteſt?





teſt? Ratiò enim extremi uerbi medium eſt uocabulum. quòd ſi ita res non habeat, poteſt. Poteſt autem res effecta, ex conſequentibus & accidentibus ſpectari, ſed hæ quæſtiones non uidentur eſſe: alioqui medium uerbum eodem modo affectum erit: ſi homonymæ & ambiguæ ſint quæſtiones, medium erit homonymum. Si uerò ad aliquod genus pertineat, medium etiam pertinebit. Vt ſi quæratur, cur uicißim aliquid analogum eſt, eandémq; rationem habet. Alia eſt enim ratio linearum, alia numerorum: ac idem quidem quatenus linea, aliud: quatenus acceßionem hanc talem habet, idem habetur: itémq; in omnibus. In hac autem comparatione, ſimilem eſſe ut colorem colori ſic figuram figuræ, dißimilia comparantur. Similitudinis enim in his ambiguum eſt uocabulum. In figuris enim analogia eſt paria habere latera & pares angulos. In coloribus autem ſenſum eſſe unum aut aliquid generis eiuſdem. Quæ autem proportione eadem ſunt, medium etiam habebunt proportione. Quod ita eſt propterea quòd conſequentia ſunt alia aliorum, & cauſa & cuius cauſa & cui cauſa eſt. Verumtamen ſi res ſingulas ſumamus, id cuius cauſa eſt patet latius. Vt quatuor pares habere eos qui extrinſecus ſunt, latius patet, quàm triangulum aut quadratũ: æquè autem ac omnes patet: quæcunq; enim dabuntur quatuor rectis eos qui extra ſunt pares habere angulos, medium etiam uerbum eodem modo. Eſt autem medium uerbũ primi ratio. Itaq; omnis ſcientia definitione gignitur, ueluti foliorũ amißio ſimul uitem comitatur ac ſequitur, atq; etiam ſuperat ad aliáq; transfertur, ficum etiam tum ſequitur, tum antecedit ac ſuperat, quanquàm non omnes, ſed eas adæquat. Quòd ſi primum medium uerbũ cauſamq́; ſumas, amißionis foliorũ ratio erit & definitio. Erit enim primũ in altero mediũ uerbũ, eiuſmodi eſſe omnia: deinde huius medium, ſuccũ cogi & concreſcere, aut aliquid aliud eiuſdẽ generis. Quid eſt folijs

priuari? quæret aliquis, eſt ſuccũ in ſeminis coniunctione concreſcere. In figuris autẽ ſi quis requirat cauſæ & effectus eius conſequentiam, explicabitur hoc modo: Sit poſitum a omni b conuenire, & b unicuiq; eorum quæ ſub d ſubiecta ſunt, ita tamen ut in alias res transferatur: profecto b omni ex parte ijs conueniet quæ ſub d ſubijciuntur. Id enim omni ex parte cõuenire dico, quod non reciprocatur, primũ autẽ omni ex parte & uniuerſè conuenire, quòd quidẽ & res ſingulæ ſeparatim non reciprocantur, uniuerſæ autem reciprocantur, nec latius patent. Ita ijs quæ ſub d ſubijciuntur, cur ſit a, b cauſa eſt. Ex quo efficitur, a ad plura, quàm b pertinere. Sin minus, cur potius hoc quàm illud cauſa erit? Si igitur a omnibus ijs quæ e complectitur, conuenit, illa omnia aliud, aliud b erit. Si enim non ſit, quo tandem pacto licebit dicere, cui e conueniat, ei omni a: & cui a, ei non omni e conuenire? Quid enim cauſæ erit quamobrem nõ ſit aliqua cauſa? ueluti a omnibus conuenire quæ b d ſubiecta ſint? Sed num ea etiam quæ ſub e ſubijciuntur, unum aliquid ſint, quæret aliquis. Hoc conſyderandum eſt, ſitq; c: ex eo certè efficitur, eiuſdem plures eſſe cauſas, ſed non ijs quæ ſint eiuſdem ſpeciei. Veluti in quadrupedibus, diuturnæ uitæ cauſa eſt bilis uacuitas, in auibus autem ſiccitas, aut aliquid aliud. Si uerò ad indiuiduum non ſtatim progrediãtur, nec unũ tantum ſit medium uerbum ſed ad plura, plures etiam cauſæ erunt. Vtrum autem cauſa erit rerum ſingularum? ídne medium uerbum quod ad primum genus, an quod ad res ſingulas pertinet? quæret quiſpiam. Non eſt id quidem dubium, quin cuique cauſa ſit, ut quicque ei proximum eſt, præſertim cum hoc cauſa ſit cur primum ſub totum genus ſubijciatur, ueluti c cauſa eſt cur in d a conueniat, c igitur cauſa eſt cur in d a intelligatur: cur autem in c, b: cur in hoc, idem cauſa eſt. Ac illud quidem perſpicuum eſt, quid ſit ratiocinatio, quid





demonſtratio, & ex quibus utraque conſtet. Itémque ſcientia demonſtratione comparata. Neque enim differt.

CAP. XVIII.

PRincipia autem quemadmodum perſpicua fiant, quæq; ſit affectio qua illuſtrentur, ita ex ijs quæ deinceps dicemus perſpicietur, ſi primum ponamus quæſtionem. Illud quidem ſupra docuimus, non poſſe locum eſſe ſcientiæ quam demonſtratio efficiat, niſi primis principijs ijs quæ ratione doceri non poſſunt, cognitis. Eorum autem quæ medio cauſaq; carent, ſitne eadem cognitio nécne, quærat aliquis: & utrum utriuſque ſcientia ſit nécne, an unius ſit ſcientia, alterius autem ſit aliud genus: & utrum habitus cum non inſiti ſunt ingenerentur in nobis, an cum inſiti ſunt lateant. Alienum quidem eſt eos eſſe in nobis. Sic enim fit ut cognitiones ac notitiæ in nobis ſint demonſtratione certiores, ídque ignoremus. Quòd ſi percipimus habitus, cum eis antea præditi non eſſemus, quo tandem pacto cognoſcemus ac diſcemus ex non antecedente notitia? fieri enim non poteſt, quemadmodum in demonſtratione diximus. perſpicuum eſt igitur, nec haberi poſſe, nec ingenerari notitiam in ignorantibus, iiſque omnibus qui nulla ſint affectione præditi. Neceſſe eſt igitur uim quadam ineſſe, non tamen eiuſmodi, quæ ſit his propter certitudinem præſtantior. Quod in animalibus omnibus ineſſe perſpicitur. Habent enim uim quandam innatam ad iudicandum, quæ uis ſentiendi uocatur. Cúmque inſit uis ſentiendi, nonnullis animalibus ſedes ſenſus ingeneratur, alijs non innaſcitur. Quibus non ingeneratur aut omnino, aut in quibus non ingeneratur, in ijs præter ſenſum cognitio nulla reperitur. In quibus autem non ineſt cum ſentiant, ea quiddam in animo habent. Cum autem multa eiuſmodi exiſtunt, tum denique diſsimilitudo quædam ac diſtinctio conſequitur, ut in nonnullis ratio ex horum memoria naſcatur, in alijs non na=

ſcatur. Ac ex ſenſu quidem, ut dicimus, memoria naſcitur, ex memoria autem eiuſdem rei ſæpe repetita, experientia. Multæ enim numero recordationes una experientia eſt: ex experientia, cum aut uniuerſum genus in animo ſitum eſt omnino, aut unum ex multis, quod in omnibus rebus ſingulis unum idémque ualet, id artis principium eſt & ſcientiæ, ita tamen, ut ſi in rebus quæ oriuntur, uerſetur, artis: ſi in eo quod eſt, ſcientiæ principium uocetur. Non igitur diſiuncti ſecretique habitus inſunt, nec ex alijs habitibus magis perſpicuis notioribúſque oriuntur, ſed ex ſenſu. Vt in pugna cum fuga capeßitur, ſi unus reſiſtat, alter reſiſtet, deinde alius, dum ad ducem uentum ſit. Animus autem eiuſmodi eſt qui hoc pati & accipere poßit. Sed quod ſupra dictum eſt nec ſatis apertè dictum eſt, de eo iterum dicamus. Cum enim unum eorum quæ non ſunt dißimilia perceptum eſt, primum quod animo percipitur uniuerſum genus eſt. Etenim res ſingulas ſenſus percipit, ſenſus autem rerum eſt uniuerſarum: ut hominis, non Calliæ hominis. Rurſus in his inſiſtitur, quoad ea percepta ſint, quæ in partes diuidi non poſſunt, & res uniuerſæ. ut à tali animali ad animal fit progreßio: & in hoc eodem modo. perſpicuum eſt igitur principia à nobis neceſſario cognoſcenda eſſe inductione, quippe cum ſenſus hoc modo rei uniuerſæ notionem efficiat. Quoniam autem eorum habituum, qui ratione ſiti ſint quibúſque uerum enũciamus, partim ſemper ueri ſunt, partim falſum recipiunt, ut opinio & cogitatio: uera autem ſunt ſemper ſcientia & intelligentia, aliúdque genus nullum ſcientiæ certius quàm intelligentia eſt, & principia demonſtrationibus notiora eſſe debent, omniſque ſcientia cum ratione eſt, ſcientia eſſe principiorum nullo modo poteſt. Quoniámque nihil uerius ſcientia, quàm intelligentia eſſe poteſt, intelligentia principiorum ſit neceſſe eſt. quod hinc etiam intelligi poteſt, quia cum initium demon

mon



ſtrationis, non ſit demonſtratio: nec ſcientiæ principium, ſcientia erit. Quòd ſi certè & nullum genus uerum eſt præter ſcientiam, intelligentia principium erit quam etiam rationem ad rem totam omnia principia habebunt.

# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER PRIMVS.

*

## CAP. I.

HOC nobis loco propoſitum eſt uiam atq; rationẽ inuenire, qua & de omni quæſtione propoſita, probabili argumentatione poterimus diſſerere: & nihil repugnãs, ſi quid in diſputationibus defendamus, aſſeremus. Ac primũ quidem quid ſit ratiocinatio dicendũ eſt, quæq; eius genera, ut ratiocinatio dialectica, quoniã hoc ſermone eam inueſtigamus, quid ſit intelligatur. Eſt igitur Ratiocinatio, oratio in qua quibuſdam poſitis aliud quiddam, quàm quæ poſita ſunt, ex ijs ipſis quæ poſita ſunt, efficitur neceſſario. Demõſtratio autem eſt, cum ex ueris & perſpicuis concluſio eſt, aut certè ex eiuſmodi quæ à quibuſdã perſpicuis & ueris cauſam cognitionis ſumũt. Dialectica uerò ratiocinatio eſt, quæ ex probabilibus cõcluditur. Vera quidem ſunt & perſpicua ea, quæ non ab alijs, ſed à ſe ipſa fidẽ habent. Neq; enim initiorum ac principiorũ, quæ ſci

entia

entiam gignunt quærenda ratio eſt, eáque omnia per ſe ipſa perſpicua eſſe debent. Probabilia autem ſunt quæ probãtur, aut omnibus, aut plurimis, aut certè ſapientibus: atq; ijs uel omnibus, uel plurimis, uel ijs quorũ ſpectata eſt & perſpecta ſapientia. Fallax autem & certandi ſtudio cõparata ratiocinatio eſt, quæ ex ijs progreditur, quæ probabilia uidẽtur, nec ſunt: aut quæ ex probabilibus, uel quæ probabilia uidentur, exiſtit. Non enim omne quod probabile uidetur, etiã probabile eſt: quandoquidẽ nihil eorũ quæ habẽtur probabilia extrinſecus & quaſi ſpecię prima, tale exiſtit omnino. Id quod initijs concluſionũ fallacium ſolet contingere. Celeriter enim ac ſæpe ijs etiã qui parua cernere poſſunt, his in rebus falſi natura ſe offert & oſtendit. prior igitur ratiocinationum earum quas fallaces & ſtudio certãdi cõparatas eſſe diximus, etiam ratiocinatio uocetur. Altera fallax ratiocinatio non omnino ratiocinatio dicatur, quoniam cõcludere uidetur, neq; concludit. Sunt etiam præter eas ratiocinationes, quas expoſuimus fallaces concluſiones, quæ ex proprijs initijs nonnullarum artium efficiuntur & conſtant, quod fit in Geometria aliiſque quæ huic finitimæ ſunt. Nam inter genus hoc & ſuperiora aliquid intereſt. neq; enim ex ueris & primis, neq; ex probabilibus progreditur is, qui falſa deſcriptione utitur. Non enim in definitionem incurrit, quoniam nec ſumit quæ probãtur omnibus, nec quæ plurimis, nec quæ ſapiẽtibus: atq; his, nec ea quæ omnibus, nec quæ pluribus, nec quæ probatis: ſed ex proprijs ſcientiæ ſumptionibus, non ueris, quod uult efficit. Nam quia ſemicirculos deſcribit, non quẽadmodũ deſcribendi ſunt, aut lineas ducet, non quomodo ſunt ducendæ, eo falſam concluſionem efficit. Ac ratiocinationum quidem genera hæc ſunt, à nobis planè ac pingui quadã Minerua expoſita. Nam & de ijs quæ iam diximus, & de ijs de quibus deinceps dicturi ſumus, ſummatim quidem hæc hactenus. Siquidem de ijs

non



non eſt huius inſtituti ſubtiliter & accuratè diſputare, ſed planè, quantumq́; ſatis eſſe duximus ad ſimplicem eorum cognitionem, quam à nobis hæc poſtulat diſputatio.

## CAP. II.

SEquitur ut deinceps ad quot quasq́; res inſtituti noſtri ratio conducat, diſſeramus. Tria autem ſunt, quorũ primum exercitatio eſt, alterũ congreſſus, tertiũ philoſophiæ ſcientia. Atq; ad exercitationem quidẽ magnum eam adferre adiumentum hinc perſpici licet, quòd ſi uia & ratione inſtructi ueniemus ad diſputandum, facilius de re propoſita diſſerere poterimus. Ad congreſſus autem & colloquia, quòd multorum enumeratis expenſisq́; ſententijs, non ex alienis & longe petitis, ſed proprijs aptisq́; locis ſermonem depromemus, quem cum ipſis conferamus. Ita ſi quid minus præclare nobis uidebuntur dicere, id facile refellemus. Ad philoſophiæ autem rationem, quod facultate in utrãque partem de re quaque diſputandi inſtructi facilius in quaque re quid uerum ſit, quid falſum, perſpiciemus. Atq; etiam ad prima initia omniũ artium cognoſcenda, in hac arte uis maxima eſt. Nam quoniam principijs quæ propria artis eius ſunt de qua agitur, adhibitis, de ijs ipſis nihil dici poteſt, nec concludi (ſunt enim ſua cuiuſque artis prima & perſpicua principia) certè ijs omnibus quæ in quaq́; probabilia ſunt utamur neceſſe eſt, ſi quid de his exponere uelimus: quod dialecticæ proprium eſt uel maxime. Cum enim hæc, ratio ſit quædã indagatrix, ad omnia omnium rerum quæ uia & ratione progrediuntur principia, uiã aperit. Sed huius rei tum demum perfecta in nobis erit ratio, cum id accidet nobis quod ijs qui arte rhetorica, medicina, cæteriſque artibus ſunt præditi, id eſt, cum ex ijs quæ in noſtra erunt poteſtate efficiemus quæ uolumus. Neque enim uel orator omnibus modis perſuadere ſolet, uel medicus curationem adhibere: ſed ſi nihil prætermittat eorum quæ adhibere poſſit,

ſit,

ſit, tum denique & peritum eum & artificem iudicamus.

CAP. III.

PRimum igitur ex quibus hæc conſtet ratio, uideamus. Quod ſi expoſuerimus, quot quibúſq; de rebus omnis inſtituatur diſputatio, ac ex quibus conficiatur, & quemadmodum ea omnia nobis ſuppetent, facile quod uolumus conſequemur. Sunt autem numero paria, & ea ex quibus ſermones conſtāt, & ea in quibus ratiocinationes uerſantur. quippe cū ſermones ex propoſitionibus cōficiantur, & ratiocinationes ducantur à quæſtionibus. Omnis autem propoſitio omníſque quæſtio aut genus declarat, aut proprium, aut accidens. Nam differentia, quia generi attribuitur, in eodem, in quo genus, numero reponenda eſt. Quoniamq; proprium aliud eſt quod rei naturam explanat, aliud quod non explanat, diuiſum ſit proprium & diſtributum in partes has duas, appelletúrque unū, id quod rei uim & naturā declarat, Definitio. Alterum communi nomine quod habuit, uocetur Propriū. Ex quo perſpicuum eſt, quatuor omnia fieri ut diuiſimus, uel propriū, uel definitionē, uel genus, uel accidens. Neq; uerò dictum uelim hæc omnia per ſe aut propoſitionē efficere, aut quæſtionem: ſed hoc dico, ex his omnibus & quæſtiones conſtare, & propoſitiones. Differt autem ratione quadam propoſitio à quæſtione. Nam ſi quæratur hoc modo: An ſit animal gradiens bipes, definitio hominis? aut, ſitne animal hominis genus? propoſitio eſt. Sin hoc modo, Sitne animal gradiens bipes definitio hominis, nécne? quæſtio eſt quod idem in cæteris contingit. Pari igitur numero inter ſe reſpondent & propoſitiones & quæſtiones, præſertim cum ex omni propoſitione ſi rationem dicendi mutes, quæſtionem facere poſſis.

CAP. IIII.

NVnc dicendū eſt, quid ſit definitio, quid genus, quid proprium, quid accidens. Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur explicat quid ſit, adhibetur autem aut oratio pro nomine, aut pro oratione oratio. poſſunt enim quædā etiam orationi ſubiecta quæ quid declarant & ſignificant, definiendo aperiri. Qui autem quoduis nomen ad rem definiendam adhibent, ij profectò rei definitionem non explicant: quandoquidem omnis definitio oratio eſt. attamen hoc referēdum eſt ad definitionē, ut honeſtum eſt quod decet. Itemq; hoc, utrum idem ſit ſenſus & ſciētia, an aliud, definitioni attributum eſt. In definitionibus enim idémne ſit an alterum multus uſus eſt. Ad definitionemq; pertinent ea omnia quæ ſubiecta ſunt uiæ & rationi eidem, cui definitio. Atque hæc omnia talia eſſe ex hoc intelligi poteſt, quòd ſi poſſumus quid idem ſit, quid aliud diſſerere, magna nobis de definitionibus diſputandi ſuppetet copia. Nam ſi non idem eſſe oſtendemus, definitionē infirmabimus, quāquam non id retro commeat. Non enim ſatis eſt ad conſtruendam definitionē, idem eſſe docere: ad euertendam autem ſatis eſt, non eſſe idem oſtendere. Proprium autem eſt, quod quid ſit res non explicat, in ſolóque ineſt, & uiciſſim de re dicitur. uelut hominis proprium eſt natū eſſe ad percipiendam grammaticam. Si enim homo ſit, uim habet ad percipiēdam grammaticam: & ſi quid ſit quod uim ad percipiendam grammaticam habeat, homo. Neque enim quiſquam id proprium eſſe dicat, quod in aliam rem transferri poteſt: ut dormire hominis proprium non eſt, etiamſi ad quoddam tempus in ſolum hominem cadat. Sed ſi quid tale proprium dicatur, non omnino, ſed ad quoddam tempus, aut ad aliquid collatum proprium appellabitur. Nam à dextra eſſe proprium eſt, interdum & bipedē eſſe proprium eſt, quod cum aliquo confertur: ut hominis proprium eſt ad æquum & canem. Atq; nihil eorum quæ in alio ineſſe poſſunt uiciſſim dici hinc perſpici licet, quòd non eſt neceſſe ſi quid aliud dormiat, id eſſe hominem. Genus autem id eſt, quod de pluribus, ſpecie autem diff

differentibus dicetur in quæſtione qua quid ſit res quæritur. In quæſtione autem qua quid quicque ſit quæritur, ea dicuntur omnia, quibus accommodatè & aptè reſpondent qui rogantur quid ſit de quo agitur. Vt ſiquis rogetur quid ſit homo, apte reſpondebit, animal. Generi etiam illud attributum eſt, ſitne aliquid in eodem genere in quo aliud, an in alio. hoc enim ad eundem locum, ad quem genus, referẽdum eſt. Nam ſi animal genus hominis eſſe demonſtrauerimus, bouis etiam certe oſtenderimus, quoniam in eodem ſunt genere: & ſi alterius eſſe genus docuerimus, alterius non eſſe, ea nõ ad idem genus docuerimus pertinere. Accidens eſt, quod nihil horum eſt, nec genus, nec definitio, nec proprium, rei autem conuenit: & quod cadere poteſt in rem unam aliquam, & in eandem non cadere. uelut ſedere & conuenire eidem, & non conuenire poteſt. Itémque id quod album eſt, quoniam nihil prohibet eundem aliàs album eſſe, aliàs non album. Harum autem accidentis definitionum uerior eſt & aptior ſecunda. Siquidem priore propoſita, & conſtituta, ſiquis eam ſit intellecturus, is antè quid definitio ſit, quid genus, quid proprium ſciat neceſſe eſt: at poſterior ſatis ipſa per ſe plena & perfecta eſt, ut quid ſit accidens per ſe intelligatur. Accidenti attributæ ſunt rerum omnium inter ſe comparationes, quæ ab accidente ducuntur: ut utrum expetendum magis, quod honeſtum eſt, an quod utile? & utra uita ſuauior, eáne quæ uirtute, an quæ uoluptate dirigitur? & ſi quid aliud eodem modo dicitur. In iis enim omnibus utri id de quo agitur magis conueniat, quæritur. Ex quo perſpicuum eſt, accidens ad quoddam tempus, & cum aliquo collatum proprij nomen obtinere poſſe. ueluti ſedere, quod eſt accidens, ſiquis ſolus ſedeat, tum ad tempus proprium erit: & ſi ſolus quis ſedeat, etiam erit proprium ad eos qui non ſedent. Ita nihil prohibet accidens ad quoddam tempus & cum aliquo collatum, uim proprij ac nomen obtinere, cum interim omnino non ſit futurum proprium.



CAP. V.

ILlud autem ignorare non debemus, ea omnia quæ ad proprium, quæ ad genus, quæ ad accidens referuntur, attribui etiam definitionibus poſſe. Nam ſi demonſtrauerimus non ſoli ei conuenire quod ſubeſt definitioni, ut in proprio: aut non eſſe in definitione genus id quod datum eſt, aut non ineſſe ulli eorum quæ in definitione continentur: quod etiam in accidẽte dici poteſt: certè definitionẽ euerterimus. Ita quemadmodum iam dixi, quæ enumerauimus quodãmodo, ſub definitionem cadunt omnia. Nec uerò ob eam cauſam in his omnibus uia & ratio una generalis quærenda eſt. Non enim hoc inuentu facile eſt: & ſi inuentum ſit, tamen incertum erit omnino, nec magnum adiumentum ad id quod quærimus adferet: at ſi propria eorum ſigillatim uia tradatur, facilior ex iis quæ ſingulorum propria ſunt, de re propoſita erit explicatio. Itaq; ſummatim & planè, ut antè dixi, facienda partitio eſt. Tum ſua cuiq; & aſsignanda & tribuenda, quæ eadem generi & definitioni attributa dicimus. Quanquam ferè quæ expoſita ſunt, apta ſunt ſingulis.

CAP. VI.

PRimum autem omnium de eodem diſſerendum eſt, quot modis dicatur: tripertito autem, ut planius dicam, diſtributum eſt. Aut enim numero, aut ſpecie, aut genere idem ſoliti ſumus dicere. Ac numero quidem eadem ſunt, quorum & nomina plura & res una eſt, ut ueſtimentum & ueſtis. Speciei autem eiuſdem ſunt ea quæ multa ſunt neq; ſpecie differunt, ut duo homines, ut duo equi. Ea enim eiuſdem ſpeciei dicuntur, quæ eidem ſpeciei ſubiecta ſunt. Itemq; eiuſdem generis ſunt ea, quæ eidẽ generi ſubijciũtur, ut homo & equus. Aqua autem quæ ab eodem fonte manat, eadem dici alio mo-

do atq; ſuperiora,uidebitur: ſed tamen in eodem genere numeranda eſt,in quo ea quæ unius ſpeciei quoquo modo habentur,præſertim cum cognatione quadã & ſimilitudine hæc inter ſe cõiuncta ſint omnia. Siquidem aquæ omnes quòd ſimilitudinem quãdam inter ſe habeant, eiuſdem ſpeciei ſunt: & aquæ ab eodem fonte fluentes quæ eædem dicuntur, non alia ratione differunt,niſi quòd excellentior ſit & maior ſimilitudo. Itaq; non ab ijs hoc genus ſeiungimus, quæ eadem quoquomodo ſpecie continentur. Conſtat autem inter omnes, id quod eſt unum numero,idem appellari uerißimé. Idq; ſolet in multas partes tribui: quarum prima eſt,& maximè propria ea,qua aliqua eodem nomine uel definitione explicantur: ut ueſtimentum & tunica,ut animal gradiens bipes & homo. Secundo loco ea quæ eiuſdem ſunt proprietatis,cuius generis eſt hoc totum quod uim habet ad cognitionem percipiendam,& homo: & quod ſublime natura fertur & ignis, eadem ſunt proprietate. Tertio loco cum id ab accidentibus naſcitur,ut quod ſedet, quódq; muſica præditum eſt, idem eſt quod Socrates. Vnum enim numero hæc declarare omnia, ex ijs qui nominum mutationem faciunt, intelligi poteſt. Sæpe enim ſi quem euocari iubemus nominatim, neque is intelligit cui iubemus, alio tũ nomine utimur, quaſi facilius ex re aduentitia ſit intellecturus, ideóq; uel ſedentem, uel diſputantẽ ad nos accerſiri iubemus. Ex quo perſpicuũ eſt,idem exiſtimare nos accidente declarari,quod nomine. Idem igitur tribus modis,ut expoſitum eſt,dicitur. Omnem autẽ diſputationẽ de ijs omnibus haberi & tractari, primùm ex hac inductione perſpici licet. Si quis enim unãquamq; propoſitionem & quæſtionẽ perſpiciat & conſideret,is certè uel ex definitione,uel ex proprio,uel ex genere,uel ex accidente eã conſtare animaduertet. deinde id ratiocinatione hac concludi poteſt. Quidquid enim de aliquo dicitur,id neceſſe eſt reciprocari,

cari,



cari,uel non reciprocari. Si reciprocatur, definitio erit, uel proprium. Nam ſi naturã rei explicet,definitio: ſi non explicet,proprium erit: præſertim cum proprium id eſſe definierimus,quod uicißim diceretur, neq; rei uim naturámq; explicaret. Sin minus ipſum & res reciprocentur, aut in ijs eſt quæ in definitionem incluſa de ſubiecto dicuntur,aut non. Si in ijs quæ in definitione comprehenſa de ſubiecto dicuntur, aut genus,aut differentia ſit neceſſe eſt. quandoquidem è genere ac differentijs omnis definitio eſt. Si non eſt in ijs quæ in definitione continentur,profectò accidens ſit neceſſe eſt; ſiquidem accidens id eſſe definiuimus, quod nec definitio eſt, nec genus, nec proprium, rei autem accidit. Deinceps categoriæ exponendæ ſunt, ad quas eæ quatuor rerum quas diximus diſtinctiones differentiæq; referuntur. Sunt autem numero decem: ſubſtantia, quantitas, qualitas, ea quæ cum aliquo conferuntur, ubi, quando, ſitum eſſe, habere, facere, pati. Semper enim ad unam harum decem, accidens, genus, proprium, & definitio pertinent: ut neceſſe ſit omnes quæ ex his conſtabunt propoſitiones & quæſtiones,aut ſubſtantiam, aut qualitatem,aut quantitatem, aut aliquam aliam categoriam indicare. Id autem quod ſubſtantiam declarat, interdum ſubſtantiam ſignificare,interdum qualitatem, interdum aliam categoriam,ex hoc perſpici poteſt, quòd cum propoſito homine aliquis dicit,id quod propoſitum ſit eſſe hominem aut animal, is & naturam dicit, & ſubſtantiam explicat: cúmq; propoſito & conſtituto colore albo, dicit id de quo agitur,colorem album eſſe, naturam & ſubſtantiam declarat explicátq; qualitatem. Itémq; ſi propoſita magnitudine unius cubiti, id confirmet, de quo agatur, magnitudinem eſſe unius cubiti ſubſtantiam dicit, & quantitatem indicat. Quod idem in cæteris contingit. Siue enim idem de ſe dicatur,ſiue genus in eodem, naturam ſubſtantiámque declarat.

Sin de alio, non naturam iam, ſed uel qualitatem, uel quãtitatem, uel aliquam aliam categoriam indicat. Quare hæc tot ſunt de quibus omnis inſtituitur diſputatio. Sequitur ut quemadmodum propoſitiones eligamus, quibusq́; rebus hæc nobis facultas ſuppeditabitur, doceamus.

CAP. VII.

PRimum igitur exponendum eſt quid ſit Propoſitio Dialectica, quid Quæſtio Dialectica. Neq; enim propoſitio quæſtioq́; omnis dialectica putanda eſt, præſertim cum nemo, qui quidem mentis ſuæ ſit, proponat ad diſputandum, quod probetur nemini, neque id quærat quod perſpicuum ſit omnibus, aut plurimis: quandoquidem hæc nullam dubitationem habent, de illis diſputare nemo uelit. Eſt autem propoſitio dialectica, interrogatio probabilis, quæ non ſit contra opinionem uel omnium, uel complurium, uel ſapientum: ac ſapientum, aut omnium, aut permultorum, aut eorum quorum maximè perſpecta eſt & ſpectata ſapientia. Ponere enim licet quod ſapientibus probetur, dummodo maximæ partis ſententijs minimè repugnet. Pertinent etiam ad propoſitiones huius generis ea omnia & quæ ad probabilium ſimilitudinem accedunt, & quæ contraria ac diſparata ijs ſunt quæ probabilia uidentur, omnesq; ſententiæ quæ ijs artibus quæ inuentæ ſunt, congruunt & conſentiunt. Nam ſi hoc probabile eſt, eandem in contrarijs artem uerſari: etiam illud, eidem ſenſui ſubiecta eſſe contraria, probabile uideatur. Et ſi unam numero grammaticam eſſe, tibiarum etiam artem unam eſſe probabile erit. Sin plures grammaticæ, plures etiam artes eſſe tibiarum. Hæc enim ſimilia & cognata ſunt omnia. Itemq́; ea quæ probabilibus contraria ſunt modo diſparatorum, ſi proponantur, probabilia uidebuntur. Si enim hoc probabile ſit, Afficiendos eſſe beneficijs amicos: Illud etiam probabile erit, De amicis non eſſe male merendum. Atqui contrarium eſt, male merendum eſſe de amicis: diſparatum uerò non eſſe malè merendum. Similiter, ſi de amicis bene merendum ſit, de hoſtibus non eſt bene merendum: quod in numero eorum contrariorum eſt quæ diſparata dicuntur. Contrarium enim eſt, Bene merendum eſſe de hoſtibus. Eadem eſt ratio cæterorum. Ex ſimilitudine etiam probabile exiſtet, contrarium de contrario. Si enim de amicis bene merendum eſt, de inimicis etiam male. quorum illud, Bene de amicis merendum eſt, contrarium eſt huius, De inimicis male merendum eſt. Vtrum autem id uere dicatur, nécne, deinceps cum de contrarijs diſſeremus, docebimus. Hoc autem perſpicuum eſt, ſententias omnes quæ artibus conſentiunt, propoſitionibus ijs quæ dialecticæ ſint, attribui oportere. Licet enim ea proponere omnia, quæ probantur ijs qui in illis artibus uerſati ſunt: ueluti ea quæ medicina tractat, ut medici: ea etiam quæ geometria continentur, ut geometræ officio fungamur. Quod de alijs iudicandum eſt eodem modo.



CAP. VIII.

QVæſtio autem dialectica, eſt quæſtio aut ad expetendum & fugiendum, aut ad ueritatem cognitionemq́; pertinens, uel per ſe, uel adiumentum afferens ad aliquid aliud eius generis: de qua aut neutram in partem, aut contrà plerique ac ſapientes ſentiunt, aut ſapientes contrà ac plerique, aut utrique ipſi ſecum diſcordant. Sunt enim quæſtiones quædam ad perſequendum quid & declinandum: cuius generis hæc eſt, Vtrum uoluptas bonum eſt nécne? Aliæ ſunt ſolum cognitionis & ſcientiæ, ut ſi quæratur, Sit, nécne ſit mundus ſempiternus? Quædam ipſæ per ſe ad neutrum horum ualent, habent tamen uim ad id efficiendum. Multa enim ſunt, quæ per ſe ad cognoſcendum nos non mouent, niſi aliorum cauſa, ut per ea alia diſcamus. Sunt etiam quæſtio-

nes,ex quibus ratiocinationes contrariæ conficiuntur. Vtrum enim ſic,an ne ſecus ſit,quæſtio eſt,propterea quòd in utranque partem rationes probabiles ſuppetant, & de quibus, quia magna & ardua ſunt,diſſerere non poſſumus, rati difficilem eſſe cauſæ explicationem. quo ex genere hæc eſt,utrum mundus æternus eſt,nécne? id enim incidere poteſt in diſputationem. Ac Propoſitio quidem & Quæſtio expoſitæ ſunt. Propoſitum autẽ,ſententia eſt admirabilis, contráq; opinionem omniũ,alicuius eorum quorũ in Philoſophia illuſtris eſt & peruagata fama. ueluti,non poſſe contradici, ut placet Antiſtheni. uel, Moueri omnia, Heracliti ſententia. uel, Vnum eſſe omnia, quemadmodum ait Meliſſus. ( Nam curare quæ quiſque contra opinionem & ſententiam omnium afferat, amentia eſt) aut ea de quibus cum ſint contra opiniones, diſputamus. quale illud eſt, Non omne quod eſt, aut natum eſſe aut ſempiternum, ut ſophiſtis placet. Eum enim qui muſicus ſit eſſe grammaticum, cum neq; natus ſit, neq; ſempiternus. Id enim etſi uni alicui non probatur, tamen probabile uidetur, quòd ratio & argumentatio probabilis in promptu ſit. Ac propoſitum quidem, etiam quæſtio eſt, non omnis quæſtio propoſitum: quandoquidem nonnullæ quæſtiones ſunt eiuſmodi,de quibus neutram in partem ſunt ſententiæ. Propoſitum autem eſſe quæſtionem hinc perſpici poteſt, quòd neceſſe eſt, ut dixi, aut multos de propoſito à ſapientibus, aut quoquo modo à ſe ipſis diſſentire, quippe cum propoſitum ſit, ſententia contra opinionem omnium. Quanquam autem omnes ferè dialecticæ quæſtiones hodie propoſita uocantur, tamen nihil referet quocunque nomine utamur. Neq; enim hæc ita diſtinximus quaſi nomina conſtruere uelimus,ſed ut ne ignoraremus quæ ſit eorum diſtinctio. Nec uerò omne propoſitum omnémue quæſtionem nobis ad diſputandum proponere debemus, ſed de



de qua quærat aliquis eorum, qui rationem deſyderent, non pœna digni ſint, aut ſenſu careant. Nam & qui quærunt, Sint,nécne ſint dij colendi,& amandi parentes, ſupplicio coercendi ſunt: & qui, ſitne alba nix nécne, ſenſu carent. Nec de ijs etiam quæſtionibus, & propoſitis diſputare debemus quorum fides uicina eſt, & facilis explicatio, aut nimium remota & difficilis: quoniam illa nullam dubitationẽ afferãt, hæc maiorem quàm ut eam ferre poßit exercendi cõſuetudo.

## CAP. IX.

His autem expoſitis, deinceps quot ſint genera argumentationum dialecticarum, dicendum eſt. Eſt autem una, quæ Inductio: altera, quæ Ratiocinatio nominatur. Ac ratiocinatio quid ſit, iam diximus. Inductio autem eſt, ex rebus ſingulis ad uniuerſas progreßio: ut, ſi gubernator is demum ſit optimus, qui peritus & doctus, itémq; auriga: in quaque etiam re qui ſit peritus & exercitatus, omnino ſit optimus & præſtantißimus. Inductio quidem plus ualet ad faciendam fidem, apertiórq; eſt, ſenſuúmq; iudicio familiarior & notior, ac ſæpius in populi ore uerſatur. Ratiocinatio autem magis urget, ad eóſq;, qui contrà dicunt, refellendos potentior eſt. Ac genera quidem è quibus argumentationes ducuntur, ea ſunt quæ diximus.

## CAP. X.

Rationes autem quibus magnam ratiocinationum argumentorúmque copiam comparabimus, ſunt quatuor: quarum una eſt in propoſitionibus eligendis, altera in diſtinguendo quot modis quicq; dicatur, tertia in differentijs inueniendis, quarta in ſimilitudinis cognitione & ſcientia. Sunt etiam quodammodo eorum trium, propoſitiones. Licet enim ex unoquoq; eorum propoſitionem ducere: ut expetendum eſſe uel quod honeſtum eſt, uel quod iucundum eſt, uel quod utile. Et hoc inter ſenſum & ſcientiam intereſſe, quòd

ſi ſcientia amiſſa ſit, rurſum comparari poteſt: ſenſus ſemel erutus & amiſſus non poteſt recipi. Et quam rationem habet id quod efficit bonam ualetudinem ad bonam ualetudinem, eandem habere id quod firmam conſtitutionem facit, ad firmam conſtitutionem. Atqui prima propoſitio eſt ex ijs, quæ multis modis dicuntur, ſecunda è differentia, tertia ex ſimilitudine.

CAP. XI.

Propoſitiones igitur eligendæ ſunt, quot modis de propoſitione diximus, ut uel omnium ſententias ſeligamus, uel plurimorum, uel ſapientum: atque eorum, uel omnium, uel plurimorum, uel eorum in quibus ualet opinio ſapientiæ: uel eas etiam quæ contrariæ ſint ijs quæ ex diſparatis fiunt, ut antè diximus. Hoc etiam utile, in ijs eligendis non ſolum probabiles ſumere, ſed eas etiam quæ ad earum ſimilitudinem accedunt: ut eundem ſenſum in contrarijs uerſari, quoniam etiam ars & ſcientia uerſatur. Itémque nos cernere aliqua re in aſpectum intromiſſa & recepta, non inde eiecta & emiſſa, quoniam eodem modo audimus, guſtamus, & olfacimus. Quod idem fit in cæteris. Iam ea pro initio & propoſito aſſumenda ſunt, quæ in omnibus, uel certè in plurimis rebus intelligantur. Dant enim qui non ſatis acutè inſpiciunt, in aliqua re non ita reperiri. Delectus etiam ex ijs argumẽtationibus habẽdus eſt, quæ ſcriptæ ſunt. ſed deſcriptiones ita faciendæ ſunt de quoq; genere, ut ſeparatim proponamus, ueluti de bono, aut de animantibus, ac de omni genere bonorum, initio facto à quæſtione naturæ. Notandæ etiam ſunt omnium ſententiæ, ut placere Empedocli, quatuor eſſe corporum initia & elementa. Dictum etiam clari hominis proponamus licet. Propoſitiones autem & quæſtiones, in partes tres diſtributæ ſunt: partim enim ad uitam & mores, partim ad naturæ obſcuritatem,

part



partim ad diſſerendi rationem pertinent. Ad uitam & mores, quales hæ ſunt: Sitne parentibus potius parendum, an legibus, ſi diſcrepent? Ad diſſerẽdi rationem hæ, Vtrum eadem ars in contrarijs uerſetur? Ad naturæ obſcuritatem, ut, Sitne mundus ſempiternus? Eadem eſt ratio quæſtionum. Quanquam autem quæ ſingulæ ſunt earum quas diximus, de ijs difficile eſt certum aliquid tradere, tamen diligentia nobis adhibenda eſt, inductionis conſuetudine, ut ex forma quam præſcripſi quæ ſit quæque intelligamus. Ac inſtituto quidem philoſophorum ad ueritatem: dialecticorum ad opinionem & ueriſimilitudinem, hæc omnis de ijs dirigi debet diſputatio. Sumendæ ſunt autem quàm maxime uniuerſæ omnes propoſitiones, & una in multas diſtribuenda eſt, ut eadem arte contraria contineri, deinde aduerſa, tum ea quæ cum aliquo conferuntur. Eodémque modo hæ in partes diuidendæ ſunt, quoad diuidi poſſunt. ut, bonorum & malorum eandem eſſe artem, alborum & nigrorum frigoris & caloris: itémque in cæteris faciendum eſt. Ac de propoſitione quidem ſatis multa dicta ſunt.

CAP. XII.

In illo autem, quot modis quidq; dicatur, non ſolum uidenda ſunt quæ alio modo dicuntur, ſed danda etiam opera eſt, ut rationes afferantur. ueluti non ſolum explicãdum eſt, bonum alio modo dici iuſtitiam & fortitudinem, quàm id quod ad firmam affectionẽ corporis, & id quod ad bonam ualetudinẽ efficiendam ualet: ſed etiam illa hoc ipſo, quòd affectiones quædam ſunt & qualitates: hæc ob eam cauſam, quòd uim habeant efficiendi aliquid, non quòd ipſa ſint qualitates. Quod in cæteris omnibus uidendum erit diligenter. An autem ſpecie multis modis, uel uno modo aliqua dicantur, ex his perſpici poteſt. Primum ex contrario conſiderandum eſt, an multis modis dicantur, ſiue ſpecie, ſiue etiam nomine diſcrepent.

Sunt enim quædã, quæ ſtatim nominibus alijs atque alijs differant: ut ei quod acutum eſt in uoce, contrarium eſt graue: in magnitudine, obtuſum. Perſpicuum eſt igitur id multis modis dici, quod acuto contrarium eſt. Quòd ſi hoc, etiam quod acutum eſt: utriuſque enim ratione alterum erit contrarium: quoniam non idem acutum obtuſo & graui contrarium futurum eſt. atqui utrique acutum eſt contrarium. Rurſum grauitati in uoce contrarius eſt acutus ſonus, in magnitudine leuitas: ita grauitas multis modis dicitur, quandoquidem etiam eius contrarium. Itémque quoniam honeſto in animali, turpe contrarium eſt, in domo uitium: fit, ut honeſtum ſit homonymũ. In quibuſdam cum nomina non ſint uaria, tamen aperta ſpeciei diſtinctio eſt, ut in albis & nigris contingit. Vox enim & clara & fuſca dicitur, itémque color albus & niger. Non igitur nomine diſcrepant, cum interim perſpicua ſpeciei aut generis declaretur differentia. Non enim eodem modo color fuſcus, & uox fuſca appellatur. Atque etiam in ſenſu id perſpici licet. Quæ enim eiuſdem ſunt generis, eidem ſenſui ſubiecta ſunt: de eo autem quod in uoce clarum eſt, & album in colore, non eodem ſenſu iudicamus: ſed hoc aſpectu, illud auribus. Itémque eius quod acutum eſt & obtuſum, in ſaporibus & magnitudinibus non in eodem ſenſu iudicium eſt: ſed huius in tactu, illius in guſtu. Neque enim hæc nominibus diſcrepant, neque ipſa per ſe, neque contraria: quippe cum obtuſum utrique ſit contrarium. Præterea uidendum eſt, unine quid ſit contrarium, alteri nihil ſit omnino. ut uoluptati quæ ex potione capitur, contrarius dolor eſt is quem ſitis affert: at huic quæ ex cognoſcendo & diſcendo capitur, diametron lateri incomparabilem eſſe, nihil contrarium eſt. Ita uoluptas multis modis dicitur. Cúmque amare ex animo & odiſſe contraria ſint, amare autem ut ad actionem corporis referatur, nihil habeat, ob eam cauſam

amare



amare multis modis dicitur. Hoc etiam conſyderandum eſt in ijs inter quæ media interiecta ſunt, utrum aliquorũ ſit medium, aliorum nihil ſit, : aut ſítne utriuſque, nec tamen idem medium. ut inter album & nigrum colorem fuſcus eſt interiectus: inter uocem claram & fuſcam nihil. Niſi fortè rauis interiecta eſt, ut placet quibuſdam, raucam uocem eſſe interiectam. ut ſi albus in homonymis, itémque niger. Præterea hoc etiam uidendum eſt, ſíntne aliquorum plura media, aliorum unum. ut inter album & nigrum colorem plura ſunt interiecta. Coloribus enim multa ſunt interiecta, uoci unum raucedo.

CAP. XIII.

IN diſparatis etiam uidendum eſt, dicantúrne multis modis, hoc modo: Si enim unius multi ſunt modi, etiam contrarij multi modi erunt. ut ſi non cernere multis modis dicatur, uno, priuatum eſſe oculis, altero non fungi oculorum officio: cernere etiam multis modis dicatur neceſſe eſt. Vtrique enim non cernere aliqua ex parte opponetur. ut non habere aſpectum, & habere: & non fungi officio oculorum, ac fungi. In ijs autem contrarijs quæ priuãtia dicũtur, hoc ſpectandum eſt, Si unum multis modis dicatur, etiam alterum. ut ſi ſentire animo & corpore multis modis dicatur, etiam multis modis dicetur nihil ſentire nec animo, nec corpore. Ea autem priuantia eſſe hinc intelligi licet, quòd animantia nata ſunt ad ſentiendum animo & corpore. Iam uerò in coniugatis hæc ſpectanda ſunt. Si iuſtè multis modis dicatur, eius etiam quod iuſtum eſt multa erunt genera. Ex utraque enim iuſta re quod iuſtum eſt nominatur. Vt ſi iuſtè appelletur, ex ſua ſententia iudicare & rectè, eodem modo etiam quod iuſtum eſt appellabitur. Similitérque ſi quod ad ualetudinem pertinet multis modis dicatur, etiam accommodate ad ualetudinem multis modis dicetur. Vt quoniam quod ad uale-

tudin

dinem ualet, dicitur, & quod efficiens eſt ualetudinis, & quod conſeruans eſt, & quod indicans: ſic accommodate ad ualetudinem, uel efficiendam, uel tuendam, uel indicandam. Itémque in cæteris, ſi unius multa ſint genera, caſus etiam multa erunt: & ſi caſus multa, etiam illius. Atque etiam uidendum eſt, ſint ne genera categoriarum quæ ex nomine ducuntur, eadem omnibus. Si enim non eadem eſt appellatio, certe id de quo agitur ambiguum eſt. ut bonum in cibo id eſt, quod eſt efficiens uoluptatis: in medicina, quod efficiens eſt ualetudinis: in animo, affectum eſſe, ut temperatum eſſe uel fortem, uel iuſtum. Quod idem in homine contingit. Hoc etiam aliquoties in categoria Quando, reperitur, ut in tempore bonum. Bonum enim dicitur quod opportunè fit & in tempore. Hoc fit in categoria quantitatis ſæpius, ut quod fit modicè. Bona enim eſt mediocritas. Quapropter bonũ multis modis dicitur. Itémque candor in corpore color appellatur: in uoce, quod intelligi poteſt. Eodémque modo id quod acutũ eſt. neq; enim ſimiliter in omnibus idem dicitur, ut uox acuta eſt ea quæ cita, ut placet iis qui modos & concentus in numeris conſectantur: angulus autem acutus is eſt, qui minor eſt recto: & machæra, cuius eſt acutus angulus. Videndum eſt etiam, ſint ne genera eorum quæ eidem nomini ſubiecta ſunt uaria, ne unum ab altero contineatur, ut ὄνος animal & uas. Eorum enim uaria eſt nominis definitio & ratio. Nam animal quid declarat, uas quale quid. Sin unum genus ab alio continetur, non neceſſe eſt uarias eſſe rationes. ut corui & animal genus eſt, & auis. Cum igitur coruum auem eſſe dicimus, animal quoddam eum eſſe dicimus. Ita de eo utrunque genus dicitur. Itémq; cum coruum animal pennigerum bipes nuncupamus, auem eum eſſe declaramus. Ita utrunque genus in coruo, eorúmque ratio intelligetur. In iis autem generibus, quorum unum non ab altero continetur, hoc non contingit. Neque enim cum uas dicimus, animal dicimus: neque uas, cum animal. Nec uerò in eo ſolum de quo agitur ſpectare debemus, an ſint uaria genera, quorum neutrum alterum continebit: ſed ex contrario etiam id perſpici debet. Nam ſi contrarium multis modis dicatur, profectò id etiam quod propoſitum eſt, dicatur multis modis neceſſe eſt. Vtile eſt etiam definitionẽ eius quod cõcretum eſt, diligenter ponderare & exquirere. ut albi corporis, & claræ uocis. Sublato enim eo quod proprium eſt, eadem relinqui debet definitio, quod in homonymis non contingit: ueluti in iis ipſis quæ à nobis modo prolata ſunt. Superioris enim hæc erit definitio, Corpus album, corpus eſt quod tali eſt colore affectum: Poſterioris hæc, Vox clara, eſt uox quæ facilè intelligitur. Sublato igitur corpore & uoce, non idem in utroque relinquitur. Atqui deberet, ſiquidem ſynonymum erat album, quod in utroque idem eſſe dicebatur. Et quoniam ſæpe in definitionibus homonymum quod conſequẽs eſt ignoratur, iterum ſpectanda definitio eſt. Vt ſi quis efficientia ualetudinis & indicantia eſſe dicat ea quæ aptam compoſitionem quandam ualetudini adhibent, non id reſpuendum eſt: ſed exquirendum quid in utroque aptam compoſitionem adhibere ualetudini dixerit: ut ſi illa tanta eſſe dicat, ut efficiant ualetudinem, hæc huiuſmodi ut indicent qualis ſit affectio. Præterea illud etiam conſyderandum eſt, poſsintne conferri ex maiore uel ex ſimilitudine: ut uox clara, & alba ueſtis: acutus ſapor, & uox acuta. Hæc enim nec eodem modo alba & acuta dicuntur, nec alterum altero magis tale. Ex quo fit, ut id quod acutum eſt, & quod album, ſint homonyma, quippe cum ſynonyma omnia ualeant ad comparationem. Nam aut ſimilia dicentur, aut aliud alio maius. Quoniam autem diuerſorum generum, quorum neutrum ab altero continetur, alterius generis & ſpeciei differentiæ ſunt

ſunt (ut animalis & ſcientiæ, quoniam eorum ſunt diuerſæ differentiæ) uidendum eſt an ea quæ idem nomini ſubiecta ſunt, differentiæ ſint diuerſorum generum, quorum unum ab altero non contineatur: ut quod acutum eſt uocis & magnitudinis. Vox enim à uoce differt, quòd acuta ſit: item magnitudo à magnitudine. Ita fit ut acuti uocabulum ſit in homonymis. Diuerſorum enim generum quorum unum ab altero non continetur, diuerſæ ſunt differentiæ. Iam illud etiam ſpectare debemus, eorúmne quæ eidem nomini ſubiecta ſunt, diuerſæ ſint differentiæ: ut coloris eius qui in corpore ineſt, & eius qui in cantibus, uariæ ſunt differentiæ: illius, quod ualet ad ſeparandum aſpectum, & quod ad comparandum: huius non eædem ſunt. Quo fit ut color uarijs modis dicatur. Earundem enim rerum eædem ſunt differentiæ. Poſtremo quoniam ſpecies nullius differẽtia eſt (homo enim & bos non in numero differentiarum habentur, cum ſpeciei nomen uimque obtineant) uidendum eſt diligenter, eorumne quæ eidem nomini ſubiecta ſunt, unum in ſpecie, alterum in differentia numeretur: ueluti candor is qui accidit corpori, coloris eſt ſpecies: qui autem in uoce ſpectatur, differentia. Differt enim uox à uoce, quòd clara ſit & candida. Ac in ijs quæ multis modis dicuntur, hæc conſyderanda ſunt omnia. Differentias autem ex ijs generibus quæ ad unum quaſi caput referuntur, perſpicere, & iudicare debemus, ueluti quid inter iuſtitiam & fortitudinem interſit, & inter prudentiam ac temperantiam: quoniam hæc ex eodem genere uirtutis nata ſunt omnia. Præterea ex ijs generibus quæ diuerſis continentur, differentias rerum intelligemus, ea inter ſe comparãdo, inter quæ non eſt ualde magna diſtantia. ut quid ſenſus à ſcientia dfferat. In ijs enim quæ multum inter ſe diſcrepant, facilè apparent eorum diſtinctiones & diſsimilitudines. Similitudo uerò in ijs ſpectanda eſt quæ in diuerſis generibus collocantur.

ut



ut alterum ad alterũ eſt, ſic aliud ad aliud, hoc modo, Quam rationem habet ſcientia ad id quod ſcientiæ ſubiectum eſt, eandem ſenſus habet ad id quod ſub ſenſum cadit. Itémque ut alterum in altero eſt, ſic aliud in alio, hoc modo: Quemadmodum aſpectus in oculo eſt, ſic mens in animo: & ſicut in mari tranquillitas, ita ſerenitas eſt in aere. quoniam utrunque eſt quies uacuitáſque uentorum. Earum autem rerum quarum magnæ ſunt diſsimilitudines & diſtinctiones, uſus & exercitatio capienda eſt maximè. Sic enim facilius quæ aliarum ſint ſimilitudines perſpicere poterimus. Atq; etiã illud ſpectandum eſt in eáne omnia quæ ad idẽ genus pertinent, aliquid idẽ conueniat, ut in hominem, equũ, & canem. Si enim unum & idem in eos cadat, hoc ipſo erunt ſimiles. Meditatum autẽ & in promptu habere quot quicque modis dicatur, magnum ad perſpicuitatẽ affert adiumentum. Facilius enim quid ſit id de quo agitur, ſi explanatũ ſit quot modis dicatur, intelligetur. In eo etiã magna uis eſt, ut de re ipſa, non de nomine tractetur argumentatio. Nam ſi incertũ ſit quot modis id de quo agitur dicatur, fieri poterit ut & is qui reſpõdet, & is qui interrogat, nõ eôdem animi ſenſum referat & intelligentiam. At ſi explicata ſit ambiguitas, & is qui rẽ proponit ad diſputandũ, animi ſenſum de re ipſa exprimat, profectò ridiculus ſit is qui rogat, niſi eôdem omnẽ conferat cõuertatq; orationẽ. Magnã etiã uim habet, & ut ne fallaci cõcluſione ab alijs capiamur, & ut alios captioſo cõcluſionis genere fallamus. Si enim quot modis id de quo agitur ſciamus, nõ decipiemur: intelligemúſq; íſne qui rogat, ad eandẽ intelligentiã omnem conferat orationem: & nos ſi ponamus quæſtionem, eum, qui reſpondeat, ſi ignoret quot modis id de quo agitur dicatur: fallaci concluſione poterimus captare. Sed huius rei non ſemper eſt locus, ſed cum eorum quæ ambiguè dicuntur alia uera, alia falſa ſunt. Nec uerò hic locus aptus eſt & proprius dialecticæ. Itaque

que

que ijs omnibus qui ratione & uerè diſſerere uolunt, hoc omnino fugiendum eſt, ne eorum in nomine uerſetur diſputatio & controuerſia, niſi fortè aliquis non poßit aliter de re propoſita diſputare.

CAP. XIIII.

Differentiarum autem inuentio & ad ratiocinationes conficiendas de eodem & alio utilis eſt, & ad cognoſcendum quid quicque ſit. Conferre quidem ad ratiocinationes de eodem & alio, hinc perſpici poteſt: quòd ſi rerum propoſitarum diſsimilitudines, diſtinctionéſq; inuenerimus, facile nõ eſſe idem docebimus: ad perſpiciendum autem quid quicque ſit, quòd eam orationem quæ uim & naturam cuiuſque rei exprimat, ex proprijs cuiuſq; rei differentijs intelligere ſolemus. Similium uerò cognitio hanc nobis commoditatem afferet, ut argumentationes & per inductionem & per ratiocinationes quæ ex cauſa ducuntur, tractemus, & definiendo uim naturámque rerum explicemus. Argumẽtationes quidem per inductionem tractabimus, quia rerum ſingularum quæ ſimiles erunt inductione, res uniuerſas concludi exiſtimamus. Neque enim facilè inducere poſſunt ij qui ignorant rerum inter ſe ſimilitudines. eas autem quæ per ratiocinationes ex cauſa tractantur, quòd probabile eſt, ut res habet in uno eorum quæ ſimilia ſunt, ſic in reliquis habere. Ita de quacunque re copioſe diſſerere poterimus, illud antè dicemus conuenire oportere, quemadmodum in his res ſe habet, ita in eo quod propoſitum ſit habere. Cum autem illud docuerimus, etiam id de quo quæritur in cauſa, docuerimus. Nam cum id poſitum ſit à nobis, quemadmodum in his ſit, ita eſſe in eo de quo quæritur, neceſſaria concluſione confecta res ſit à nobis. Definiendi autem artem tenebimus, quòd ſi poßimus quid in quaque re idem ſit perſpicere, non ignorabimus ad quod genus ij qui definiunt, rem propoſitam referre



ferre debeant. Genus enim id eſt, quod ex ijs quæ communia ſunt, in definiendo quid quidq; ſit, latiſſimè patet. Atq; etiam in ijs quæ multum diſcrepant, ad definitionẽ utilis ſimilitudinis cognitio eſt. ut idem eſſe tranquillitatem in mari, & in aere ſerenitatem, quoniam utrumq; eſt quies: & quod punctum in linea, id unum in numero, quia utrumq; principium eſt. Quapropter ſi genus commune in rebus omnibus dederimus, nõ uidebimur alienis uerbis definiendo rem explicaſſe. Quinetiam ij qui definiunt, ferè eundem modum in definiendo ſeruare ſolent. Nam & unum principium numeri, & punctum lineæ principium eſſe definiunt. Ex quo perſpicuum eſt, eos commune utriuſque genus dicere. Ac opportunitates quidem & habilitates quibus ratiocinationes tractabuntur, diximus. Locos autem, ad quorum uſum hæc ipſa accommodanda ſunt, deinceps trademus.

*

x

# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER SECVNDVS.

## CAP. I.

QVAESTIONES *autē partim uniuerſæ ſunt, partim ſingulæ. uniuerſæ ſunt hæ, Omnis uoluptas in bonis eſt, Nulla uoluptas in bonis eſt. Singulæ hæ, Eſt quædam uoluptas in bonis, Quædam uoluptas non eſt in bonis. Vtrunq; autem genus quæſtionum uniuerſis quæſtionibus, quæ & ad cōfirmandum & infirmandum ualent, continetur. Si enim docuerimus aliquid in totum genus cadere, etiā in partem aliquam cadere oſtenderimus. Itémq; ſi in nullam rem cadere oſtendemus, nō in totum genus docebimus conuenire. Primum igitur de uniuerſis quæ ad refellendum ualent, dicendū eſt, quòd ad generales, & ad eas quæ tanquam partes ſubiectæ ſunt generi, pertinent: & quòd propoſita ſæpius afferunt ad diſputandum quæ aiunt, quàm quæ negant: ij autem qui contrà diſputant, ſolent ferè refellere. Sed difficillimè ea, quæ ab accidente propria trahitur, reciprocatur argumentatio. Aliqua enim ex parte, non totum in ſolis accidētibus poteſt. Nā & à proprio, & à definitione, & à genere uiciſsim etiam retro cōmeet argumentū neceſſe eſt. ut ſi cui inſitum ſit, ut ſit animal gradiens bipes, uiciſsim id animal gradiēs bipes eſſe uerè*





*rè dicetur. Similis eſt generis ratio. Si cui enim conuenit eſſe animal, id animal eſt. Quod idem cōtingit in proprio. Si cui enim id tributum ſit, ut aptum animum habeat ad percipiendā grāmaticam, id aptum animum habebit ad percipiendam grammaticā. Nihil enim horum poteſt aliqua ex parte conuenire aut nō conuenire, ſed omnino uel conuenire uel nō conuenire. At accidens ut candorem & iuſtitiam nihil prohibet quadam ex parte ineſſe. Quocirca non ſatis eſt cādorem & iuſtitiam docere ineſſe, ſi docere uelimus aliquem album eſſe uel iuſtum. Habet enim dubitationē, propterea quòd quadam ex parte albus eſt, uel iuſtus. Non igitur in accidentibus uiciſsim hæc retro commeant neceſſario. In quæſtiones autē duo peccata incidunt, quæ exponenda ſunt. peccatur enim aut mentiendo, aut diſcedendo à uerbis quæ impoſita ſunt rebus. Nam & ab ijs peccatur, qui quòd non cadit in aliquem cadere confirmāt, & ab ijs qui res minus uſitatis & tritis nominibus appellant, ut qui hominem platanum appellant, nominum impoſitorum fines tranſeunt. Primùm uidendum eſt, an id quod alio modo dicitur pro accidēte explicarit, quod peccatum in genere uerſatur maximè. ut ſi quis cādori accidere dixerit, ut ſit color. Nō enim accidit candori ut ſit color, cum eius ſit genus color. Atq; id quidem fieri poteſt, ut nomine is qui rem propoſuit explicet, ueluti accidere iuſtitiæ, ut ſit uirtus. Sæpiſsimè autem etiamſi nō exprimat, tamē facilè intelligitur genus pro accidente dictum eſſe. ut ſi quis candorē colore perfuſum eſſe dixerit, aut inceſſum moueri. Nullo enim ex genere παρωνύμως trahitur de ſpecie dicendi ratio, omniaq; genera συνωνύμως de formis dicuntur. Species enim & nomen generis ſibi uendicant, & definitionē. Qui igitur candorē colore tinctum dixit, nec pro genere uſus eſt colore, quia παρωνύμως dixit: neque pro proprio aut definitione, quia propriū & definitio ad nullam rem aliam trāsferri poſ-*

ſunt. At colore perfuſa ſunt etiam permulta, ut lignum, lapis, homo, equus. Ex quo perſpicuum eſt, id expreſſum eſſe, tanquam accidẽs eſſet. Alius locus eſt ſi uideas idne quod dictum eſt, in totum genus cadat, an in partem nullam. Quod in formis, non in infinitis uidendum eſt. Sic enim uia & ratione tradetur, in paucioribúſq; conſiſtet tractatio. Initium autẽ à primis faciendum eſt, deinde uſq; ad indiuidua progrediendum deinceps. ut ſi in contrarijs uerſari ſcientiam dixerit, uidendum an in ijs quæ cum aliquo conferũtur, & in ijs quæ aduerſa appellantur, & in priuantibus & in negantibus eadem ſpectatur ſcientia. Quòd ſi ne tum quidem id perſpici poterit, rurſum hæc in partes uſq; ad indiuidua tribuenda ſunt. ut in iuſtiſne & iniuſtis rebus, aut in duplo & ſimplo, aut in cæcitate & aſpectu, aut in aientibus & negantibus. Si enim in eorum aliquo oſtenſum ſit, non eſſe eandem, ſublata & infirmata erit à nobis quæſtio. Quod idem iudicandum eſt, ſi in nullo eorum id reperiatur. Hic autem locus & ad confirmandum & ad infirmandum ualet. Si enim diuiſione adhibita uel in omnibus intelligatur, uel in pleriſq;, poſcendum eſt, ut aut uniuerſum detur, aut certè occurratur nobis, non ita in quodam reperiri. Nam ſi neutrum horum faciat, ineptus uidebitur qui non concedat. Alius locus ducitur ex definitione accidentis & rei cui accidit, uel utriuſq; uel alterius. In quo id conſyderãdum eſt num quid in definitionibus non uerum pro uero ſumptum ſit. ueluti ſi quæratur, Deus ne iniuriã faciat: conſtituendum eſt, quid ſit iniuriam facere. Nam ſi ſit, ſponte nocere, profectò deus non facit iniuriam, quoniã deus nocere non poteſt. Si etiam ponatur inuidus ſapiẽs, ſtatuendũ eſt, quis ſit inuidus, & quid inuidia. Cũ enim inuidia ægritudo ſit ex rebus ſecũdis alicuius boni uiri, certè ſapiens nõ inuidet, eſſet enim improbus. Itémq; ſi ponatur, An qui indignatur inuidus ſit, definiendo aperiendum eſt qui ſit uterq;. Sic

enim



enim uerúmne ſit an falſum quod dictum eſt, intelligetur. Veluti, ſi is inuidere dicitur, qui bonorũ dolet rebus ſecundis: & indignari is, qui dolet improborũ ſecũdis rebus: perſpicuum eſt non inuidere eum, qui indignetur. In quo adhibendæ ſunt definitiões pro ijs nominibus quæ in definitionibus cõtinẽtur, nec ab hoc deſiſtendum quoad res intelligatur. ſæpe enim tradita tota definitione non intelligimus quid quæritur, at definitione adhibita pro aliquo nomine eorum quæ in definitione ſita ſunt, intelligimus. Præterea ſi quis ex quæſtione ſibi propoſitionem conficiat, occurrendum erit. Si enim occurramus, hoc ipſo propoſitum confirmare uidebimur. Quanquam autem hic ferè locus idem ualet, quod is quem iam expoſuimus: uidendum eſſe utrum in toto genere, an in nullo reperiretur quod pro accidente dictum eſſet: tamen modo quodam & ratione differunt. Iam uerò exponendum eſt, quæ appellanda ſint, ut plerique ſolent, quæq; non ſint appellanda. qui locus & ad confirmandum & refutandum ualet plurimum: ut res nominibus ijs quæ trita ſunt uulgo & uſitata, appellandas eſſe: at uerò in conſtituendo quæ res tales uel non tales ſint, non audiendam eſſe multitudinem: ueluti ſalubria ea eſſe quæ ualetudinis efficientia ſint, ſtatuẽda ſunt illa quidẽ uulgi opinione: ſed utrum id de quo agitur efficiens ſit nécne ualetudinis, de eo non iam uulgi, ſed medicorum iudiciũ expectare debemus. Præterea ſi multis modis quid dicatur, propoſitum autem ſit, conuenire uel non conuenire, alterum eorum quæ multis modis dicuntur exponendũ eſt, ſi utrumq; nõ poſſit. Hoc autem obſeruandum eſt in ijs quæ obſcura ſunt, non aperta. Nam ſi incertum nõ ſit quot modis dicatur, occurret ſtatim, non eſſe id explicatũ, quod quæreret ac dubitaret, ſed alterum. Hic autem locus & ad probandum, & ad reprehendendũ ualet. Nam ſi confirmare uolemus, alterũ accidere docebimus, ſi utrumque non poterimus. Refellentes autem, ſi

utrumque non poßimus, alterum certè non dici & reperiri oſtendemus. Sed hoc intereſt, quòd is qui reprehendit & refutat, nihil debet ex iјs quæ conceſſa ſunt & conueniunt diſputare, nec ſi in toto genere, nec ſi in nulla parte expoſitum ſit quid reperiri. Nã ſi cuiuis non accidere docebimus, in toto genere reperiri aliquid reprehendemus. Itémq; ſi in uno aliquo reperiri demonſtrabimus, nulla ex parte reperiri confutabimus. At is qui probat, antè debet profiteri, ſi in parte aliqua intelligatur, in toto genere intelligi, ſi modò pronuntiatum ueriſimile habeatur. Neq; enim ſatis eſt ad probandum aliquid in totum genus cadere, in aliquam partem cadere, docere: ueluti ſi hominis animus immortalis ſit, omnem etiam animum eſſe immortalem. Quapropter antè conuenire oportet, ſi quæuis anima ſit immortalis, omnem etiam immortalẽ eſſe. Quanquam hoc non ſemper obſeruandum eſt; ſed tum deniq; cum de toto genere communem & uniuerſam orationem nõ poterimus exponere. quemadmodum geometra, triangulum tres angulos habere duobus rectis pares. Quod ſi non ſit incertum, quod multis modis dicitur, cum explicatum erit quot eius ſint genera & modi, tum id & confirmandum erit & refellendum. ut ſi id quod deceat, utile ſit aut honeſtum, omnem diligentiam adhibere oportebit, ut utrumq; probemus, uel refutemus in eo de quo agatur, ut eſſe honeſtum & utile, aut neq; honeſtum neq; utile. Sin utrumq; non poteſt, alterum docendum erit, hac ſignificatione intelligi hoc, illud non intelligi. Eadem ratio eſt, ſi plures ſint partes, in quas id quod propoſitum ſit tribuatur. Præterea exponenda ea ſunt quæ non ambiguè multis modis dicũtur, ſed alio modo, ut artem unam eſſe multarum rerum, aut quia ad eas tanquam ad finem referatur, aut quia earum ſit rerum quæ ipſæ ad finem pertinent atq; referuntur. ueluti medicina eſt ualetudinis, & rationis uictus, aut quia eſt rerum duarum quarum utraque

finis



finis eſt, ueluti rerum contrariarum eandem eſſe artem. neq; enim ex eo quia alterum alterius dicitur, finem eſſe finis intelligere poſſumus. aut quia unius eſt per ſe & ui ſua, alterius temerè & caſu. ut per ſe triangulum habere tres angulos pares duobus rectis, temerè & caſu, id quod latera habet æqualia. Nam fortè temere & caſu triangulũ eſſe lateribus æqualibus triangulum, ex eo ſciri poteſt, quòd duobus rectis pares habet eos qui intrinſecus adhibentur. Si igitur eadẽ ars eſſe multarum rerum nullo modo poteſt, certè omnino eſſe non poteſt, aut ſi quodãmodo poteſt, perſpicuum eſt id fieri poſſe. In quo ad utilitatem cauſæ noſtræ referenda eſt diuiſio, ut ſi confirmare quid uelimus, ea proferenda ſunt omnia quæ poſſunt, eáq; tribuenda ſunt in eas ſolùm partes, quæ etiam ad probandum ualebunt. Sin autem refellamus, in eas quæ non poſſunt, cætera uerò omittenda erunt. Hoc etiam in his obſeruandum erit tum cum incertum erit quot modis quicque dicatur: atque hoc in illo uerſari, aut non uerſari, iјſdem locis confirmandum erit, ut artem hanc in hac re cerni tanquam in fine, aut tanquam in iјs quæ ad finem referuntur: aut ut in iјs quæ fortè temerè accidunt: aut contra non cerni aliquid ullo modo eorum quos modo diximus. Eadem etiam ratio eſt cupiditatis, eorúmq; omnium quæ ſunt multarum rerum. Eſt enim cupiditas huius aut illius rei uel quaſi finis, ut ualetudinis: uel ut eorum quæ ad finem pertinent, ueluti remediј: uel quaſi fortè temerè eueniat, quemadmodũ in uino affectus eſt, qui in eo dulcedinem ſequitur, non quia uinum ſit, ſed quia dulce. Dulcedinem enim per ſe expetit, uinum temerè & caſu: quandoquidem ſi coaceſcat, non id iam appetit. Ita fit ut uinum forte temerè appetat. Huius autem loci uſus eſt plurimus in iјs quæ cum aliquo conferuntur, quoniam in eorum numerum ueniunt omnia quæ ſunt eius generis. Præterea commutandum eſt uerbum in id quod magis dilucidum

*eſſe uideatur, ut pro eo quod accuratum & exquiſitum eſt in opinione, apertum & perſpicuum dicendum eſt, & pro nimia cura rerum agendarum, ſtudium rerum agendarum. Si enim apertius & planius fiat quod dictum eſt, tum denique propoſitum facilius argumento concludi poterit. Valet autem hic locus & ad confirmandum quid, & ad refellendum. Vt autem contraria in eadem re cerni doceamus, genus ſpectare debemus: ueluti ſi uolumus confirmare in ſenſu uerſari integritatem & deprauationem: ſi ſentire iudicare eſt, & iudicare licet rectè & non rectè: certè in ſenſu integritas & prauitas uerſetur neceſſe eſt. Qui locus ex genere ducitur. Iudicare enim genus eſt ſentiendi, quoniam qui ſentit quodammodo iudicat. Ex forma etiam generis duci poteſt. Quæ enim ſpeciei accidunt, eadem etiam in genere intelliguntur omnia. ut ſi ſcientia ſit bona & mala, recta etiam ſit & praua affectio neceſſe eſt: ſiquidem affectio genus eſt ſciẽtiæ. Ac prior quidem locus uitioſus eſt, ſi ad confirmandum adhibeatur, alter uerus & commodus. Neq; enim neceſſe eſt quæcunque generi accidant, eadem ſpeciei accidere, quandoquidem animal eſt pennigerum & quadrupes, homo non item. Omnia autem quæ cadunt in ſpeciem, eadem neceſſe eſt cadere in genus. Si enim homo probus ſit, animal etiam probum. In refellendo contrà, prior locus uerus eſt, alter uitioſus. Nam & quæ generi non accidunt, ſpeciei accidere non poſſunt: & quæ in ſpeciem non cadunt, ea non neceſſe eſt in genus non conuenire.*

CAP. II.

Q*Voniam autem neceſſe eſt, in quibus genus dicitur, in ijs etiam ſpeciem aliquam dici: quæcunque etiam genus habet, aut quæ à genere nomen duxerunt eadem aliqua ſpecies retineat neceſſe eſt, aut nomen ab aliqua ſpecie ducant. Veluti ſi de aliquo ſcientia dicatur, certè de eodẽ uel*





*grammatica dicetur, uel muſica, uel aliqua ſcientia. Et ſi quis arte ſit inſtructus & præditus, aut nomen ab arte habeat, certè grammatica uel muſica, aut aliqua alia arte inſtructus ſit neceſſe eſt, aut nomen ab arte aliqua ducet, ueluti grãmaticus uel muſicus appellabitur. Si quid igitur proponat quod nomẽ à genere duxerit, ueluti animum moueri, conſyderandum eſt, moueatúrne animus aliquo genere motionis, ut creſcátne, an imminuatur, an intereat, an oriatur, an alio genere pulſus agitetur. Si enim nullo genere pulſus agitetur, certè nõ mouetur. atque hic locus & ad confirmandum ualet, & ad reprehendẽdum. Nam ſi aliquo genere motus cieatur, mouetur: & ſi nullum genus in eum cadat, certè non mouetur. Cui autem copia non ſuppetet argumentorum ad propoſitum confirmandum, aut infirmandum: is à definitionibus præſidiũ petere debebit, aut quæ rei propoſitæ propriæ ſint, aut quæ eſſe uideantur. quòd ſi ab una non poßit, à pluribus petat. Nam ijs qui rẽ definiendo explicarint, facilius erit argumentum ducere. quippe cum facilior ſit à definitione ducta argumentatio. Videndum etiam eſt cui rei res propoſita adiuncta ſit, aut quid neceſſario res propoſita ſi ſit unà ſecum eſſe uelit. Ac is quidem qui confirmare uolet, cui rei res propoſita adiuncta ſit, uidebit: quoniam ſi rem illã doceat cadere, rem etiã propoſitam docebit. Qui autẽ refellendi partes tenebit, quæ res rei propoſitæ ſit adiuncta, conſyderabit. Si enim id quod rei propoſitæ ſit cõſequens, non eſſe oſtendemus, rem etiam propoſitam non eſſe docebimus. Spectandum eſt etiã an tempus alicubi diſcrepet. ut ſi quis id dixerit quod alitur, augeſcere neceſſario. Et ſi enim animalia ſemper aluntur, tamen non ſemper augeſcunt. Itemq; ſi quis ſcire dixerit, memoria tenere. Nã hoc ad præteritum tempus pertinet, illud & ad inſtans, & ad futurum. Nam ſcire dicimur præſentia & futura: ut ſolis defectionem fore meminiſſe niſi præterita non poſſumus. Iam locus ca=*

ptioſus & fallax eſt, eò loci impellere alterum, ubi magna argumentorum copia nobis ſuppetet. Quod interdum neceſſarium eſt, interdum neceſſarium uidetur: interdũ nec uidetur, nec neceſſarium eſt. Neceſſariò autem id faciundum eſt tum, cum is, qui contrà diſputat, negat aliquid eorum quæ ad rem propoſitam pertinent, & alter de illo diſſerit quod eiuſmodi eſt, ad quod probandum ampliſsimus locus ſuppetat. Quod idẽ facere licebit cũ inductione ad aliquid ex re propoſita adhibita, id euertere conabimur. Eo enim ſublato & infirmato, res etiam de qua agitur, infirmabitur. Neceſſarium autem id uidetur, cum id ad propoſitum pertinere uidebitur. ad id autem ad quod ſumitur, non pertinebit argumentum, ſiue neget is qui reſpondet, ſiue inductione probabili ex propoſito ad illud ipſum adhibita id ipſum infirmare conetur. Reliquum autem tum incidit, cùm nec cogit, nec cogere uidetur res ea, de qua diſputatur. Aliter ſolet is qui contrà diſputat reprehendi. Hoc autem extremum genus, quoniam omnino à diſſerendi ratione alienum remotúmque eſt, declinare debemus. Quocirca debet is etiam qui reſpondet, non grauatè ad hunc locũ confugere interdum, eáque dare, quæ ad propoſitum non pertineant, iſs expoſitis quæ minus probentur: dat autẽ propterea quòd ferè in maiore animi distractione uerſari ſolẽt iſ qui ponunt quæstionem, ſi iſs talibus omnibus poſitis minimè concludãt. Iam uerò quoniã omnes qui quiduis dixerint, quodam modo multa complexi ſunt (unamquanq; enim rem multa neceſſario conſequuntur, ut is qui hominem eſſe dixit, & animal eſſe dixit: & animatum & bipedem, & mentis ac diſciplinæ compotẽ) fit, ut infirmata & reprehenſa una quauis re earum quæ ſunt conſequentes, id etiam quod initio dictum eſt reprehendatur. Sed uerendum eſt, ne ad rem difficiliorem delabamur. Interdum enim facilius eſt id quod rem propoſitam conſequitur, interdum rem ipſam propoſitam euertere.

In iſs



In iſs autem rebus quibus alterutrum ineſt neceſſario, aut non ineſt, ueluti in homine uel morbus ineſt, uel ualetudo, ſi de altero magna nobis ad diſputandum ſuppetet copia in utramque partem, de altero etiam ſuppetet. Quod ad utramque partem trahi poteſt. Si enim alterum accidere doceamus, alterum non accidere docebimus: & ſi alterum non conuenire demonſtremus, reliquum docebimus conuenire. perſpicuum eſt igitur ad probandum & refellendum ualere hunc locum. Atque etiam argumentum ducendum eſt à notatione uerbi, quæ multo aptior ſit quàm uerbum, quod ſit uſitatum, ueluti εὔψυχον non fortẽ, ut tritũ eſt, ſed eum qui bene animo ſit affectus: & confidentẽ, eum qui bona expectet. Itémque εὐδαίμονα eum eſſe cuius animus ſit bonus: quẽadmodũ Xenocrates εὐδαίμονα ait eſſe eum, cui animus bonus datus ſit. eum enim deum eſſe omnibus. Iam cum res aliæ neceſſario eueniant, aliæ plerunque, aliæ fortè temerè: ſi quis eam quæ neceſſario euenit, plerunque fieri ponat: aut eam que plerunque fit, neceſſario fieri, aut eam contrariam ei quæ plerunque ſit, is ſemper locum ſibi ſuppeditabit ad diſſerendum. Nam ſi id quod neceſſe eſt fieri, plerunque fieri ponat, profectò non in toto genere ineſſe dixerit, quod toti conuenit. Ita aberrauit, ſiue id quod plerunque accidit, neceſſario fieri dixerit, quoniam de toto genere dixit, quod toti non accidit. Quod idem fit, ſi id dixit quod rei contrarium eſt quæ plerunque euenit, euenire neceſſario. Semper enim in paucioribus dicitur quod rei quæ plerunque fit contrarium eſt. Veluti ſi ferè mali ſint homines, boni rarius, certè uehementius errauit, ſi quis bonos dixerit eſſe neceſſario. Eodémque modo ſi id quod temerè fit, neceſſario fieri, aut plerunque dixerit. Neque enim id quod temere & caſu fit, neceſſario fieri poteſt, neque id quod plerunque. Fieri autem poteſt, ut etiam ſi quid dixerit neque expoſuerit utrúmne plerunque fieri, an

ex nec

ex neceßitate affirmarit, fiat autem plerunque, tamen diſputet alter, quaſi ille ex neceßitate fieri aſſeruerit. ut ſi malos exhæredes eſſe dixerit, neque expoſuerit ſe ita diſputare, quaſi ex neceßitate id ille conceſſerit. Illud etiam uidendum eſt, an eandem rem ſibi accidere quaſi aliam poſuerit, quòd alterum eidem ſit nomen impoſitum. Quemadmodum Prodicus diuiſit uoluptatem in gaudium, delectationem, & lætitiam. Eiuſdem enim nominis uoluptatis hæc ſunt omnia. Si quis ergo gaudere uerbo lætandi accidere dicat, is idem ſibi accidiſſe confirmabit.

CAP. III.

Quoniam autem ſex modis inter ſe contraria iunguntur, & quatuor ſolùm modis iuncta repugnantiam efficiunt: ſumenda ſunt contraria ut commodum erit & ei qui confirmandi, & ei qui refellendi partes tuebitur. Ac ſex modis ea componi inter ſe hinc perſpici poteſt, quòd aut utrunque contrarium utrique comparatur, idque bifariam. ut de amicis bene mereri, & de hoſtibus male mereri: aut contrà de amicis malè mereri, & de hoſtibus bene: aut utrunque uni, quod etiam duobus fit modis. ut de amicis bene mereri, & de amicis malè mereri: uel de inimicis bene mereri, & de inimicis malè mereri, aut unum utrique, quod etiam fit dupliciter. ut de amicis bene mereri, & de inimicis bene mereri, uel de amicis malè mereri, & de inimicis malè mereri. Ac duæ quidem primæ comparationes non ſunt pugnantes, quoniam de amicis bene mereri non eſt illi contrarium, malè de hoſtibus mereri: quippe cùm ſint expetenda, eundémque ſtatum deceant: nec illud de amicis malè mereri, huic repugnat, bene mereri de inimicis. Sunt enim hæc fugienda, eundémque ſtatum decent. Nec res quæ fugienda eſt ei quæ fugienda eſt aduerſatur, niſi unum ſit nimium, alterũ parũ. quoniam quod nimium eſt, id in rebus fugiendis ducitur, itémque



itemq; parum. At reliqua quatuor contraria ſunt inter ſe. Nã & de amicis bene mereri illi contrarium eſt, de amicis malè mereri. quandoquidem à contrarijs moribus proficiſcuntur: atq; illud ſequendum eſt, hoc fugiendum. Eadem eſt ratio cæterorum. In coniunctionibus enim ſingulis quiddam eſt expetendum, & quiddam repellendum, & illud boni ſtatus eſt, hoc mali. Ex quo perſpicuum eſt eidem plura data eſſe contraria. Huic enim, de amicis bene mereri, illud contrarium eſt, de inimicis bene mereri: & illud, de amicis malè mereri. Itemq; ei qui illa omnia intuebitur duo uidebuntur cõtraria. Sumenda igitur ſunt ea contraria, quæ prodeſſe poterunt cauſæ noſtræ. Iam ſi quid ſit accidenti contrarium: conſiderandum eſt, an ei accidat cui acccidens conuenire dixerit. Si enim hoc conuenit, illud nunquam conueniet. quoniam fieri non poteſt, ut ſimul eidem contraria conueniant. Aut an tale aliquid dixerit aliqua ex parte, quod ſi extet, neceſſe ſit contraria conuenire: ut ſi ideas in nobis eſſe dixerit. Nam & moueri eas & ſtare concludetur, ſub ſenſum cadere ac ratione & intelligentia contineri. Nam & quieſcere eas & immobiles eſſe, & ſub intelligentiam cadere placet ijs qui eas ponunt. Quæ ſi in nobis ſitæ ſint, profectò non poterunt eſſe immobiles: cũ præſertim ſi ipſi moueamur, neceſſe ſit ea omnia quæ in nobis ſunt, unà moueri. Atque etiam ſenſu eas percipi, ſi modo in nobis ſint, ex hoc intelligi poteſt, quòd ſenſu oculorum, formam uniuſcuiuſque rei cognoſcimus. Rurſus ſi poſitum eſt accidens id cui quid eſt contrarium, uidendum eſt an uim habeat ad recipiendum contrarium, quemadmodum etiam ad accidens. Eadem enim res uim habet ad recipienda contraria. Veluti ſi odium naſci ex ira dixerit, profectò odium in ea parte animi in qua irarum exiſtit ardor, inſit neceſſe eſt. eſt enim ſedes iræ. Conſiderandum igitur, ſitne contrarium in ea parte animi in qua irarum exiſtit ardor, qualis inimicitia

citia eſt. Nam ſi non inſit, in eáque parte animi quæ uoluptate alitur, inſit amicitia, certè non comitatur iram odium. Eadem ratio eſt, ſi eam partem animi quæ uoluptate alitur, ignorare dixerit. Sedes enim erit ſcientiæ, ſi quidem etiam ignorationis ſit, quæ pars non uidetur ſedes eſſe ſcientiæ. Atque ex hoc loco quemadmodum docui, ei qui refellendi partes obtinebit, depromenda erunt argumenta: eum autem qui confirmare uolet, nihil adiuuabit hic locus, quatenus accidens conuenit: quatenus uerò poteſt conuenire, adiuuabit. Nã ſi non poſſe cõtrarium recipere doceamus, nec conuenire accidens, nec conuenire poſſe docebimus. At uerò non ſi contrarium conuenire, aut uim habere ad recipiendum contrarium, doceamus: idcirco etiam accidens conuenire demõſtrauerimus, ſed poſſe conuenire tantummodo confirmatum erit. Quoniámque quatuor ſunt contrariorũ genera, ſpectanda erunt repugnãtia ex eo argumẽto quod uiciſſim retro commeat & reciprocatur, & ei qui probabit, & ei qui refellet. Per inductionem uerò argumentatio tractanda erit, hoc modo: Si homo eſt animal, quod non eſt animal, id non eſt homo. Itemq; in cæteris. hoc enim loco uiciſſim retro commeat argumentatio. Cùm enim hominem ſequatur & comitetur animal, tamen non ſi quid non ſit homo, id continuò ſequitur nõ eſſe animal. ſed cõtrà ſi quid nõ ſit animal, ſequitur nõ eſſe hominẽ. In omnibus ergo id pronuntiandũ eſt, ut ſi quod honeſtũ eſt, id iucundum ſit, etiam ſi quid non ſit iucundũ, id non ſit honeſtum. Quòd ſi hoc non eſt conſequẽs, ne illud quidem erit. Itemq; ſi quod iucundum non eſt, id non ſit honeſtum: certè quod honeſtum eſt, etiam iucundum ſit neceſſe eſt. Perſpicuum eſt igitur reciprocari in aientibus & negantibus argumentationem, ſi retrò tractetur. In ijs autem contrarijs quæ aduerſa appellantur, hoc uidendum eſt, & ei qui probabit, & ei qui reprehendet, an ex contrario contrarium ſit conſequens, an ex ijſdem

argu



argumentatio à conſequentibus uera ſit, an uerò contrà. Tractari autem argumentatio debet per inductionem eorum, quæ ad commodum uidebitur. In eandem autem rem ualebit argumentatio à conſequentibus, ut quæ fortitudinem & ignauiam comitantur. Illam enim uirtus, hanc uitium ſequitur: & fortitudinem ſequitur id quod expetendum eſt, ignauiam id quod fugiendum. In his ergo ualebit de iiſdem à conſequentibus ductum argumentum, quoniam id quod expetendum eſt, ei quod fugiendum contrarium eſt. Quod idem fit in cæteris. Contrà autem conſequentia ſunt, ut firmam corporis affectionem ſequitur bona ualetudo, infirmam uerò affectionem morbus non ſequitur, ſed contrà morbum infirma conſtitutio. Ex quo perſpicuum eſt contrà in his argumentationem à conſequentibus ualere. Rarò autem illud contrà in contrarijs incidit, ac ferè in eiſdem reciprocatur argumentatio. Quòd ſi nec in iiſdem contrarium ex contrario erit cõſequens, nec uiciſſim retrò commeabit: profectò in ijs de quibus agitur, nunquam alterum ex altero erit conſequens: Sin in aduerſis ſequatur, etiam in propoſitis alterum alteri conſequetur neceſſariò. Quod item in priuantibus perinde atq; in aduerſis conſiderandum eſt, niſi quòd in his non uiciſſim retro commeat argumentum ex conſequentibus, ſed de eiſdem neceſſariò. Quemadmodum aſpectum ſenſus ſequitur, ſic cæcitatem ſenſus priuatio. Opponuntur enim ſenſus & priuatio ſenſus, ut priuantia: quoniam eorum illud res eſt, hoc eius rei priuatio. Atque etiam de ijs quæ cum aliquo conferuntur, eodem modo quo de priuantibus iudicandum eſt. In ijs enim etiam ualet à conſequentibus ductum ex iiſdem argumentum. ut ſi triplum multiplex ſit, etiam ſubtriplum ſubmultiplex erit. Confertur enim triplum cum ſubtriplo, & multiplum cum ſubmultiplici. Rurſum, ſi ſcientia opinio eſt, etiam quod ſub ſcientiam cadit, erit opinabile. Et ſi aſpectus

ſenſus

*ſenſus ſit, id etiam quod aſpectabile eſt, ſub ſenſum cadat neceſſe eſt. Hic autem occurritur, non duci neceſſariam in ijs quæ cum aliquo conferuntur argumentationem à conſequentibus, quemadmodum dixi. Non enim ſi id quod ſenſum mouet, ſcientia continetur, idcirco ſenſus eſt ſcientia. Nec uerè certè quidem occurritur. Multi enim negant ea quæ ſenſus mouentia ſunt cadere ſub ſcientiam. Nec minus contra hoc quod dixi ualet: ueluti id quod ſub ſenſum cadit, non poſſe ſciētia comprehendi, quoniam ne ſenſus quidem ſit ſcientia. Rurſum, à coniugatis & caſibus ducendum eſt argumentum, ſiue confirmemus quid, ſiue refellamus. Coniugata autem ſunt hæc: iuſta, & iuſtus, cum iuſtitia: & fortia, & fortis, cum fortitudine. Itémque efficientia & conſeruantia coniugata eorum ſunt, quorum ſunt & conſeruantia & efficientia. ut efficientia ualetudinem ualetudinis, & conſeruantia firmam corporis conſtitutionem, firmæ corporis conſtitutionis. Eodémque modo de cæteris iudicandum eſt. Atque hæc quidem Coniugata appellari ſolent. Caſus autem ſunt, ut iuſtè, fortiter, ſalubriter, & aptè ad firmam corporis affectionem, quæq; eodem modo dicuntur. Sunt etiam ea quæ ex caſibus dicuntur in coniugatis. ut iuſtè cum iuſtitia, & fortiter cum fortitudine coniugata ſunt. Coniugata autem dicuntur, quæ ſunt ex uerbis generis eiuſdem, ut iuſtitia, iuſtus, iuſta, iuſtè. Perſpicuum eſt igitur, ſi quid probatum ſit eorum quæ eiuſdem ſunt generis & coniugationis, eſſe in bonis & laudabilibus, cætera probata eſſe omnia. Veluti ſi iuſtitia ſit in rebus laude dignis, etiam iuſtus in ijs ſit, & res iuſta, & quod iuſtè fit, neceſſe eſt: concludetúrque, quod iuſtè fit, etiam laudabiliter fieri, ex eodem caſu. quoniam à laudabili re ortum eſt: quemadmodum illud iuſtè à iuſtitia. Non ſolum autem ex eo quod expoſui, ſed etiam ex contrario ſæpe contrarium intelligitur: ut quod bonū ſit non neceſſario eſſe iucundum. Neq; enim quod*





*malum eſt, neceſſario moleſtum eſt: aut ſi hoc, etiam illud. Et ſi iuſtitia ſcientia ſit, iniuſtitia ignoratio erit: & ſi quod iuſte fit, id fiat ſcienter & perite: id etiam quod iniuſte, inſcitè & imperite fiat neceſſe eſt. Aut ſi hæc non placent, ne illa quidem, quemadmodum ex eo quod modo commemoraui, perſpici poteſt. multo enim magis perſpici poteſt quod iniuſte fit, id perite, quàm imperite fieri. Atque hic locus expoſitus eſt, tum cum de contrarijs quæ aduerſa dicuntur, diſputaremus. Nihil enim nunc aliud uolumus, niſi contrarium ex contrario eſſe conſequens. Præterea, ab ortu & interitu rerum, & ex cauſis efficientibus & corrumpētibus magna copia ſuppetit ad diſputādū, ſiue cōfirmare uelimus, ſiue refellere. Quarum enim rerum ortus & origo eſt in bonis, eæ etiam in bonis ſunt. & ſi hæ in bonis ſint, origines etiam earum erunt. Si uerò origo ſit in malis, eæ etiam in malis numerabuntur. A rerum interitu contrà ducitur argumentum è conſequentibus. Si enim interitus rerum ſint in bonis, res ipſæ erunt in malis. Et ſi interitus & euerſio rerum ſit in malis, res ipſæ ducentur in bonis. Eadem eſt etiam ratio cauſarum efficientium & euertentium. Quorum enim effectorum cauſæ ſunt in bonis, effecta etiam in bonis erunt. Quarum autem rerum cauſæ euertentes ſunt in bonis, eæ ſunt numerandæ in malis.*

## CAP. IIII.

*Proximus locus eſt à ſimili, in quo uidendum eſt, an res ſimiles eodem modo habeant. ut ſi ſcientia una ſit multarum rerum etiam opinio. Et ſi aſpectum habere ſit uidere, etiam auditum habere, ſit audire. Quod idem contingit in cæteris omnibus, & quæ ſunt, & quæ uidentur. Valet autem in utranque partem hic locus. Si enim in aliqua re pari ualeat, in cæteris etiam paribus ualeat neceſſe eſt. Et ſi in aliqua re ſimili non ualeat, nec in cæteris ualebit. Conſyderandum*

etiam eſt, an in uno & in pluribus eodem modo res habet, quoniam interdum diſcrepat & diſsimilis eſt, ut ſcire ſit animo cernere & intelligere: multa ſcire, ſit etiam multa animo cernere. quod non eſt uerum. Multa enim ſcientia comprehendi poſſunt: multa intelligi non item. Quòd ſi non hoc, nec illud, ſcire eſſet intelligere. Sumuntur etiam ex maiore & minore argumenta. Súntque ex maiore & minore quatuor loci. Vnus, ſi maior res ex maiore ſit conſequens, hoc modo: Si uoluptas bonum ſit, maior uoluptas maius ſit bonum. Si iniuriam facere malum eſt, maiorem iniuriam facere maius malum erit. Atque in utranque partem hic locus trahi poteſt. Si enim rei ſubiectæ progreſsionem & incrementum, accidentis ſequatur progreſſus & incrementum, ut dixi, certe concluſum eſt: ſin minus ſequatur, non concluditur. Hic autem locus per inductionem tractandus eſt. Alter locus eſt, cum una res duabus comparatur. Si cui ueriſimilius eſt conuenire non conueniat, ne illi quidem cui minus: & ſi cui minus probabile eſt conuenire conueniat, ei etiam cui ueriſimilius. Tertius eſt, cum duæ res cum una conferuntur, ſi quæ magis conuenire uidetur non conueniat, nec quæ minus. Et ſi quæ minus uidetur conuenire conueniat, ea etiam quæ magis conuenire uidebitur, conueniat. Extremus locus eſt huiuſmodi, cum duæ res duabus comparantur, Si quæ alteri magis uidetur conuenire non conueniat, ne reliqua quidem reliquæ conueniet: & ſi ea quæ minus conuenire alteri uidetur conueniat, reliqua etiam reliquæ conueniet. Sequitur locus, ex ijs quæ eodem modo conueniunt aut uidentur conuenire: atque is triplex, quemadmodum expoſui de tribus locis, quos ex maiore poſterius elici dixi. Si enim una aliqua res duabus eodem modo conueniat, aut conuenire uideatur, neque alteri conueniat, ne alteri quidem conueniet. Quòd ſi uni, etiam alteri. Alter locus tractatur hoc modo, Si duæ res eidem ſimiliter conueniant, & altera non conueniat, ne altera quidem conueniet. Quòd ſi altera, etiam reliqua. Tertius hoc modo: Si duæ res duabus eodem modo conueniāt, uniq; altera non conueniat, reliqua etiam reliquæ non conueniet. Quòd ſi una alteri conueniet, reliqua etiam reliquæ conueniat neceſſe eſt. Atque ex maiore, & minore, ac ſimili, tot argumenta duci elicique poſſunt. Alius locus ſequitur ex adiectione, hoc modo: Si una res ad alteram adiecta eam faciat bonam aut albam, cum prius bona & alba non eſſet, quæ adiecta eſt, bona erit & alba, quale etiam totum reddidit. Præterea ſi ad aliquid quod ineſt quippiam addatur, quod illud magis tale efficiat, quale inerat, idem tale erit. Eadem eſt ratio cæterorum. Quanquam hic locus non ualet in omnibus, ſed in ijs tantummodo in quibus præſtantia magnitudinis naſcitur. Atque idem non uiciſsim retrò commeat in refellendo. Non enim ſi id quod additur non facit id cui adiectum eſt bonum, propterea id non bonum eſſe neceſſe eſt. Quod enim bonum eſt, ſi ad id quod malum ſit addatur, totum non efficit bonum neceſſario. nec rem nigram candor albam facit, nec dulcedo rem amaram dulcem neceſſario, ſi addantur, efficit. Iam uerò ſi quid maius aut minus dicitur, omnino etiam conuenit. Nam quod bonum non eſt, nec album, id nec maius bonum, neque minus dicitur, neque albius, neque minus album: quippe cum id quod malum eſt, nulla re maius bonum ſit, aut minus bonum, ſed maius malum, aut minus dicitur. Nec uero hic locus in refellendo uiciſsim retro commeat. Multa enim eorum quæ illud magis reſpuunt, omnino dicuntur. Homo enim etſi magis aut minus quàm alius homo non dicitur, non tamen propterea homo eſſe deſinit. Eodémq; modo uidendum eſt quid quadam ex parte, quid aliquando, & alicubi eſſe dicatur. Si quid enim quadam ex parte poſsit eſſe, aut ali-

*quando, aut aliquo in loco, id certe omnino eſſe poteſt. Quod enim omnino fieri nō poteſt, id nec aliqua ex parte, nec interdum, nec alicubi fieri poteſt. Quanquam huic loco occurritur, quod quadam ex parte homines natura boni ſunt, ut liberales, ut temperati: cum interim boni non ſint omnino natura: ſiquidem nemo prudens natura dicitur. Itémq; fieri poteſt interdum, ut aliquid eorum quæ interire poſſunt, non intereat & occidat, cum fieri non poßit omnino quin occidat. Eodémq; modo alicubi hanc uel illam uictus rationem ſeruare, ut in locis peſtilentibus & inſalubribus prodeſt, omnino non prodeſt. Aliquo etiam in loco fieri poteſt, ut unus modo accidat, & tamen unus modo eſſe non poßit omnino. Itaq; alicubi etiam immolare patrem laudi ductum eſt: ut apud Tribalos: omnino autem non datur laudi & gloriæ. Niſi forte hoc non aliquo in loco fieri declarat, ſed apud aliquos, quoniam nihil refert ubi ſint, ubiq; enim apud Tribalos id gloriæ ducitur. Rurſum medicamentorum uſus, interdum ueluti cum ſis in morbo adiuuat, nec adiuuat omnino. Niſi forte ne hoc quidem aliquando fieri ſignificat, ſed curationem ei qui ſic affectus eſt adhiberi. Neque enim refert quocunque id tempore fiat, dummodo ita ſit affectus. Id autem demum omnino & abſolutè laudi datur, quod ſi nihil addas, gloriæ ducitur, & gloriatione dignum prædices. ut patrem immolare, nō dicas honeſtum eſſe, ſed apud nonnullos honeſtum eſſe. Non igitur omnino honeſtum eſt. At Deos colere, pulchrū dices: etiamſi nihil adiungas, eſt enim pulchrum omnino. Quare quod ſine adiunctione uidetur eſſe pulchrum, aut turpe, aut aliquid aliud eiuſdem generis, tale eſſe id dicetur omnino.*

ARIST



# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER TERTIVS.

*

## CAP. I.

RELIQVVS *eſt comparationis locus, in quo uidendum eſt duobus propoſitis utrū ſit optabilius aut melius. Ac primū exponendum illud eſt, nobis hoc loco non eſſe propoſitū de ijs diſſerere quæ ualde dißimilia ſint, quorúmq; magnæ ſint differentiæ & diſtinctiones, ( neq; enim eſt quiſquàm cui in dubium ueniat, ſitne beatitudo quàm diuitiæ magis expetenda) ſed de ijs quæ cognata ſunt & uicina, & ijs duobus quibus propoſitis dubitamus utrum elationem habeat, an ſubmißionem: propterea quòd quid alterum alteri præſtet minime uideamus. Ex quo perſpicuum erit, expoſita harum rerū præſtantia una aut pluribus, animum aſſenſurum & approbaturum id eſſe magis expetendum quod excellet. Ac diuturniora quidem anteponenda ſunt breuioribus, & quæ prudentes anteponant, aut uiri boni, aut leges rectæ: aut quæ anteponāt ij qui in aliqua re excellunt, quia ij ſint: aut quæ ij qui unoquoque genere ſciētes ſunt, aut quæ plures, aut etiam omnes. ut in medicina & fabrica, quæ plures medici anteponant, aut omnes, aut quæ omnino plures, uel omnes uel omnia, quale eſt ſummum bonum. Expetunt enim ſummum bonum omnia.*

Id autem quod commemorabitur ad id cui uſui eſſe poßit, eſt omne reuocandum. Suntq; omnino anteponẽda ea quæ à meliore arte proficiſcuntur: ut quoniam Philoſophia melior eſt ars quàm architectura, omnino ea quæ à philoſophia efficiantur, ijs quæ architectura, anteponantur. Quæ autem à cuiuſque arte efficiuntur, ea quiſq; alienis anteponit. Deinde anteponenda ſunt ea quæ ui ſua in genere ſunt, ijs quæ non ſunt. ut iuſtitia uiro iuſto. Iuſtitia enim in genere eſt bonorum, uir iuſtus non eſt: & illa ui ſua bonum eſt, hic non item. Nihil enim id quod genus dicitur, quod non ſit in genere. ut homo albus non coloris nomen obtinet. Quod idem in cæteris contingit. Anteponuntur etiam quæ propter ſe expetuntur, ijs quæ propter aliud. ut ualetudo exercitationi: quoniam illa propter ſe expetenda, hæc propter aliud. Et quæ propter ſe expetuntur, ijs quæ forte temere & caſu. ut amicorũ iuſtitia hoſtium iuſtitiæ, quòd illa per ſe expetenda eſt, hæc caſu & fortuito, ut ne nobis noceant. Hic autem locus eãdem ferè uim habet, quam ſuperior, ab eóq; niſi modo, non differt. Nã amicos per ſe iuſtos eſſe optamus, etiamſi nihil inde ad nos redeat. & apud Indos habitent: at hoſtes ſic propter aliud iuſtos eſſe optamus, ut nihil nobis obſint. Et ex quibus per ſe bona propagantur, ijs ex quibus caſu & temere. ut uirtus fortunæ. Illa enim per ſe efficiens eſt cauſa bonorum, hæc fortuito. Et ſi quid aliud tale eſt. Eodem modo de contrarijs iudicandũ eſt. Ea enim quæ per ſe cauſæ ſunt malorum, poſtponuntur ijs quæ caſu & fortuito. ut uitium fugiẽdum eſt potius, quàm fortuna. Illud enim per ſe malum eſt, hæc caſu. Et quæ omnino bona ſunt, ijs anteponuntur quæ alicui bona ſunt. ut ualere, quàm ſecari magis optandum eſt: quoniam illud omnino bonum eſt, hoc alicui qui ſectione egeat. Et innata ac inſita bona aſſumptis & aduentitijs, ut iuſtitia uiro iuſto: quoniã illa inſita eſt & innata, illud aduentitium. Et quæ in re meliore inſunt



inſunt, & quæ iuſtiorem habent uenerationem ijs quæ in deteriore. ut bona Dei, hominum bonis: & animi, corporis bonis ſunt anteponenda. Et quæ propria ſunt melioris rei, ijs quæ deterioris. ut diuina humanis. Cum enim bonis quæ illis inter ſe ſunt communia, non differant inter ſe, proprijs alter alteri præſtat. Et quæ in melioribus, aut antiquioribus, aut in ijs quæ in maiore ſunt precio & honore, ea ſunt anteponenda ijs quæ in deterioribus. ut ualetudo uiribus corporis, & pulchritudini corporis. Valetudinis enim ſedes eſt in humore, ſiccitate, calore & frigore. ijsq; omnibus ex quibus primum animal conſtat & cohæret: hæc uerò in iunioribus. Nam & uis corporis in neruis atq; oßibus ſita eſt, & pulchritudo corporis eſt apta quædam compoſitio membrorum. Fines ijs quæ ad finem pertinent atq; conducunt. Ex duobus quod ad finem propius accedit. Quæ ad uitæ finem pertinẽt, ijs quæ ad alium aliquem. ut quæ ad beatam uitam pertinent, ijs quæ ad prudentiam. quod enim ad beatitudinem pertinet, anteponendum eſt. Quæ fieri poſſunt, ijs quæ non poſſunt. E duobus efficientibus cuius finis melior, id etiam præſtantius. Ex efficientibus & finibus proportione concludendum eſt, hoc modo: Cum pluribus partibus finis fini præſtat, quàm finis ille ſuæ cauſæ efficienti: ut ſi beatitudo ualetudinem pluribus partibus ſuperet, quàm ualetudo ſalubria, efficitur, ut efficientia beatæ uitæ uincant ualetudinem. Quantò enim beatitudo ualetudinem præſtat, tantò ſalubria præſtant efficientia beatitudinis. Atqui minore interuallo ſalubria ualetudo anteibat: pluribus igitur partibus ſalubribus præſtant beatitudinis efficientia quàm ualetudo ſalubribus. ex quo perſpicuum eſt efficientia beatæ uitæ ſanitati, quia ei præſtent, eſſe anteponenda. Præſtantiora per ſe, quæ in maiore ſunt honore & precio, & laudabiliora anteponenda ſunt. ut amicitia diuitijs, iuſtitia ualetudini & uiribus corporis.

Illa enim numerãtur propter ſe in iјs bonis quæ ſunt honorabilia & laudabilia: hæc non propter ſe, ſed propter aliud. Nemo enim opes propter ſe amat, ſed propter aliud. Amicitiam autem propter ſe colimus, etiam ſi nihil inde fructus ſperemus nos eſſe percepturos. Iam ſi duo quædam ſint ualde inter ſe ſimilia, nec quid alterum alteri præſtet & excellat perſpicere poſsimus, id ex cõſequẽtibus intelligi licet, hoc modo: Quo enim maiora bona propagantur, id anteponendũ alteri eſt: quòd ſi mala conſequantur, quo minora mala propagantur, id eſt eligendum. Nam ſi ſit utrumq; eligendum, nihil prohibet aliquid moleſtiæ conſequi. ex conſequẽtibus autem duo argumenta ſumuntur, quoniam & aliquid antecedit rei, & præcurrit, & aliquid rem ſequitur: ueluti diſcenti antecedit ignoratio, & eum conſequitur ſcientia. Ferè autem melius eſt quod rem ſequitur. Argumentum uerò à conſequentibus ſumendum eſt, ut commodum fuerit. Plura bona paucioribus anteponenda ſunt aut omnino, aut cum alia quæ pauciora ſunt in alijs quæ plura, continentur. Huic autem loco occurritur, ſi unum alterius gratia petatur. Neq; enim uni utrumque anteponitur. ueluti ualere & ualetudo non pluris ſunt quàm ualetudo, quandoquidem ualere optamus ualetudinis gratia. Nihil etiam prohibet ea quæ non ſint in bonis, bonis anteponi: ut beatitudinem coniunctam cum aliqua re quæ non numeratur in bonis, iuſtitiæ ac fortitudini. Et eadem coniuncta cum uoluptate, magis expetenda ſunt, quàm ſine uoluptate: & eadem ipſa cum indolentia copulata, quàm cum dolore. In quo etiam quicque tempore maiorem uim habet, id in eo magis optandum eſt: ut in ſenectute ſine ulla moleſtia & cura uiuere, quàm in adoleſcentia: plus enim poteſt in ſenectute. Eadémque ratione in ſenectute magis expetenda prudentia eſt. Itaque nemo adoleſcentes imperatores deligit, quòd prudentes eos non eſſe



eſſe exiſtimet, contráque fit in fortitudine, cuius in iuuentute neceſſarium munus & officium eſt. Eadem eſt etiam temperantiæ ratio. Adoleſcentes enim magis quàm ſenes cupiditatibus ſeruiunt. Quæ per omne tempus ætatis plus poſſunt, iјs quæ maxima parte utiliora ſunt, ut iuſtitia & temperantia fortitudine, quia illis ſemper, hac interdum utimur. Quæq; ſe ipſis contenta ſunt, meliora quàm quæ egent alijs. Quod in iuſtitia & fortitudine cernere licet. Nã ſi iuſti omnes eſſent, nihil loci eſſet fortitudini: at ſi fortes eſſent, iuſtitiam requirerent. Comparatio etiam ex interitu, abiectione, origine, acceptione, contrarijsq; ſumi poteſt, hoc modo: Quorum bonorum interitus magis declinandi ſunt, ea meliora. Quod idem in abiectionibus & contrarijs contingit. Cuius enim prætermiſsio & expulſio, quàm contrarium, magis fugienda eſt, id etiam optabilius. Contrà fit in ortu & acceptione. Quarum enim rerum origines & aſſumptiones optabiliores ſunt, ea alijs anteponuntur. Alius locus, Quod ad bonum propius accedit, id & optabilius & melius eſt: quódque ad bonum ſimilitudine propius accedit, id melius: ut iuſtitia uiro iuſto. Quæ meliori ſimiliora ſunt, ea meliora: quemadmodum Aiacem Vlyſsi anteponunt, quòd Achilli ſimilior eſſet. Occurrunt huic loco, quòd nihil prohibeat Aiacẽ non qua parte Achilles optimus fuerit, ei ſimiliorem fuiſſe, & tamen alterum uirum bonum fuiſſe, etſi diſsimilem. In quo uidendum eſt, an etiam in iјs, quæ magis ridicula ſunt inueniri poſsit ſimilitudo: quemadmodum ſimia ſimilitudine ad hominem propè accedit, quum equus non ſit ſimilis. Neque enim præſtantior eſt ſimia, etſi ſimilior homini quàm equus. Rurſum è duobus ſi unum meliori, alterum deteriori ſimilius ſit, melius erit quod ſimilius eſt præſtantiori. Atque etiam huic loco occurritur. Nihil enim prohibet unum meliori paulum ſimilem eſſe, alterum ualde deteriori. ut ſi Aiax paulum admodum ſimilis

ſit Achilli, & Vlyſſes ualde Neſtori. Et ſi id quod meliori
ſimilius ſit, mala eius imitetur: quod autẽ ad deterius ſimili-
tudine propius accedat, bonam in partem ſimile ſit. ut equus
aſino, & ſimia homini. Quæ magis inſignia ſunt, minus in-
ſignibus anteponuntur. Et laborioſa procliuibus. chariora
enim nobis ſunt ea, quæ difficulter parantur. Et priuata com-
munibus. Quæq; moleſtiæ minus habent. quæ enim nullã mo-
leſtiam afferunt, iis quæ afferunt, anteponuntur. Quæ aliis
præſtantiora ſunt, omnino etiam quæ in eo genere præſtan-
tiſsima ſunt, iis quæ in altero genere ſunt præſtantiſsima
anteponuntur. ueluti ſi nobilior equo homo ſit, nobiliſsimus
homo etiã ſit generoſiſsimo equo præſtantior. Et ſi res præ-
ſtantiſsimæ & clariſsimæ nobiliſsimis alterius generis præ-
ſtant, etiam omnino illis rebus excellunt. Vt ſi clariſsimus ho-
mo generoſiſsimo equo præſtet, etiã homo equo præſtat omni
no. Quæq; cum amicis communicare licet, iis quæ non licet.
Quæ in amicos præſtare cupimus, iis quæ in quemuis, ut offi-
cia ſeruare & bene mereri magis optamus, quàm uideri bene
mereri & officia ſeruare. quoniã beneficia malumus in ami-
cos conferre, quàm uideri: in quemuis contra. Non neceſſaria
neceſſariis meliora ſunt, eáq; interdum magis expetũtur. Be-
ne enim uiuere præſtat quàm uiuere. cum benè uiuere non ſit
neceſſarium, & uiuere in neceſſariis. Fit autem interdum ut
quæ meliora ſunt, non etiam magis expetantur. Non enim ſi
quid melius, propterea id neceſſe ſit etiam magis eſſe expe-
tendum. Philoſophorum enim uita cùm eo genere uitæ quod
in pecuniis quærendis conſiſtit, ſi melior: attamen ei cui res
ad uiuendum neceſſariæ non ſuppetunt, non magis expetenda
eſt. Non neceſſaria autem ſunt, cùm ſuppetunt res neceſſa-
riæ, & aliæ præterea quædam honeſtæ parantur. Ac ferè
quidem certe neceſſaria magis expetenda ſunt, non neceſſa-
ria meliora. Quæ ab alio non ſuppeditari poſſunt & accipi,
iis quæ poſſunt. quomodo iuſtitia ad fortitudinem affecta eſt.



Quæ ſine aliis expetenda ſunt, iis quæ niſi coniuncta cum a-
liis non expetuntur. ut uires corporis ſine prudentia non ſunt
expetendæ, ſine uiribus etiam prudentia expetenda eſt. E
duobus ſi unum diſsimulemus aut negemus in nobis eſſe, ut
alterum in nobis eſſe uideatur, id anteponẽdum eſt, quo præ-
diti eſſe uideri uelimus: ut laborioſos nos eſſe negamus, ut
ingenio ualere uideamur. Quorum bonorum defectio minus
in iis uituperanda eſt, qui moleſtè ferunt. Et quorum defectio
in iis qui non acerbè ferunt ea à ſe abeſſe, magis reprehenden-
da eſt. Eorum quæ in eodem genere ſunt, quod apta & pro-
pria uirtute & laude ualet, alteri quod eo caret, anteponen-
dum eſt. Ex iis in quibus ineſt, id in quo maior eſt. Quæ bo-
num eum in quo ſint efficiunt, iis quæ non efficiunt. ut calidius
id eſt quod calefacit, eo quod non calefacit. Ex iis quæ effici-
unt ea quæ magis efficiunt, aut quæ id quod melius eſt, & ma-
gis præcipuum bonum efficiunt, ut quæ animum bonum effi-
ciunt iis quæ corpus. Ex caſibus etiam & uſu, actionibus, &
operibus comparationis locus ſumitur, & quæ ab illis orta
ſunt, concluduntur. alterum enim alteri conſequens eſt. ut ſi
id quod iuſte fit ei quod fortiter anteponendum ſit, iuſtitia
fortitudini anteponetur. Et ſi iuſtitia fortitudini anteponen-
da ſit etiam id quod iuſte fit ei quod fortiter. Quod idem fit
in cæteris. Si quo bono unum magis bonum ſit, minus alterum,
maius magis expetendum eſt. uel ſi maiore aliquo maius ſit
alterum. Quinetiam è duobus quæ alicui præponenda ſint,
id quod magis expetendum ſit, potius eligendum erit, quàm
id quod minus. Quorum præſtantia & laus, præſtantiæ lau-
dique aliorum anteponitur, ea etiam anteponenda ſunt, ut
amicitia diuitiis. Amicitiæ enim excellentia & gloria, opum
excellentiæ & exuperantiæ anteponenda eſt. Quæ ipſum ſi-
bi quiſque parare & quærere malit, quàm alterum, ea an-
teponenda: ut amici opibus. Ex adiunctione hoc modo: Si
eidem

eidem rei aliquid adiungatur, totúmque melius efficiat, id magis expetẽdum eſt. In quo cauendum eſt ne ad ea progrediamur, in quibus altero eorum quæ coniunguntur, utatur id quod utriuſque commune eſt, uel aliqua alia ei adiumenta afferat, reliquo non utatur, neque ei ſit adiumento. quales ſunt cum fabrica ſerra & falx coniuncta. quarum ſerra ſi coniuncta ſit, optanda magis eſt, cum magis expetenda non ſit omnino. Rurſum, ſi quid ad minus additum, maius totum efficiat, magis expetendum eſt. Quod idem ex detractione effici poteſt. Quicquid enim eſt eiuſmodi, quo detracto, id quod reliquum eſt minus efficitur, id omne anteponendum. Quæq; propter ſe expetẽda ſunt, ijs quæ ad exiſtimationẽ hominum & opinionem accommodantur: ut ualetudo pulchritudini anteponenda eſt. Illud autem ad iudicium hominum & opinionem dirigitur, quod ſi neſciant, nullus in eo parando labor impendatur. Quæ etiam propter ſe expetuntur & ad hominum commendationem, ijs quæ alterius ſolum gratia. Quæq; ui ſua per ſe & propter ſe in maiore precio & honore ſunt, eadem meliora ſunt & magis expetenda. Ea autem per ſe in maiore honore ſunt & precio, quæ detracta omni opinione utilitatis, tamen magis propter ſe peteremus. Diuiſio etiam rerum expetendarum, & quarum cauſa expetantur, magnam ſuppeditabit copiam diſputandi: ut utilitas, uel honeſtatis, uel uoluptatis gratia res omnes expetendas. Quibus enim ad omnia uel ad plura utimur, ea ijs anteponenda ſunt, quibus ad tot res non utimur. Quòd ſi in utriſque eadem reperiuntur, in utris magis reperiantur uidendum eſt, utrum iucundiora ſint, an honeſtiora, an utiliora. Quæ melioris rei cauſa comparata ſunt, eadem magis expetenda: ut quæ uirtutis, quàm quæ uoluptatis gratia. Eadem ratio eſt rerum fugiendarum. Fugienda enim ſunt magis quæ res expetendas impediunt. ueluti morbus magis declinandus & uitandus





eſt, quàm deformitas, quòd magis nos à uoluptate & uirtute morbus detorquet. Ex eo etiam argumenta ſumuntur, ſi rem propoſitam & expetendam & fugiendam eſſe doceamus. Minus enim expetenda eſt res eiuſmodi, quam expetere æquè ac fugere liceat, quàm altera quæ tantummodo ſit expetenda. Ac comparationes quidem rerum inter ſe tractandæ ſunt, quemadmodum à me præſcriptum eſt.

## CAP. IIII.

QVi ijdem quidem loci ualent etiam ad faciendam fidem, quid ſit expetendum, quidq; fugiendum. Detrahenda enim modo alterius excellentia & præſtãtia eſt. Si enim quæ in maiore honore ſunt & precio, eadẽ magis expetenda ſunt: certe quæ in honore ſunt & ducũtur gloriæ, eadem ſunt expetenda. & ſi quæ utiliora ſunt, ea magis expetẽda: utilia etiam expetuntur. Quod idẽ fit in cæteris, quæ cõparantur. Sunt autem quædam, ex quorum inter ſe cõparatione ſtatim utrunq; expetendum eſſe aut alterum intelligimus. ueluti cum unum naturale bonum, alterum non innatum & inſitum dicimus. perſpicuum eſt enim id quod inſitum & innatũ ſit, eſſe expetendum. Sumendi ſunt autem à maiore & minore loci, qui quàm latiſſimè pateant. ſic enim ad plura concludenda ualebunt. Poſſunt etiam quidam ex ijs locis quos expoſuimus, generaliores effici, ſi parua nominũ fiat mutatio: ueluti, Quod natura tale uel tale eſt, eo eſt magis tale, quod non eſt tale uel tale natura. Ex duobus ſi unum efficit, alterum non efficit tale uel tale: id quod ipſum habet, aut in quo ineſt, magis tale eſt. quod interdum facit, quàm quod non facit. Sin utrunque uim efficiẽdi habeat, id quod plus efficit, & magis tale uel tale eſt. Et, ſi è duobus hoc plus, illud minus quàm unum aliquid efficiat eiuſmodi. Si è duobus unum magis tale uel tale ſit quàm quod tale eſt, alterum magis quàm quod nõ eſt eiuſmodi: profectò primum in eo genere uincat neceſſe eſt. Ex coniunctione

*ne idem efficitur. Si quid ad eandem rem addatur, totúmque magis tale uel tale efficiat. Et ſi quid ad rem addatur quæ minus ſit eiuſmodi, totam magis talem reddet. Itémque detractione. Nam ſi quid detrahatur ab aliquo, ex eóque quod reliquum eſt minus tale uel tale exiſtat, id in eo genere præſtat. Quæ mixta coniunctáque ſunt minus cum contrarijs, ea magis talia uel talia. ueluti id albius eſt quod minus admixtum habet nigrorem. Superioribus accedit hic locus: Quod ſibi magis rei de qua agitur ueram aſciſcit definitionem. ueluti ſi candoris hæc ſit definitio, Color aſpectum oculorum diuidẽs, is albior color erit, quò magis diſpertit aſpectum. Quòd ſi quæſtio non generalis, ſed quæ ſubiecta ſit generi tanquam pars ponatur, primum loci qui expoſiti ſunt ad confirmandum uel reprehendendum omnes ualent plurimum. Si quid enim omnino & totum cõfirmemus aut refellamus, etiam partem oſtendimus: propterea quòd ſi quid in toto genere reperiatur, etiam in parte: & ſi in nulla parte, in aliqua intelligi non poteſt. Aptiſſimi autem ſunt loci latiſſiméque patent ij, qui ex contrarijs coniugatiſque ſumuntur. Aequè enim probabile eſt effari, ſi omnis uoluptas ſit in bonis, etiam dolorem omnem in malis eſſe: ac ſi qua uoluptas ſit bonum, aliquem etiam dolorem eſſe in malis. Et ſi quis ſenſus non ſit uis & facultas, ſequitur, ut ſenſus priuatio non ſit imbecillitas. Et ſi quod opinabile eſt, ſcientiæ ſubiectum ſit, fit ut quædam opinio ſit ſcientia. Rurſum, ſi qua res iniuſta ſit in bonis, aliqua etiam res iuſta ſit in malis neceſſe eſt: & ſi quid eorum quæ iniuſtè fiunt, malum eſt: aliquid etiam eorum quæ iuſtè fiunt, erit bonum. & ſi quid eorum quæ iucunda ſunt in rebus fugiendis ſit, aliqua etiam uoluptas fugienda. Eodémque modo, ſi quid eorum quæ iucunda ſunt, utile ſit, aliqua etiam uoluptas erit in bonis. Quod idem in ijs quæ uim interimendi habent, in ortu & interitu contingit. Si quid enim quod uim*

habeat



*habeat interimendæ uoluptatis & ſcientiæ in bonis eſt, ſit etiam neceſſe eſt aliqua uoluptas & ſcientia in malis. Itémque ſi aliquis interitus ſcientiæ ſit in bonis, aut ortus in malis, erit in malis aliqua ſcientia. ut ſi ignoratio flagitiorum alicuius in bonis, aut recordatio in malis numeretur, certe & cognitio flagitiorum alicuius in malis ducitur. Quod idem in cæteris contingit, propterea quòd eadem ratio ueriſimilitudinis ualet in omnibus. Idem ex maiore, minore & pari efficitur, hoc modo: Si quid eorum quæ ex alio genere ſunt, magis tale uel tale ſit, illorum autem nihil ſit, efficitur ut id quod expoſitum eſt, non ſit eiuſmodi: ut ſi qua ſciẽtia bonum ſit potius quàm uoluptas, nec ulla ſit in bonis ſcientia, ne uoluptas quidem in ijs numerabitur. Similiter ex pari & minore licebit confirmare & refellere, niſi quòd ex pari utrunque efficietur, ex minore conſtituere ſolum, non etiam deſtruere. Si enim pari ratione uis aliqua in bonis ſit & ſcientia, ſit autem uis aliqua in bonis, etiam ſcientia erit. Sin nulla uis & facultas, ne ulla quidem ſcientia. Si autem minore ratione uis aliqua bonum ſit quàm ſcientia, ſitque uis aliqua bonum, etiam ſcientia. Sin nulla uis in bonis ducatur, non neceſſe eſt nullam etiam ſcientiam duci in bonis. Ex quo perſpicuum eſt, locum ex minore ſolum uim habere ad probandum. Non ſolum autem ex alio genere copia & ratio refellendi ſuppetit, ſed ex eodem etiam genere, ſi quis ſumat quod ſit tale uel tale maxime. ut ſi qua ponatur eſſe in bonis ſcientia, probatúmque ſit non eſſe in bonis prudentiam, nulla alia numerabitur: quippe cum ne ea quidem quæ maxime uideatur. Ex fictione idem efficitur, ſi enuncietur, pari ratione ſi cui conueniat etiam omnibus conuenire, aut non conuenire. ut ſi hominis animus ſit immortalis, etiam cæterorum. Quòd ſi non hic, ne cæterorum quidem eſſe. Si igitur ponatur alicui cõuenire, non conuenire alicui docere debemus. ſic enim conſequens erit & fi-*

ctione

ctione nulli conuenire. Quòd ſi cui non conuenire ponatur, probandum eſt alicui conuenire, ſic enim illud conſequens erit, conuenire omnibus. Illud autem perſpicuum eſt, eum qui aliquid ponat & fingat, ad generalẽ ſpeciem reuocare quæſtionem. eum enim uult qui partem concedat, totum etiam concedere: quandoquidem ſi uni, pari ratione æquum putat conuenire omnibus. Ac infinitæ quidem quæſtiones uno modo euerti refellique poſſunt: ut ſi uoluptatem bonum eſſe dixerit, aut non eſſe bonum, neque aliud quicquam expoſuerit. Nam ſi uoluptatem aliquam in bonis eſſe dixerit, nullam eſſe omnino probandum eſt, ſi rẽ propoſitam uelit euertere. Item ſi uoluptatem aliquam non bonam eſſe enunciarit, omnino demonſtrandum eſt omnem eſſe, aliter enim non poteſt reprehendi. Nam ſi uoluptatem aliquam non eſſe bonum, aut eſſe doceamus, nondum propoſita res reprehenſa eſt. Ex quo perſpicuum eſt, rem infirmari uno modo poſſe, confirmari duobus. Siue enim omnino doceamus omnem in bonis uoluptatem duci, ſiue aliquam, res confecta erit. Itémque ſi opus ſit oſtendere, aliquam uoluptatem non eſſe in bonis, ſi nullam eſſe doceamus, aut aliquam non eſſe, utrumque effecerimus & omnino, & ex parte, aliquam in bonis non eſſe uoluptatem. Definita autem quæſtione duo ad refellendum loci ſuppetent. ut ſi quis ponat in bonis uoluptatẽ aliquam eſſe, aliquam non eſſe: ſiue omnis in bonis eſſe doceatur, ſiue nulla eſſe, res propoſita infirmata erit. Quòd ſi unam tantummodo in bonis uoluptatem poſuerit, tribus modis id poterit refelli. Si enim omnem eſſe, uel nullam, uel plures docuerimus, rem propoſitam euerterimus. Si uerò quæſtio definita expoſitáque ſit pluribus, ueluti prudentiam ſolam ex uirtutibus eſſe ſcientiam, ad id reprehendendum quatuor modis inſtructi erimus. Nam ſi doceamus omnem uirtutem ſcientiam eſſe, aut nullam, aut etiam aliam, ueluti iuſtitiam, aut ipſam prudentiam non

conti



contineri ſcientia, euerſum erit id de quo agitur. In quo utile erit: quid cuiq; rerum ſingularum quas expoſui accidat, aut non accidat uidere: quemadmodum de generalibus quæſtionibus tradidi. Genera etiam uidenda ſunt diligenter, eáq; in partes, ut dixi uſq; ad indiuidua, tribuenda. Siue enim in toto genere perſpiciatur ineſſe, ſiue in nulla parte, cum multæ adferuntur: petendum eſt, ut omnino totúmq; cõcedat, aut certè occurrat, in qua non ita reperiatur. Poſtremò quibus in rebus aut ſpecie aut numero cõſtitui poteſt accidẽs, num quid conueniat uidendum eſt. ut tempus non moueri, aut non eſſe motum, ſi probare uelimus, quot ſint genera motus docendum eſt. Si enim nullum eorum conueniat tempori, tempus certè nec mouetur, nec motus eſt. Itémq; animum non eſſe numerum licebit docere, diuiſione adhibita, omnem numerum aut parem eſſe, aut imparem. Nam ſi animus neque par, neque impar ſit, profectò eſſe numerus nullo modo poteſt. Ac ex his quidem locis argumenta ducenda ſunt, & depromenda ad confirmandum uel refellendum accidens.

# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER QVARTVS.

## CAP. I.

DEINCEPS ea quæ ad genus & propriũ pertinent, uideamus. In iis autem elementa definiendi tradentur, quæ quidem raro in diſputationem incidunt. Si igitur ponatur genus alicu=

ius eorũ quæ ſunt, primum uidendum eſt, an de aliquo eorum quæ illi cognata ſunt & uicina, minimè dicatur, ut fit in accidentibus. ut ſi uoluptatis genus bonum ſtatuatur, an aliqua uoluptas non ſit in bonis, uidendum erit. Nam ſi ita fiat, certè uoluptatis bonum nõ eſt genus, quippe cũ genus in formis omnibus quæ ſub ipſum ſubiectæ ſunt, intelligatur. Deinde conſyderandũ eſt, an in quæſtione qua quid ſit res exquiritur, minimè dicatur, ſed ut accidens. ut id quod albũ eſt de niue, aut de animo, id quod pulſu ſuo & interiore agitatur. Neq; enim idem nix eſt quod album aliquid, itaq; non eſt id quod albũ eſt niuis genus, nec animi id quod à ſe mouetur: accidit enim ei ut moueatur, quemadmodum ſæpe animali ut ambulet. Præterea quod à ſe mouetur, non aliquid quod eſt, ſed aliquid quod facit aut patitur indicat. Itémq; id quod album eſt, non naturam niuis ſignificat, ſed qualitatem. Ita neutrum eorum in naturæ quæſtione dicitur. Maxime uerò an definitio accidentium in id genus quod datũ eſt, conueniat, ſpectare debemus. Nam ut in eo exemplo quod modo protuli permaneam, fieri poteſt ut aliquid ſe ipſum & moueat & non moueat. Itémq; ut albũ ſit aliquid & non album. ex quo efficitur, neutrum eorũ genus eſſe, ſed accidens. quandoquidem accidẽs diximus eſſe, id quod & conuenire alicui poteſt, & non cõuenire. Iam illud etiam uidendũ eſt, an non in eadem diuiſione, genus & ſpecies numerata ſint. unũq; eorum ad ſubſtantiam, alterum ad qualitatem: aut illud ad ea quæ cum aliquo conferuntur, hoc ad qualitatẽ pertineat: ueluti nix, & cygnus ad ſubſtantiam: id autem quod album eſt non ad ſubſtantiam, ſed ad qualitatem pertinet. Ita id quod album eſt nec niuis genus eſt, nec cygni. Rurſus, quoniam ſcientia in ijs eſt quæ cum aliquo conferuntur, bonum autem & honeſtum in qualitate, fit ut honeſtum aut bonum, non ſit genus ſcientiæ, præſertim cum eorum quæ cum aliquo conferuntur genera etiam ipſa





in eodem genere eſſe debeant. Id quod in duplò cernere licet. Nam cum multiplum dupli ſit genus, ipſum etiam in ijs eſt, quæ cum aliquo conferuntur. atq; ut ſummatim dicam, eidem diuiſioni cui ſpecies, genus ſubijci debet. Siue enim ſpecies ſubſtantia ſit, etiam genus: ſiue qualitas ſit ſpecies, etiam genus qualitas ſit neceſſe eſt. Vt ſi candor ad qualitatem referatur, color etiam refertur. Quod etiam fit in cæteris. Præterea uidendum eſt, an neceſſe ſit, aut poſsitne genus eò participare quod genus poſitum eſt. definitio autem participandi eſt, eius quod communicatur, recipere definitionem. Ex quo perſpicuum eſt, ſpecies generum participes eſſe, genera formarum non eſſe. quandoquidem generis cum ſpecie communicatur definitio, ſpeciei cum genere non item. Illud ergo uidendum eſt, genúſne id de quo agitur, particeps ſit, an poſsit eſſe ſpecici particeps, ut, ſiquis eius quod eſt aut unius illud aliquid genus tradat. Ita enim fiet, ut particeps ſit formarum genus. quoniam in rebus omnibus quæ ſunt, id quod eſt & unum intelliguntur: ergo etiam eorum definitio. Illud etiam, an ſpecies data & propoſita in aliqua re uere dicatur, genus non dicatur. ueluti, ſi id quod eſt, aut quod ſciri poteſt opinabilis ponatur genus, de his enim rebus, quæ nullæ ſunt opinabile dicitur. quoniam multa eorum quæ nulla ſunt, in opinione conſidunt. Id autem quod eſt, aut quod ſcientia comprehenditur, de ijs quæ nulla ſunt, ut perſpicuum eſt, non dicuntur. Ex quo fit ut neq; id quod eſt, neq; id quod ſcientia comprehenditur, ſit genus opinabilis: præſertim cum in quibus ſpecies dicitur, genus quoq; dici debeat. Præterea illud etiam cõſyderandum eſt, an nullius formæ id quod poſitũ eſt genus particeps eſſe poſsit. fieri enim non põt, ut generis ſit particeps id quod nullius formarũ eſt, niſi fortè aliquid eorum quæ in diuiſione prima formarũ collocantur, quæ omnia genere tantummodo participant. Quòd ſi motus ponatur uoluptatis genus eſſe, an

neq; interitus, neq; commutatio, neq; ullus motus alius eorum qui propoſiti ſunt uoluptas ſit, uidendum eſt. Perſpicuum eſt enim nullius formæ recipere poſſe communionem: ita ne generis quidem: quandoquidem id neceſſe eſt, quod generis eſt particeps, alicuius etiam particeps eſſe formarum. Ita fit ut motionis ſpecies uoluptas eſſe non poßit, neq; indiuiduorum neq; eorum quæ ſubiecta ſunt ſub ſpecie motionis: quandoquidem generis ſpecieiq; cum indiuiduis definitio communicatur, ut certus homo, & hominis particeps eſt & animalis. Præterea illud etiam uidendum eſt, an id quod poſitum eſt, genus eſſe in pluribus quàm genus intelligatur. ut opinabile in pluribus quàm id quod eſt, dicitur. Etenim id quod eſt & quod non eſt, in opinione cõſidit. Ita opinabile eius quod eſt, ſpecies eſſe nullo modo poteſt. Semper enim ad plura genus quàm ſpecies pertinet. Itémq; illud, an genus in totidem rebus quot forma dicatur, ut ſi eorum quæ res omnes conſequuntur, unum genus, alterum ſpecies ſtatuatur: qualia ſunt id quod eſt, & unum. Omnibus enim in rebus id quod eſt, & unum intelliguntur. Neutrum igitur alterius eſſe genus poteſt: quandoquidem in rebus paribus æqualibúſq; dicuntur. Quod etiam fiet, ſi quod primum eſt & principium, alterum alterius genus eſſe ſtatuatur. Nam & initiũ primũ eſt: & quod primum eſt, id initium. Ita ſi utrumq; idem ualet, certè neutrum alterius genus futurum eſt. In quibus omnibus illud initium & quaſi elementum nobis propoſitum eſſe debet. Genus ad plura quàm ſpeciem differentiámq; pertinere. Pauciora enim quàm genus etiam continet differentia. Animaduertendum etiam eſt, an id quod pro genere adhibitum eſt, non eſt genus alicuius eorum quæ ſpecie non differunt, an etiam non poßit uideri. Is quidem qui rem confirmabit, ſitne cuiuſquam uidebit. Eſt enim omnibus iјs quæ ſpecie non differunt, idẽ datum genus, quòd ſi unius docuerit eſſe, profectò omnium eſſe oſten-

derit:



derit: ſin unius non docuerit, certè nullius docuerit, ut ſi quis indiuiduas lineas ponat, dicátq; earum genus eſſe id quod ſecari non poteſt. linearum enim earum quæ diuidi poſſunt non eſt genus id quod datum eſt, cum ſpecie non differant: quandoquidem rectæ lineæ omnes ſpecie non differunt.

CAP. II.

ILlud etiam, an ſit aliud aliquod genus eius ſpeciei quæ data eſt, quod nec genus propoſitum contineat, neq; ſub illud ſubiectum ſit. ut ſi quis iuſtitiæ genus eſſe ſciẽtiam ponat. quoniam enim genus eſt etiam uirtus, neutrúmq; genus alterum continet, ſcientia genus eſſe iuſtitiæ nullo modo poteſt. Cum enim ſpecies una duobus generibus ſubiecta eſt, tum alterum altero continetur. Quanquam de nonnullis quæſtio eſt. nonnullis enim & uirtus & ſcientia prudentia uidetur eſſe, nec alterum genus altero contineri: non tamen omnium conſenſu prudentia ſcientia eſt. Quòd ſi quis id quod dixi uerum eſſe cõcedet, at certè alterũ alterius genus eſſe, aut ſub eodẽ genere utrumq; ſubiјci, quod eidẽ genus ſit neceſſe eſt. quod & in uirtute & in ſcientia contingit. utrũq; enim eidẽ generi ſubiectum eſt, quippe cum eorum utrũq; habitus ſit & affectio. Illud igitur uidendum eſt, an neutrum generi propoſito conueniat: quoniam ſi nec alterum altero continetur, nec utrunque eodem, certè id quod propoſitum eſt, eſſe genus nullo pacto poteſt. Spectandũ etiã genus eſt propoſiti generis, itaque ſemper id genus quod ſupra eſt, omniáne illa de ſpecie dicantur, & in quæſtione naturæ intelligantur. De ſpecie enim in quæſtione naturæ genera quæ ſuprà ſunt dici debent omnia. Quòd ſicubi hæc nõ cõſtet ratio, profectò id quod propoſitũ eſt, non eſt genus. Iam illud etiã conſiderandũ eſt, an ſpeciei cũ genere, aut cum aliquo genere eorũ quæ ſupra ſunt, communicetur definitio. Quod enim genus ſuprà eſt, nullius eorũ quæ infra ſunt definitione participat. Ac ei quidẽ qui partes

infirmãdi obtinet, ita ut dixi, hic tractandus locus eſt. Ei autem qui probabit rem, ſi ſpeciei genus propoſitum conuenire conſtiterit, in dubium autem ueniat, an ut genus conueniat: ſatis erit aliquid eorum generum quæ ſuprà ſunt, dici de ſpecie in quæſtione qua quicq; ſit exquiritur, docere. Etenim ſi unũ aliquod in illa quæſtione dicatur: certè omnia & quæ hoc priora antiquioráq; ſunt, & quæ poſteriora: ſiquidẽ ſpecie dicãtur, in naturæ quæſtione dicẽtur. ex quo efficitur, id genus quod datũ ſit, in eadẽ quæſtione dici. Quòd ſi unũ in naturæ quæſtione dicatur, cætera etiã omnia, ſi quidẽ dicãtur, in eadem dictum iri quæſtione, inductione concludendum eſt. Sin omnino genus propoſitũ conuenire in controuerſia uerſetur, nõ ſatis eſt docere unũ aliquod genus eorũ, quæ ſuprà ſunt in naturæ quæſtione dici de ſpecie. Veluti ſi quis ingreſſui genus dederit delationem, non ſatis eſt ingreſſum eſſe motionem docere, ad probandum ingreſſum eſſe delationem, quandoquidem alia ſunt etiam motionum genera: ſed antè docẽdum eſt, ingreſſum nullius eorũ, quæ in eadem diuiſione, qua delatio, collocantur, niſi delationis retinere definitionem. Quod enim particeps eſt definitionis generis, id alicuius etiam formarũ, quæ prima partitione continentur: definitione participet neceſſe eſt. Quòd ſi ingreſſus nec accretionis, nec imminutionis, neq; aliarũ motionũ ſibi definitionẽ uẽdicet, profectò delationis uendicet neceſſe eſt. ita ingreſſus delatio genus erit. Præterea in quibus ſpecies poſita ut genus dicitur, conſyderãdum eſt, an etiã genus quod datũ eſt, in quæſtione naturæ de ijs de quibus etiam forma, dicatur: itémq; an quæ ſupra genus ſunt omnia. Nã ſi quo loco hoc non cõueniat, certè id quod datũ eſt generis nomen non obtinebit. Etenim ſi genus eſſet, omnia & quæ ſuprà ſunt & ipſum illud in naturæ quæſtione dicerentur, quemadmodum etiam ſpecies in ea quæſtione dicitur. Cõmodum erit ei qui refellendi partes obtinebit, non dici genus





in quæſtione qua quid ſit quæretur, de ijs omnibus de quibus etiam forma dicatur. at ei qui confirmabit in ea dici quæſtione. Ita enim efficietur: & genus & formam de eodẽ in quæſtione naturæ dici: ex quo conſequens erit idem duobus generibus eſſe ſubiectum. Alterum igitur altero contineatur neceſſe eſt. Quòd ſi demonſtratum ſit, id genus quod conſtituere uolumus, nõ eſſe ſubiectum ſub ſpecie, profectò ſpecies ſub eo ſubiecta erit. Ita oſtenſum erit, generis id nomen obtinere. Videndum etiam eſt, an ſpeciei propoſitæ, ijsq; quibuſcum ſpecies communicatur, generum conueniat definitio. Neceſſe eſt enim in ſpecie, iisq; omnibus quæ ſpecie participant, generum dici definitiones. Quod ſi quo loco non conueniat, certè quod datum eſt, generis nomen non obtinet. Illud etiam, quum differentiam pro genere adhibuit. ut ſi immortale genus dei dixerit. Eſt enim animantium differentia immortale: quandoquidem animantium alij ſunt mortales, alij immortales. ex quo perſpicuum eſt in errore illum eſſe uerſatum, quoniam nullius rei genus differentia eſt. Quod uerum eſſe ex hoc intelligi poteſt, quia differentia quid res ſit, non indicat: ſed potius quale quid ſit, quemadmodum gradiens & bipes. Illud etiam an differentiam in numerum generum loco ſpeciei aſſcripſerit, ut ſi quis impar pro numero dixerit. differentia enim numeri eſt impar, non ſpecies: nec differentia generis eſt particeps, præſertim cum quicquid generis eſt particeps, id uel ſpecies ſit, uel indiuiduum: & differentia nec ſpeciei nec indiuidui nomen obtineat omnino. Ita fit ut generis non ſit particeps differentia. Non igitur impar, ſpecies eſt, ſed differentia, quandoquidem non eſt particeps generis definitionis. Præterea illud etiam conſyderandum eſt, an genus in formarum numerum retulerit: ut contiguitatem idem eſſe quod continuationem: aut permixtionem idem quod temperationem: aut, ut Plato definit, delationem, loci mutationem.

neq; enim neceſſe eſt contiguitatem continuationem eſſe: ſed contrà, continuationem contiguitatem eſſe neceſſe eſt. quippe cum non omne quod coaptatur continuetur: ſed quod continuatur aptatur. quod idem fit in cæteris. neq; enim confuſio omnis temperatio eſt: quoniam ſiccorum permixtio non eſt temperatio: nec mutatio loci omnis, delatio. Ingreſſus enim delatio non uidetur eſſe, propterea quòd in ijs tantummodo quæ ui, non ſponte & uoluntate ſua locum mutant, dicitur. id quod in rebus inanimis contingit, ex quo intelligitur ſpeciẽ, quàm genus in pluribus dici. in ijs quæ data ſunt, quum contrà neceſſe ſit fieri. Videndũ etiam illud eſt, An in formarum numero differentiam collocarit, ueluti ſi immortale idem eſſe quod deum dixerit. Ex eo enim conſequens erit, in paribus, aut pluribus dici ſpeciem. ſemper enim in paribus rebus, aut in pluribus, quàm ſpecies differentia dicitur. Etiam illud, an genus in numerum differentiarum repoſuerit, ut colorem ad id quod uim habet ad aſpectum oculorum comparandum: uel numerum, imparem. Itémq; illud, an genus dixerit differentiam. Fieri enim poteſt, ut aliquis hoc propoſitum afferat & inducat, temperationis differentiã eſſe confuſionem, aut delationis, loci immutationem. Atq; hæc omnia ex iiſdem locis, quoniam inter eos communio eſt & ſocietas quædam, intelligenda ſunt. Nam & genus in pluribus dici debet quàm differentia, & differentiæ non eſſe particeps. Quòd ſi ita ut in ſuperioribus exemplis genus detur, neutrum eorum quæ expoſuimus accidere poteſt. Sic enim & in paucioribus dicetur genus, & participabit differentia. Præterea illud intelligẽdum eſt, ſi differentia nulla earum quæ generi ſubiectæ ſunt de ſpecie quæ data ſit dicatur, ne genus quidem dictũ iri. nam quoniam de animo nec impar, nec par dicitur, eo fit ut ne numerus quidem. Iam uerò ſi ſpecies ſit prior naturæ ordine, & genus unà ſecum tollat, & euertat, quod contrà uidetur,

genus



genus eſſe nullo modo poteſt. Quod idem fit, ſi genus expreſſum & propoſitum, aut differentiam poteſt relinquere, ut animus moueri, aut opinio uerũ & falſum. neq; enim alterum eorum genus poteſt eſſe, aut differentia, quoniam quandiu ſpecies eſt, eam & genus & differentia ſequuntur.

CAP. III.

ATque etiam illud uidendum eſt, an id ipſum quod poſitum eſt genus eſſe alicuius contrarij generis, particeps ſit definitionis, aut eſſe poſsit. ſic enim eadem res ſimul contrariorum poterit eſſe particeps: propterea quòd nunquam genus prætermittit, & contrarij eſt aut poteſt eſſe particeps. Illud etiam, an cum ſpecie aliquid communicetur, quod ijs quæ ſubiecta generi ſunt conuenire non poſsit omnino. ut ſi animus uitæ eſt particeps, nec ullus numerus poſsit uiuere, certè animus eſſe numeri ſpecies nullo modo poteſt. Illud etiam uidendum eſt, an ſpecies multis uariiſque modis cum genere collata dicatur. In quo ex locis eorum quæ multis modis dicuntur quos expoſuimus, argumenta nobis ſuppetent. Sunt enim genus & ſpecies ſynonyma. Cúmque omnium generum multæ ſint formæ ac ſpecies, conſyderandum eſt, an poſsit alia ſpecies eſſe illius generis quod datum eſt. Nam ſi non ſit alia ſpecies, profectò id quod propoſitum eſt, in numero generum non eſt habendum omnino. Illud etiam, an quod per translationem dicitur, pro genere ſit propoſitum. ueluti ſi quis temperantiam concordiam concentumq; dixerit. Nam cum genera omnia propriè de formis dicantur, concentus de temperantia non propriè, ſed per translationẽ dicitur. quandoquidem concentus omnis in ſonis cernitur. Iam uerò an aliquid ſpeciei contrariũ ſit, uidendum eſt. qui ſanè locus multis modis tractari poteſt. Primum, ſi in eodem genere etiam cõtraria reperiantur, cum interim nihil ſit generi contrarium. In eodem enim genere contraria ineſſe debent, ſi nihil generi

ſit contrarium. Quòd ſi quid cõtrarium ſit generi, an contrarium contrario ſit, uidẽdum eſt. Contrariũ enim, ſi quidem ſit generi aliquid contrarium, in contrario neceſſe eſt eſſe, quæ omnia ex inductione intelligi licet. Præterea illud etiam, an in nullo omnino genere id inſit quod ſpeciei contrarium eſt, ſed genus ipſum, quale eſt bonum. Nam ſi illud in genere non reperiatur, ne contrariũ quidem eius in genere reperietur, ſed ipſum in generum numero habebitur. Quod in bono malóque contingit: quorũ neutrum ad genus refertur ullum, ſed utrunque eorum genus eſt. Illud etiam, an contrarium & genus ſit alicui & ſpecies, & quibus aliquid eſt interiectũ, & quibus nihil eſt. Nam ſi quid interiectum ſit generibus, etiam formis eſt: & ſi formis, etiã generibus uiciſſim. Quod in uirtute & uitio, iuſtitia & iniuſtitia perſpici licet: quorum utriſque aliquid interiectum eſt. Huic loco occurritur, inter ualetudinem & morbum nihil medium eſſe, inter malum & bonũ aliquid eſſe. Tum uidendũ eſt, an inter ſpecies & genera aliquid interiectum ſit, nec eodẽ modo, ſed ita ut inter alia negatio interiecta ſit, inter alia res aliqua ſubiecta: ſiquidem eodem modo utriſque probabile eſt data eſſe. Id quod uidere licet in uirtute & in uitio, & in iuſtitia, quibus aliqua interiecta eſt negatio. Porrò quando non erit generi cõtrariũ, non ſolùm illud uidendum eſt, an contrarium in eodem genere reperiatur, ſed etiam illud quod medium eſt, quandoquidẽ, in quo extrema, etiam medium collocatur, quod in candore & nigrore contingit. Nam & eorum & colorũ omnium qui medij ſunt & interiecti, color genus eſt. Cui tamẽ loco occurritur. Parũ enim & nimium cum in eodem genere reperiantur: (ſunt enim in malis) tamen mediocritas quæ ijs interiecta eſt, non in malis eſt, ſed in bonis. Illud etiam, an genus alicui ſpecies nulli ſit contraria. Nam ſi genus alicui contrarium eſt, etiam forma eſt, ueluti uirtus & uitium, iuſtitia & iniuſtitia. Quod idem

in



in cæteris omnibus perſpici licet. Hoc tamen loco nobis occurritur: ualetudo enim uniuerſa morbo contraria eſt: certus autem morbus cum morbi ſit ſpecies, nulli contrarium eſt, ut febris, ut oculorum dolor, & ſinguli alij. Ac ei quidem qui refellendi partes tuebitur, tot modis hæc uidenda ſunt. quoniam ſi ea ipſa quæ expoſuimus minus reperiantur, certè quod datũ eſt & propoſitum, non eſt genus. Ei autem qui confirmabit, tribus ex locis ad diſputandum ſuppetet copia. Primus eſt, ſi quod contrarium eſt ſpeciei, id in eo genere ſitum ſit quod poſitum eſt, interim contrarium generis minimè reperiatur. Si enim contrarium ad aliquod genus pertineat, profectò propoſitum etiam genus pertinebit. Alter locus eſt, ſi id quod interiectum eſt & medium, ad genus propoſitum referatur: ad quod enim genus media, etiam extrema referuntur. Tertio loco, ſi quid contrarium eſt generi, an etiam contrarium ſit in contrario, uidendum eſt. ſi enim ſit, profectò propoſitum etiam genus ſit in propoſito neceſſe eſt.

## CAP. IIII.

At uerò & ei qui infirmabit, & ei qui confirmabit, à caſibus & coniugatis, uidendũ erit, an in eodem modo ſint cõſequentia quæ proponuntur. Nam ſi ſemel in uno, etiã in omnibus intelligetur, aut nõ intelligetur. ueluti ſi iuſtitia ſcientia quædã eſt, etiam id quod iuſtè fit, ſcienter fiat, & iuſtus ſciẽs ſit, neceſſe eſt. Quòd ſi nihil eorũ ſit, ne aliorum quidem eſſe aliquid poteſt. A ſimili hoc modo, Quod iucundũ eſt, eandem habet rationem ad uoluptatem, quam id quod utile eſt ad bonum: ſiquidem utrumque utriuſq; efficiens eſt: ita fit, ut ſi uoluptas ſit in bonis, etiam id quod iucundum eſt ſit in ijs quæ utilia ſunt. Perſpicuũ eſt enim boni eſſe efficiẽs, quandoquidẽ uoluptas eſt in bonis. Hoc etiã modo locus ab origine & ortu interitúque ducitur. ut ſi ædificare ſit agere, ædificaſſe etiam erit egiſſe: & ſi diſcere eſt recordari, certè didiciſſe recordatum

tum

tum eſſe erit: & ſi diſſolui, interire eſt, profectò & diſſolutum eſſe, interiſſe erit, & diſſolutio aut direptio interitus. Eadem eſt ratio eorũ quæ uim habẽt ad gignendũ & interimendum. Itemq́; uis & uſus, omninoq́; in quauis ſimilitudine, & is qui refellet argumẽtationem, & qui confirmabit, eodẽ modo perſpicere debet, quomodo in loco ab ortu & interitu expoſuimus. Si enim id quod uim habet ad interimendum, uim etiam habet ad dirimendũ, etiam interire erit dirimi: & ſi id quod uim habet ad gignendũ, pertineat ad efficiendũ, certè & gigni idem quod fieri erit, & ortus idem quod effectio. quod de ui & uſu eodem modo iudicandũ eſt. Nam ſi uis effectio ſit, etiã poſſe effici erit: & ſi alicuius rei uſus & functio actio ſit, profectò & fungi idem quod agere, & functũ eſſe idem quod egiſſe ualebit. Quòd ſi priuatio erit id quod ſpeciei contrariũ eſt, dupliciter licebit refellere. Primò quidẽ, ſi in genere quod propoſitum eſt, id contrarium reperiatur. Aut enim in nullo omnino genere eodem, aut certè non in extremo priuatio eſt. ueluti ſi aſpectus in extremo genere ſenſu inſit, certè ſenſus cæcitas eſſe non poteſt. Deinde ſi & generi & ſpeciei cõtraria ſit priuatio, neq; ſit contrarium in cõtrario, ne id quidem genus quod propoſitum eſt in propoſito intelligetur. Atque is quidem qui refellit, argumenta ſumet, quemadmodum expoſui: qui autẽ confirmabit, unum tantummodo depromet, hoc modo: Si contrarium in contrario, etiam propoſitum genus in propoſito reperiatur neceſſe eſt: ut ſi cæcitas, quædam ſenſus uacuitas ſit, etiam aſpectus ſenſus ſit neceſſe eſt. Ab aientibus autem & negantibus, eodem modo quo à communibus & accidentibus expoſitum eſt, argumẽta ducenda ſunt, hoc modo: Si quod iucundum eſt, bonum eſt: quod non eſt bonum, id iucundum non eſt. ſi enim non ita ſit, erit aliquid iucundum, quod non eſt bonum. Fieri enim non poteſt, ut ſi bonum genus ſit, eius quod iucundum eſt, ſit aliquid non bonum iucundum:

præſe



præſertim cum in quibus genus non dicitur, ne ulla quidem ſpecies in iјs dici queat. Hoc quidem modo ei qui confirmabit ducendum argumentum eſt: Si quod non eſt bonum, id iucundum non eſt, quod iucundum eſt, in bonis eſt. ita genus eſt bonum eius quod iucundum eſt. Quòd ſi in iјs ſit ſpecies, quæ cum aliquo conferuntur, an etiam genus in iјs ſit uidẽdum eſt. Si enim ſpecies in eorum habeatur numero quæ cum aliquo conferuntur, etiam genus habeatur neceſſe eſt, quod in duplo & multiplo cernere licet, quorũ utrunque in iјs eſt quæ cum aliquo conferũtur. At uerò non ſi genus ad ea pertineat, ſpeciem etiam pertinere neceſſe eſt. Nam & ſciẽtia in iјs eſt, & grammatica non item: aut certè ne id quidem quod ſuprà diximus uerum uideri poteſt. nam cum uirtus in bonis ſit & in rebus honeſtis uirtúſq; in iјs quæ cum aliquo conferuntur, tamen nec bonum nec honeſtum in iјs ſunt quæ cum aliquo conferuntur, ſed in qualibus. Præterea uidendum eſt, an ſpecies non ad idem referatur per ſe, & generis ratione. ut ſi duplum ſimpli dicitur duplum, etiam quod multiplum eſt ad ſimplum referri debet: ſin minus, certè multiplũ eſſe genus dupli nullo modo poteſt. Itemq́; illud, an minimè ad idem referatur, & generis, & omnium generum generis ratione referatur. ſi enim duplũ ſit ſimpli & multiplum, etiam quod ſimplum uincit & ſuperat dicetur, omninoq́; omnium generum quæ ſuprà ſunt ad ſimplum nomine referetur. Quanquam huic loco occurritur: propterea quòd non neceſſe ſit ipſum per ſe & generis nomine adhibito cum eadem re conferri. Nam cum ſcientia ad rem quæ ſcientia comprehẽditur, referatur, tamen habitus, & affectio non ad rem quæ ſub ſcientiã cadit, ſed ad animum pertinet ac refertur. Illud etiam, an genus & ſpecies iјſdem caſibus explicentur, ut an alicui tribuatur, an uerò alicuius ſit, aut alióne modo dicatur. Eadem enim eſt ratio ſpeciei & generis. Id quod fit in duplo, iiſque omnibus quæ ſu

prà

prà ſunt. Alicuius enim rei & duplum & multiplum, duplum multiplúmque dicitur. quod eodem modo de ſcientia iudicandum eſt. Alicuius enim ſcientia & ipſa ſcientia & genera, ut affectio, ut habitus eſſe dicuntur. Occurritur tamen interdum, non ita rem habere, propterea quòd differens & contrarium alicui contrario dicitur, cum interim diuerſum quod illorum genus eſt, non alicui diuerſum, ſed ab aliquo dicitur. Diuerſum enim quid ab aliquo nominatur. Rurſum, illud uidendum eſt, an ea quæ cum aliquo conferuntur, iiſdem caſibus explicentur, miniméque reciprocentur eodem modo ut fit in duplo & multiplo, quorum utrũque alicuius & ipſum & uiciſsitudine quadam dicitur. Nam & ſimplum & ſubduplum alicuius rei ſimplum & ſubmultiplum appellatur, quod idem in ſcientia & opinione contingit, quæ alicuius eſſe dicũtur. Itemq; reciprocãtur. Nam quod ſub opinionem cadit & ſcientiam, alicuius ſub opinionem & ſcientiam cadit: ex quo fit, ut ſi in aliquo non uiciſsim reſpondeat alterum alteri, non ſit futurum genus. Illud etiam uidendum eſt, an in hoc ipſo genere quod tractamus, genus & ſpecies paribus caſibus explicentur, quoniam iiſdem paribúſque caſibus utrunque dici debet, quod fit in dono & largitione. Nam & donum, alicuius donum, & alicui dono datum eſſe dicitur: & largitio alicuius largitio, & alicui facta largitio dicitur. quorum largitio genus doni eſt. Eſt enim donum, largitio quæ reddi non debet. Quanquam nonnulla ſunt in hoc genere, quæ paribus caſibus non efferãtur. Duplum enim alicuius duplum eſt. quod autem uincit & maius eſt, & aliqua re maius eſt, & aliqua magnitudine maius eſt. Quicquid enim præſtat, id excellentia aliqua præſtat, & alicui rei præſtat. Ita non ſunt genera dupli quæ propoſita ſunt, quandoquidem paribus caſibus ea & ſpecies non exprimuntur: aut certè non omnino. uerum eſt ſpeciem & genus paribus caſibus efferri. Atque etiam illud uiden



uidendum eſt, ut contrarij cõtrarium genus ſit, ut dupli multiplum, & ſimpli ſubmultiplum: contrarium enim cõtrario genus eſſe debet. Quòd ſi quis ſcientiam ponat eſſe ſenſum, id etiam quod ſub ſcientiam cadit, ſub ſenſum cadere oportebit. non ita eſt, neque enim omne quod ſcientia comprehenditur, mouet ſenſum: cum præſertim quædam eorum quæ intelligentia & ratione continentur, ſubiecta ſint ſcientiæ: ita non eſt genus eius quod ſcientia comprehenditur, id quod ſub ſenſum cadit. quod ſi ita non eſt, ne ſenſus quidem ſcientiæ genus eſt. Quoniam autem eorum quæ cum aliquo conferuntur partim neceſſe eſt, in iis ſita eſſe quibuſcum conferuntur, ut affectio, ut habitus, ut apta compoſitio membrorum, quæ in nullo alio poſſunt ineſſe, quàm in iis ad quæ referuntur: partim non eſt neceſſe in iis ſita eſſe ad quæ pertinent, fieri autem poteſt: (ut ſi animus ſcientia contineatur, nihil prohibet animum ſui continere ſcientiam, & tamen non eſt neceſſe: cum præſertim fieri poſsit, ut hæc ipſa in alio ſita ſit) partim non poſſunt in iis eſſe omnino ad quæ referuntur: ut contrarium in contrario eſſe non poteſt, neque ſcientia in eo quod ſubiectum eſt ſcientiæ, niſi animus & homo ſcientia contineantur: illud uidendum eſt, an aliquis ad aliquod genus eiuſmodi quippiam retulerit quod non eſt eius generis. ut ſi quis memoriam ſedem ſcientiæ dixerit. Omnis enim ſedes & retentio in eo ſita eſt quod retinet. Ita fit, ut ſcientiæ ſedes & retentio in ſcientia ſita ſit: memoria igitur in ſcientia ſita erit, quandoquidem ſedes ſcientiæ propria eſt. quod fieri non poteſt. Omnis enim memoria in animo ſita eſt. Hic autem locus ad accidens referri poteſt. nihil enim intereſt, utrum memoriæ genus ſedem & retentionem dicamus, an ei hoc accidiſſe. quoniam ſi quouis modo memoria, retentio ſit ſcientiæ, eadem ei attribuetur definitio.

CAP.

## CAP. V.

ILlud etiam intelligendum eſt, ſi quis habitum pro actione dixerit, aut actionem pro habitu, eorum neutrum eſſe genus. ut ſi quis ſenſum, motum corporis dixerit. eſt enim ſenſus habitus, motus autem actio. Quod idem fiet, ſi memoriam habitum continendæ opinionis appellauerit. nulla enim memoria habitus eſt, ſed potius actio. Errant etiam ij, qui habitum ſtatuunt eſſe uim quæ conſequẽs eſt ex habitu, ut clementiam, iræ continentiam, & fortitudinem, atque iuſtitiam, metus lucrique continentiam. Nam & fortis cleménſq; uacuus à perturbatione dicitur, & continens is qui eſt in perturbatione, neque ab ea uincitur. Ac uis quidem ex utroque talis fortaſſe conſequitur, ut ſi quis ſit in perturbatione, non ab ea uincatur, ſed eam uincat. nec eſt id quidem fortem aut clemẽtem eſſe, ſed nihil omnino ab ijs perturbationibus agitari. Interdũ etiam quod ex re qualibet conſequens eſt, id pro genere dicũt ut dolorem, iræ genus, & fidei opinionẽ. utrunq; enim eorum cum ex formis propoſitis quodammodo cõſequatur: neutrum tamen in numerum generum uenit. qui enim iraſcitur, dolet ille quidem, ſed cum dolor eum prius confecerit. quandoquidem non ira doloris, ſed dolor iræ cauſa eſt. ex quo efficitur, ut ira non ſit dolor omnino. ex quibus etiam intelligi poteſt, fidẽ non eſſe in opinione. Fieri enim poteſt, ut is etiam qui non fidem habeat, eandem habeat opinionẽ. quod fieri non poteſt, ſi quidem fides ſit opinionis ſpecies. Non enim fieri poteſt, ut idem etiam permaneat, ſi ex ſpecie omnino aut genere in genus transferatur: quemadmodum fieri non poteſt, ut aliquid idem ſit in uita, & aliàs homo ſit, aliàs non ſit. Quòd ſi quis contendat, neceſſe eſſe eum qui opinetur etiam credere, idem paria eſſe & æquè patêre opinionem ac fidem fatebitur. Ita non erit genus, quoniã genus ad plura debet pertinere. Illud etiam uidendum eſt, an in aliquo eodem utrũque ineſſe poßit.





In quo enim genus ineſt, etiam ſpecies. ut in quo candor exiſtit, etiam color: & in quo grammatica, etiam ſcientia ſolet exiſtere. Si quis igitur uerecundiam metum eſſe dicat, aut iram dolorem, nõ efficietur ut in eodem genus ſpeciéſq; intelligantur. Eſt enim uerecundia in ea parte animi ſita, quæ rationis eſt particeps: metus autem in ea, in qua irarum exiſtit ardor: & dolor in ea, in qua cupiditates uerſantur: quoniã in ea etiam uoluptatis eſt ſedes: ira uerò in qua ira uerſatur. Ex quo efficitur non eſſe genera ea quæ propoſita ſunt, quandoquidẽ non in eo ipſo, in quo ſpecies & formæ, ſolent exiſtere. Itémq; ſi amicitia in ea ſit parte in qua uoluptates habitant, non erit uoluntas aliqua, præſertim quum uoluntas omnis in ea parte ſita ſit quæ rationis eſt particeps. Valet etiam hic locus ad communia & accidẽtia cõfirmanda. in quo enim accidens ſitum eſt, etiam id cui conuenit ſitum eſt: ita fit ut ſi in eodem non exiſtant, non ſit accidens. Illud etiam, an quadam ex parte cum ſpecie genus quod datum eſt, communicetur. Non enim quadam ex parte communicatur, quippe cum homo nõ ſit quadam ex parte animal, nec grammatica aliqua ex parte ſcientia, quod idem in cæteris contingit. Illud ergo conſyderandum eſt, an quædam cũ genere quadam ex parte cõmunicẽtur. ueluti ſi animal cadere ſub ſenſum, aut aſpectabile dictum eſt. Animal enim & ſub ſenſum, & ſub aſpectum quadam ex parte cadit. quandoquidem corpore ſenſum & aſpectum mouet, animo autem non mouet. ex quo ſequitur nõ eſſe genera animalis aſpectabile, & quod ſenſum mouet. Fallúntq; nos interdum ij qui totum ad partem transferunt, ueluti animal ad corpus animatum: atqui pars in toto nullo modo dicitur: non eſt igitur corpus genus animalis, quandoquidem pars eius eſt. Atq; illud etiam ſpectandum eſt, num quid eorum quæ uituperanda & fugienda ſunt, ad uim, aut ad id quod aliquid poteſt, relatum ſit. ut ſi ſophiſtam eum ſtatuerit

aliquis, qui poteſt parare pecunias ſapientia quæ in eo uidetur exiſtere: aut calumniatorem eum, qui poteſt calumniari, & ex amicis inimicos facere: aut furem eum, qui poteſt clàm aliena furari. nemo enim eorum quos expoſuimus, eiuſmodi appellatur ex eo, quòd poßit aliquid eorum efficere. Quandoquidē & deus poteſt, & uir bonus quæ mala ſunt efficere, cum interim non ſint eiuſmodi. Omnes enim improbi ex animo & uoluntate nominantur. Prætere a omnis uis & facultas in numero expetendorum habentur: etenim malorum uis expetenda eſt. Itaq; deum & uiros bonos ijs ipſis præditos eſſe dicimus. Eos enim fatemur res malas & flagitioſas agere poſſe. Ita fit ut uis nullius rei, quæ quidem uituperanda ſit, genus poßit eſſe. Sin ſecus, certè efficietur, ut aliquid eorum quæ uituperanda ſunt, ſit expetendum. Sic enim uis aliqua uituperanda erit. Itémq; illud uidendum eſt, an aliquid eorum quæ propter ſe & per ſe honorabilia ſunt, aut expetenda ad uim & facultatem, aut ad id quod poteſt aliquid, aut efficere poteſt, relatum ſit. Vis enim omnis & quicquid aliquid poteſt, aut efficiens eſt, id omne propter aliud expetendum eſt. Aut, an aliquid eorum quæ duplex habent genus, aut plura, ad alterutrum retulerit. Sunt enim quædam, quæ ad unum genus referri non poſſunt, quo in genere ſunt impoſtor & calumniator. neq; enim is calūniator aut impoſtor habendus eſt, qui uult, nec poteſt: neq; is qui poteſt, neq; uult: ſed is demum in quo utrumq; horum ineſt. ex quo efficitur, ea quæ poſita ſunt non in uno genere, ſed in utroq; eſſe collocanda. Iam uerò contrà interdū genus pro differētia, & differētiā pro genere dicunt: ut ſtuporem magnitudinē admirationis, & fidem ſtabilitatē opinionis. neq; enim magnitudo, neq; firmitas & ſtabilitas generis, ſed differētiæ nomine appellari debent: quoniam & ſtupor admiratio eſt nimia, & fides firma opinio. ex quo perſpicuum eſt & admirationem genus eſſe



eſſe & opinionem: magnitudinem uerò nimiam & firmitatem eſſe differentiam. Præterea ſi quis exuperantiam & firmitatem pro genere explicauerit, efficietur ut res inanimæ & fidem habeant, & conſternentur. Nam quoniam ineſt uniuſcuiuſq; rei firmitas & magnitudo aut exuperantia in eo cuius eſt firmitas & exuperātia, certè ſi ſtupor exuperantia eſt admirationis, ſtupor inerit in admiratione, ita obſtupeſcet admiratio. itemq; fides erit in opinione, ſiquidē firmitas opinionis eſt: ex quo efficitur opinionem credere. Conſequens etiam erit ut is qui iſto pacto de genere ſentiet, firmitatem firmam exuperantiámq; nimiam eſſe fateatur: quandoquidem fides aliqua firma eſt. Si igitur fides firmitas ſit, certè firmitas firma futura eſt. itémq; quoniam ſtupor aliquis nimius eſt, ſi ſtupor exuperantia ſit, erit nimia exuperantia. quorum neutrum uerum eſt, quemadmodum nec ſcientia eſt id quod ſub ſcientiam cadit, neque motus id quod mouetur. Errant etiam interdum ij qui affectionem ad genus quod affectum, referunt, quales ſunt ij qui immortalitatem uitam ſempiternam eſſe definiunt. Eſt enim affectio quædam, aut certè comes uitæ immortalitas. quod uerum eſſe fiet perſpicuum, ſi quis ex mortali immortalem effici conceſſerit. Nemo enim eum hominem aliam uitam degere, ſed aliquid ei conuenire, aut affectionem accidere fatebitur. Ita fit ut immortalitatis uita non ſit genus. Quo etiam in errore uerſantur ij qui affectionem eius rei cuius eſt affectio, genus eſſe ponunt, ut uentum eſſe aërem motum & agitatum. Eſt enim potius uentus, aëris impulſio: quandoquidem idem aër & cum agitatur, & cum ſtat, permanet: ex quo efficitur uentum non eſſe omnino aërem. Eſſet enim uentus etiam ſi aër non impelleretur: ſiquidem idem aër qui uentus erat permanet. Similis eſt ratio cæterorum eius generis. Quòd ſi etiam in hac re uentum eſſe aërem impulſum & agitatum concedere debeamus,

at certè non omni ex parte id approbandum eſt, non ijs quidem in rebus in quibus hoc tale genus non uerè dicitur, ſed in ijs in quibus uerè intelligitur genus id quod propoſitum eſt. Sunt enim quædam in quibus non uerè dicitur: ex quo genere ſunt nix & cœnum. Aiunt enim niuem eſſe aquam conglobatam atq; concretam, cœnum uerò terram humore temperatam: Atqui neq; cœnum terra eſt, neque nix aqua. Neutrum igitur genus eſſe eorum generum quæ propoſita ſunt ullo modo poteſt: quippe cum ſemper genus de formis uerè dici debeat. Item ne uinum quidem aqua eſt putris, ut ait Empedocles, Aqua putruit in ligno. Iam uerò ſi omnino nullius ſit genus id quod datum eſt, perſpicuum eſt ne eius quidem quod poſitum eſt eſſe. quod hinc intelligi poteſt, quia nihil ſpecie differunt ea omnia, quibuſcum genus id quod datum eſt communicatur. Cuius generis ſunt alba quæ ſpecie inter ſe non differunt. Species autem omnis generis differunt. Non igitur id quod album eſt, ullius genus eſſe poteſt. Illud etiam uidendum eſt, id ne pro genere aut differentia dixerit, quod ex rebus omnibus conſequens eſt. Sunt enim multa quæ res omnes conſequuntur, ueluti id quod eſt & unum in ijs ſunt quæ rem omnem ſequuntur. Itaq; ſi id quod eſt genus eſſe poſuerit, certè omnium rerum genus futurum eſt, quandoquidem in ijs dicitur: genus autem de nullo niſi de formis dicitur. Ita unum eius quod eſt, ſpecies eſſet. ex qua efficeretur in ijs omnibus in quibus genus, etiam ſpeciem dici. quandoquidem & id quod eſt, & unum de rebus omnibus dicitur, cum ſpecies pauciora quàm genus continere debeat. Quòd ſi id quod omnibus ex rebus ſequatur differentiam appellauerit, profectò paria aut plura quàm genus differentia cõtinebit. Nam ſi genus etiam in ijs eſt quæ conſequentia ſunt ex omnibus, ex æquo: ſin minus ex omnibus genus ſequatur, plura eo contineat differentia neceſſe eſt. Iam ſi in ſubiecta ſpecie genus id quod datum

eſt,



eſt, ut id quod album eſt in niue, dicatur, perſpicuum eſt id non eſſe genus. Solum enim genus de ſubiecta ſpecie dicitur. Atq; illud etiam uidendum eſt, an genus & ſpecies ſint ſynonyma. Genus enim de formis omnibus nominis definitioniſq; communi ſocietate dicitur. Qui etiam error naſcetur, quando generi & ſpecici aliquid erit contrarium, meliúſq; contrariorum ad genus deterius refertur. ita enim fiet ut id quod reliquum eſt, inſit in alio. Quando enim in contrarijs generibus ſunt cõtraria, fit ut melius ſit in deteriore: atqui optimæ cuiuſq; rei etiam genus optimum eſt. Illud etiam uidendum eſt, idémne aliquid quod ad utrumque eodem modo affectum ſit, ad deterius genus, non ad præſtantius retulerit. ut ſi animum motum, uel id quod mouetur, dixerit. Nam quoniam idem animus æquè uim habet ſtandi, ac mouendi: profectò ſi ſtatus melior eſt, in eo genere animus ſtatuendus erat. Iam ex maiore & minore elicere argumenta licet ei qui refellit, ſi genus acceſsionem capiat, & ſpecies non capiat, nec ipſa capiet, neq; quod ab eo deductum eſt, hoc modo: ſi uirtus elationem habeat, etiam iuſtitia, & iuſtus habebunt, alius enim alio iuſtior dicitur. nam ſi genus quod datum eſt acceſsionem accipiat, ſpeciéſq; non accipiat, neq; ipſa, neq; id quod ab ea natum ſit: id quod datũ eſt eſſe genus nullo modo poteſt. Præterea ſi id quod magis aut æquè uidetur genus, non eſt genus: certè ne id quidẽ quod datum eſt. Atq; huius loci in ijs plurimus uſus eſt, in quibus multa de ſpecie in quæſtione dicentur qua quid res ſit quæritur, nec diuiſio tradita eſt, neq; quod eorum genus ſit poſsimus explicare: ut de ira & dolor & opinio contemptus in naturæ quæſtione dicuntur: præſertim quum is qui iraſcitur, angatur, ſéq; contemni putet. Quæ eadem tractatio in ſpecie per locum comparationis ſuppetet, hoc modo: Si quæ ſpecies magis aut æquè ineſſe uidetur in genere quod datum eſt, nõ ineſt in genere, ne ea quidem quæ

data eſt in genere erit omnino. Atq; is quidem qui infirmabit, quemadmodum expoſui, hunc tractabit locum: qui autem cõfirmandi partes tenebit, ei hic locus nihil ad argumentandum ſuppeditabit, quoties genus quod datum eſt, & ſpecies recipient acceßionem. nihil enim prohibet ſi utrumq; recipiat, alterum alteri non eſſe genus. Nam & id quod album eſt, quódq; honeſtum, acceßionem capit, nec alterum alteri genus eſt. Sed generum ac formarum inter ſe comparatio magnam ei ſuppeditabit argumentorum copiam, hoc modo: Si eadem eſt huius & illius generis ratio, & alterum genus eſt, etiam alterum erit. Itémq; ex minore & maiore idem effici poteſt, hoc modo: Si continentiæ uis magis quàm uirtus genus eſt: uirtus autem genus eſt, uis etiam erit. Quod de ſpecie eodem modo iudicandum eſt. Si enim æquè hoc atq; illud eius de quo agitur ſpecies eſt, & alterum eſt ſpecies, etiam reliquum. Et ſi quod minus uidetur, ſpecies eſt, etiam quod magis uidetur. Illud etiam in confirmatione uidendum eſt, an genus de ijs quibus datum eſt & tributum, in naturæ quæſtione dicatur, nec una ſit ſpecies eius quod genus eſſe poſitum eſt, ſed & plures & differentes. Sic enim genus erit. Quòd ſi una ſit ſpecies ea quæ data eſt, uidendum eſt, an etiam de alijs formis genus dicatur in quæſtione naturæ. ex quo iterum efficietur & de pluribus ipſum ac differentibus dici, & genus approbari. Quoniam autem quibuſdam placet differentiam in quæſtione naturæ dici de formis, ſecernendum eſt genus à differentia ijs locis quos expoſuimus. quorum primus eſt, Genus plura quàm differentiam continere. Alter, Genus in reſpondendo quid quicq; ſit aptius dici poſſe, quàm differentiam. Qui enim hominem animal eſſe dixerit, planius facit quid ſit homo, quàm ſi gradiens dicat. Tertius eſt, Differentiam generis qualitatem declarare ſemper, genus differẽtiæ qualitatem non item. Nam & qui gradiens dixe-

rit,



rit, quale quid animal exprimit: & qui animal dicit, nõ quale quid gradiens explicat. Ac differentia quidem à genere hoc pacto ſeparanda eſt. Quoniam autem uidetur muſicus quia muſicus ſit, ſcius eſſe, etiam muſica ſcientia quædam eſt: quoniámq; ſi quod ingreditur, ob eam cauſam quia ingreditur & ambulat, mouetur, ingreſſus etiam quædam eſt motio. In quo genere aliquid confirmare & efficere uelimus, quemadmodum dixi, diligenter uidendum eſt, hoc modo: Si ſcientia eſt idem quod fides, & is qui ſcientia præditus eſt qua ſciat, credit: profectò ſcientia fides ſit neceſſe eſt. Eadémq; ratione in alijs omnibus facere licebit. Poſtremò quoniã quod alicui conſequens eſt ſemper nec uicißim retrò commeat, id difficile eſt improbare non eſſe genus, ſi hoc ex illo omni ex parte ſequatur: illud uerò ex hoc nõ omnino. ueluti ex tranquillitate quies ſequitur, & ex numero id quod ſecari poteſt, contráq; non ſequitur: quandoquidem non quicquid diuidi poteſt numerus eſt, nec quies tranquillitas omnis: eo quidem utendum eſt pro genere quod ſemper ſequitur, tum cum alterum non reciprocatur. quòd ſi alterum proponatur, non in omnibus, neq; omni ex parte probandum eſt. ei autem loco occurrendum eſt, id quod non eſt, ex rebus omnibus quæ gignuntur conſequens eſſe, cum præſertim quod gignitur nõ ſit, neque retro id commeat uicißim. Non enim omne quod non eſt, generatur. Quanquam non eſt genus id quod non eſt eius rei quæ gignitur. quandoquidem eius quod non eſt nullæ ſunt ſpecies omnino. Ac in genere quidem probando uel improbando eam uiam ac rationem quam præſcripſi, ſequi ac tenere debemus.

# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER QVINTVS

## CAP. I.

VTRVM autem proprium ſit, nécne id quod propoſitũ eſt, ex his locis quos deinceps exponemus, intelligetur. Explicatur quidem proprium aut per ſe, & ui ſua ac ſemper, aut alterius comparatione & interdum. ueluti hominis proprium eſt per ſe ac ui ſua, animal eſſe humanũ natura: alterius autem comparatione, ut animi ad corpus, quòd animus imperare, corpus parêre debet. Propriũ autem ſemper eſt, exempli cauſa, dei, animal eſſe immortale. Interdum proprium eſt, ut certi hominis deambulare in gymnaſio. Naſcuntur autem ex eo quod collatum cum altero proprium explicatur, aut duæ aut quatuor quæſtiones. nam ſi alicuius propriũ eſſe ponat, alterius idem neget eſſe, duæ tantummodo quæſtiones oriuntur. ut hominis cum equo collati propriũ eſt, bipedem eſſe. Nam hominem non eſſe bipedem aliquis poſſit concludere, & equum bipedem, ita in utranq; partem proprium exagitatur. Quòd ſi utriuſq; alterum propriũ concedatur, & utriuſq; negetur, quatuor quæſtiones exiſtent. ueluti hominis cum equo collati proprium eſt bipedem eſſe, & equi quadrupedem. Nam & hominem non eſſe bipedem, & natura quadrupedem eſſe, argumento concludere licet. Itémque equus bipes eſſe, & non quadrupes, probari poteſt. Ergo ſi quouis modo doceatur, quod propoſitũ eſt refellitur.





Proprium autem per ſe ac ui ſua id eſt quod omnibus tribuitur, & ab omni genere ſeparat. ut hominis proprium eſt mortale eſſe animal, & natum ad cognitionem & ſciẽtiam. Proprium uerò ad alterum eſt, quod non ab omnibus, ſed à quodam certo diſtinguit & ſeparat. ut uirtutis cum ſcientia collatæ proprium eſt, in pluribus animi partibus eſſe: ſcientiæ in ea ſolum quæ rationis eſt particeps, & in ijs ſolũ animalibus quæ ratione utuntur exiſtere. Semper proprium eſt, quod per omne tempus uere dicitur, nec unquam amittitur. ut animalis, ex animo & corpore cõſtare. Aliquando id proprium eſt quod ad aliquod tẽpus uerè dicitur, nec ſemper conſequẽs eſt neceſſario. ueluti cuiuſpiam hominis in foro deambulare. Fieri autem poteſt ut proprium proponamus ad aliud, & differentiam dicamus, uel quod in toto genere, & ſemper, aut ferè, & in maxima parte reperiatur: ueluti hominis cum equo collati bipedem eſſe ita proprium eſt, ut & in omnibus hominibus id & ſemper intelligatur: quandoquidem omnes homines bipedes ſunt per omne uitæ tempus: equus autem nullus unquam bipes eſt. Imperare autem parti ei animæ in qua uoluptates uerſantur, & ei in qua irarũ ardor exiſtit, ſic proprium eſt eius partis animi quæ rationis eſt particeps, ut ferè & maxima in parte intelligatur. huius enim imperare eſt, illarum parêre: nec pars animi rationis particeps omni ex parte imperat. interdúmque contrà paret. Neque pars ea in qua uoluptates habitant, & in qua iræ, parent ſemper, ſed interdum imperant, tum cum hominis animus uitioſus eſt & deprauatus. Sed ea plurimum ad diſſerendum ualent propria quæ per ſe ſunt, & ſemper conueniunt, & ea quæ cum aliquo conferuntur. nam ex eo quod proprium eſt cum altero collatum, multæ, quemadmodum ſuprà dixi, quæſtiones naſcuntur: aut enim duæ aut quatuor inde eliciuntur neceſſario: multa igitur argumenta ex eis ducẽtur. Ex eo uerò quod

per ſe & perpetuò proprium eſt, multa argumenta licet ducere, aut ad plura tempora trahere. quod enim per ſe ineſt, ad multa pertinet. quandoquidem ei cui proprium eſt, etiam ſi cum omnibus quæ ſunt in rerum natura conferatur, conuenire debet. Quamobrem ſi cum omnibus collatum non ab ijs ſeiungitur, certè non eſt commode attributum proprium. Quod autem ſemper proprium eſt, id in pluribus tẽporibus obſeruari debet an conueniat. nam niſi conueniat, & conuenerit, & conueniet, non eſt futurum proprium: quod interdum proprium eſt non in alijs temporibus, niſi in inſtanti ſpectatur. Itaque paucæ argumentationes ducuntur ex eo: quæſtio autem ad diſſerendum ualet ea, ex qua & crebra & firma argumenta trahuntur. Atque iiſdem ex locis quos in accidente expoſuimus, argumenta ex eo proprio quod ad alterum eſt ſuppetent, ſi proprium alicui conueniat, alicui non conueniat. Ex eo autem quod ſemper proprium eſt per ſe, ij loci qui deinceps exponentur, magnam nobis ad argumentandum copiam ſuppeditabunt.

## CAP. II.

Ac primum quidem uidendum eſt, an rectè & apte, nécne explicatũ ſit propriũ: eſſe autẽ rectè aut minus rectè explicatũ, ex uno loco illo intelligemus, ſi rebus minime notioribus, aut rebus magis perſpicuis expoſitum ſit proprium. Ac is quidẽ qui refellit, num rebus minus notis: is autem qui confirmabit, an uerbis magis perſpicuis propriũ illuſtratum ſit, uidebit. Eſſe autem expoſitum uerbis minus perſpicuis & notis, cognoſcemus: primum cum omnino obſcurius & magis inuolutum erit proprium quod datur, quàm id cui attribuitur proprium. Neque enim proprium apte & commode propoſitum erit: quandoquidem cognoſcendæ & illuſtrandæ rei gratia proprium inuentum eſt. Nam & proprium & definitiones diſcendi cognoſcendique cauſa adhibemus. uerbis igitur

magis



magis perſpicuis illuſtranda ſunt, ſic enim facilius intelligemus. Vt qui poſuit ignis proprium eſſe proximè ad animi ſimilitudinẽ accedere, is certè obſcuriore uſus eſt uerbo animi, quàm ignis. quoniam facilius quid ignis ſit quàm quid animus cognoſcimus: ita non rectè minúſque apte propoſitum fuit proprium ignis eſſe, ad animi ſimilitudinem proximè accedere. Deinde, cum minus planum ſit ac perſpicuum hoc illi conuenire: non enim ſolum proprium re clarius & notius eſſe debet, uerum etiam rei conuenire. qui enim neſcit an huic rei proprium conueniat, ne illud quidem, an huic rei ſoli conueniat, intelliget. Ita fit, ut ſi alterutrum horum interueniat, incertum & obſcurum futurum ſit proprium. ut quando aliquis ignis proprium eſſe ponit, in quo primum animi ſedes eſt: eo utitur, quod obſcurius eſt igne, animum in igne, & in eo primum conſiſtere. ex quo fit proprium ignis non eſſe apte poſitum, id in quo primo animus ineſt natura. In confirmatione autem, ut rebus magis perſpicuis: & ijs perſpicuis magis, duobus modis quos expoſuimus, uidendum eſt. Sic enim apte & commode proprium explicabitur. quandoquidem loci ij qui ad confirmandum aliquid rectè exponi ualent, alij ex hoc ſolum, alij omnino recte expoſitum docebũt. ueluti ſi quis proprium animalium dicat habere ſenſum, is rebus magis perſpicuis & planius, utroque genere proprium explicabit. Apte igitur expoſitum eſt, ex eo animalis proprium eſſe ſenſum habere. Proximum locus eſt in refutatione, ſi quod uerbum eorum, quibus proprium explicatur, pluribus modis dicatur, aut oratio ipſa multa declaret omnino. Sic enim minus aptè poſitum erit proprium, ueluti quoniam ſentire plura ſignificat: unum, habere ſenſum: alterum uti, ſenſu: certe animalis non erit apte explicatum proprium, ſentire natura. ob eámque cauſam non eſt utendum uerbo aut oratione, quæ pluribus modis dicatur, qua proprium exponamus: propterea

ea

ea quòd ea quæ multis modis dicuntur, obſcuram faciunt orationem: cum præſertim in dubium ueniat ei qui argumentaturus eſt, utrum tandem alter dicat eorum quæ multa declarant, profecto enim cognitionis cauſa comparatum eſt proprium. Iam uerò præterea neceſſe eſt eos reprehendi, qui iſto pacto explicant proprium, quando aliquis ratiocinatonem conficit ex eo quod multis modis dicitur. In confirmatione huius loci uſus eſt, ſi id quod proprium datur, nec multa ſignificat, neque ullum uerbum neque ipſa oratio: ſic enim ex eo aptè proprium ponetur. ueluti quoniam nec corpus multa declarat, nec id quod celerrime ſurſum fertur, neque ea quæ ex his uerbis conſtat oratio: ob eam cauſam rectè ponetur ignis proprium eſſe, corpus quod maxima celeritate ſurſum mouetur. Sequitur locus in refutatione, ſi multis modis dicatur id cuius proprium explicetur, neque exponatur cuius eorum ponatur eſſe proprium. Neq; enim rectè proprium illud datum eſt: quibus autem de cauſis, ex ijs quæ ſuprà dixi intelligi poteſt. Eadem enim neceſſe erit cõcludere, hoc modo: Quoniam aliquid ſcire multa ſignificat (nam & ſcientiam habere aliquid, & ſcientia uti aliquid, & ſcientiam eſſe eius, & ſcientia uti eius) ob eam cauſam nullũ proprium recte dari poterit illius ſcire aliquid, niſi cuius eorum proprium ponat, explicetur. In confirmatione autem eius uſus erit, ſi multis modis non dicatur id cuius propriũ ponitur, unumq; ſit, & ſimplex. ex hoc enim proprium apte explicabitur. ut quoniam homo uno modo dicitur, homini recte proprium tribuetur, animal cicur natura. Coniunctus huic locus in refutatione ualebit, ſi ſæpe idem in proprio dictum erit. ſæpe enim fallunt nos ij qui hoc faciũt, ut in definitionibus, ſic in proprijs. quod ſi in proprio contingat, non erit recte datum: quippe cum id quod ſæpe dicitur & iteratur, auditorem conturbet. ex quo fit, ut & obſcura ſit oratio, & præterea delirent & nugentur qui eam indic



inducunt. Duobus autem modis aliquid idem ſæpe repetitur. Primum cum eandẽ rem ſæpe nominabit. ut ſi quis dicat, ignis proprium eſſe corpus leuiſſimum corporum, ſic enim ſæpe dixit corpus. Deinde ſi quis pro nominibus orationes dicat, ut ſi quis terræ proprium tribuat, natura quæ naturaliter fertur celerrimè corporum deorſum. deinde utatur pro corporũ illo nomine ſubſtantiarum talium, quoniam corpus idem ualet quod ſubſtãtia talis. ex quo efficitur ſubſtãtiæ nomen iterari: ut neutrum proprium recte tributum eſſe uideatur. At uerò in confirmatione huius loci uſus erit, ſi nullo uerbo eodẽ ſæpe utare. hac enim ex parte apte proprium ſtatuetur. ut ſi quis propriũ hominis dixerit animal ad cognitionem & ſcientiam natum, is nec ſæpe eodem uerbo utetur, & hac parte recte homini proprium ſtatuet. Sequitur locus in refutatione, ſi tale aliquod uerbum in proprio expreſſerit, quod conueniat rebus omnibus. inuſitatum enim & minus aptum erit uerbum quod à nullo ſeparat, atqui ut in definitionibus, ſic quod in proprijs exprimitur, debet ſeiungere: non igitur recte expoſitum erit proprium. ut ſi quis proprium ſcientiæ dicat, opinionem, quæ ratione dimoueri non poteſt, cum ſit una: quoniam in proprio exponẽdo aliquo eiuſmodi uſus eſt, unius ſcilicet nomine, quod rebus omnibus cõuenit, profectò ſcientiæ proprium rectè poſitum nullo modo uideri poteſt. In confirmatione ualebit hic locus, ſi nullum uerbum commune adhibeatur, ſed eiuſmodi quod à re aliqua ſeparet: hac enim ex parte præclare poſitum erit proprium. ut ſi quis animali proprium tribuat, habere animum, is quoniam nullo uerbo communi uſus eſt, habere animum, recte hac ex parte animalis proprium dedit. Proximus locus eſt in refutatione, ſi quis plura propria eidem ſtatuat, neque ſe plura ponere explicet. Tum enim haud recte poſitum erit proprium. ut enim in definitionibus nihil adhibendum eſt præter orationem, quæ rei uim & naturam explicet:

cet: ſic ne in proprijs quidem, præter orationem, quæ proprium id quod datum eſt efficiat, quicquam exprimendum eſt. quandoquidem inuſitatum minúſque aptum eſt, quod præterea additur. Id quod continget, ſi quis ignis proprium dixerit corpus tenuiſsimum & celerrimum, utrunque enim de ſolo igne uere dici poteſt: ex quo efficitur ignis proprium, corpus tenuiſsimum & leuiſsimum non eſſe recte datum. In confirmatione huius loci uſus erit, ſi non plura propria eiuſdem, ſed unum eſſe ponatur, hac enim ex parte proprium recte ponetur. ut ſi quis dicat humoris proprium, corpus quod in omnem formam flectitur, is quoniam unum expreſsit proprium non multa, eò recte uſus eſt humoris proprio. Sequitur locus in refutatione, ſi uel eo utatur cuius proprium explicat, aut eorum aliquo quæ ei tribuũtur. Nam quoniã cognitionis gratia inuentum eſt proprium, eo modo non rectè ponit. Eadem quidem res ſemper æquè obſcura eſt. quod autem alicui tributum eſt, id quoniam eo eſt poſterius, non eſt magis perſpicuum. ita fit, ut ex his nihil diſci cognoſcique poſsit. ut ſi quis proprium animalis ponat ſubſtantiam cuius eſt ſpecies homo, is quia aliqua re uſus eſt earum quæ animali tributæ ſunt, profecto non commodè uſus eſt proprio. In confirmatione autem ita demum proprium recte hac ex parte ſtatuetur, ſi nec eo neq; aliquo eorum quæ ei tributa ſunt, utamur. quod fiet ſi proprium animalis ponamus, quod ex animo & corpore concretum eſt. ſic enim neque ipſum, neq; quicquam ipſius adhibebimus. ex quo efficietur, ut præclare hac in parte animalis proprium explicemus. Eadémque ratione ea ſpectanda ſunt in alijs etiam rebus, quæ non faciunt, aut quæ faciunt aliquid planius. Iam uerò in refutatione uidendum eſt, an tale aliquid adhibitum ſit, quod aut contrarium ſit, aut omnino æquè antiquum naturæ ordine aut poſterius. neque enim rectè proprium ponetur. Nam contraria ſunt ordine naturæ æquè

antiq



antiqua. quod autem æquale eſt alicuius, naturæ ordine & eo poſterius, non facit ipſum planius, neque declarat. Vt ſi quis boni proprium dicat, malo maximè eſſe contrarium, is boni contrarium adhibuit, ob eamq; cauſam proprium boni haud rectè explicauit. In cõfirmatione autem huius loci uſus erit, ſi nec contrario utemur. neque ullo alio quod æquale ſit ordine naturæ uel poſterius, ſic enim rectè hac in parte ſtatuemus proprium. ut ſi quis ſcientiæ proprium ponat, opinionem quæ maxime fidem facit, is quia nihil adhibuit nec quod ſcientiæ eſſet contrarium, nec quod omnino ſimul eſſet cum ea, aut ea poſterius naturæ ordine, eò rectè proprium ſcientiæ hac ex parte ſtatuit. Sequitur locus in refutatione, ſi quod non ſemper ſequitur, proprium poſitum eſt, ſed id quod interdũ non propriũ eſt: non enim præclarè & cõmodè propriũ erit explicatum. Neque enim in eo nomen neceſſariò uerè dicitur, in quo ineſſe ipſum intelligimus: neque in eo neceſſe eſt nomen non dici, cui illud non intelligimus conuenire. Ita non erit rectè expreſſum proprium. Præterea nõ erit perſpicuum an conueniat id quod ſtatutum eſt eſſe proprium, ſi tale ſit ut prætermitti ſepararique poſsit. Itaque non erit perſpicuum, neque apertum proprium. Vt ſi quis proprium animalis ponat, moueri interdum aut ſtare: is quia tale ſtatuit proprium quod interdum non proprium efficitur, certè haud aptè proprium ſtatuit. In confirmatione conſyderabimus an id proprium ſtatutum ſit, quod ſemper eſt in re neceſſariò, hac enim ex parte rectè proprium ponetur: ut ſi quis uirtutis propriũ dicat, eum in quo ſit bonum efficere, is quia proprium ſtatuit quod ſemper cõſequẽs eſt, ob eam cauſam recte uirtutis proprium hac ex parte conſtituit. Sequitur locus in reprehenſione, ſi id quod hoc tempore proprium eſt ſtatuat, neque ſe proprium huius temporis dare, exponat: neque enim recte ſtatuet proprium. Primum enim quod contra mores & con

ſuetud

ſuetudinem ſtatuitur, id omne enodationis indiget. Atqui ſolent ferè omnes id proprium ſtatuere, quod ſempiternum eſt. Deinde incertum eſt, iſne qui non explicat mentem ſuam, uelit id ponere, quod hoc tempore ſit proprium. Non igitur dare debet reprehenſionis occaſionem: quod continget ſi quis ponat alicuius hominis proprium eſſe, ſedere unà cum aliquo homine, illúdque hoc tempore proprium eſſe non ſtatuat. Neque enim illud recte ſtatuat proprium, niſi ſe dixiſſe hoc tempore proprium eſſe explicet. Atque hic locus ad confirmandum ualebit, ſi explicemus cum aliquid proprium ſtatuemus hoc tempore, nos proprium hoc tempore ponere. ſic enim recte proprium hac in parte ſtatuemus. Exempli cauſa, ſi quis alicuius hominis proprium dicat eſſe, aliquo in loco hoc uel illo tempore deambulare, quoniam diſtinctione uſus eſt, recte id proprium eſſe poſuit. Proximus in reprehenſione locus erit, ſi quis tale ſtatuat proprium, quod conuenire aliter, quàm ſenſu perſpici non licet. Neque enim tum poſitum proprium erit: quandoquidem quicquid mouet ſenſum, ſi id extra ſenſum ſit, obſcurum eſt. incertum enim eſt an iam conueniat, propterea quod ſenſu tantummodo intelligatur. Quod uerum eſſe in his quæ non neceſſariò ſemper cõſequuntur perſpiciemus. ueluti ſi quis ſolis proprium eſſe dicat, aſtrum ſplendidiſſimum quod ſupra terram fertur, is adhibet in proprio illud quod ſupra terram fertur, quod quidem quia ſenſu cognoſcitur, non rectè ſolis proprium ſtatuit. Incertum enim erit cum ſol occiderit, an ſupra terram feratur, quòd tum ſenſus oculorum nos deficit. At in confirmatione huius loci uſus erit, ſi proprium ſtatuamus eiuſmodi, quod ſenſu non ſit perſpicuum, aut certè quod ſi ſenſum mouet, perſpici poteſt neceſſario conuenire. hac enim ex parte recte ſtatutum erit proprium. ut ſi quis extremitatis proprium ponat, quod primum colore inficitur, is illo toto, colore inficitur, quod ſenſum mouet, ille quidem utitur, ſed eiuſmodi quod perſpicuum eſt ſemper conuenire. Ita hac ex parte rectè ſtatutum eſt extremitatis proprium. Iam in reprehenſione uidendum erit, an definitionem ut proprium poſuerit. ſic enim proprium non recte ponetur, quandoquidem non debet proprium rei uim naturamq; explicare. Cuius exemplum erit, ſi quis hominis propriũ dicat, animal gradiens bipes. proprium enim hominis ſtatuet quod quid res ſit, explicat. Non igitur recte ſtatuit hominis proprium. In confirmatione autem huius loci uſus erit, ſi proprium eiuſmodi ſtatuamus quod uiciſſim dicatur, neq; rei uim naturamq; declaret. Erit enim hac ex parte recte explicatum propriũ. ut ſi quis hominis proprium ponat, animal cicur natura: proprium ille quidem ſtatuet quod uiciſſim dicitur, ſed quod non quid res ſit, indicat. Ita fiet, ut hac ex parte recte ſtatutum ſit hominis proprium. Coniunctus huic locus eſt in reprehenſione & refutatione cum proprium datur, cuius nihil quid res ſit explicet. Oportet enim ut definitionum, ſic propriorum primum genus exprimi: deinde iam hoc pacto adiungi cætera quæ ſeparãt atq; ſeiungunt. Non igitur recte proprium ponetur, quod non eo modo ſtatuetur. ut ſi quis proprium animalis dicat, animum habere, non ponet in quæſtione naturæ animal: ex quo ſequetur animalis proprium non recte poſitum eſſe. In confirmatione autem conſyderãdum eſt, an collocatum ſit in quæſtione naturæ id cuius proprium explicetur, & ita demum adiungantur cætera: hac enim ex parte rectè proprium datum erit. ueluti ſi quis proprium hominis ponat, animal ad ſcientiam & cognitionem natum, is & proprium quod in quæſtione naturæ aliqua ex parte poſitum eſt, dabit: & ea ex parte hominis proprium rectè explicabit. Ac utrum rectè, an minus recte proprium datum ſit & explicatum, ex ijs locis qui adhuc ſunt expoſiti, intelligere debemus.

## CAP. III.

VTrum autem id proprium ſit omnino quod explicatur, & datur, nécne, ex ijs quos deinceps exponemus, licebit cõcludere. Iiſdem enim locis aliquid recte poni proprium concludemus, quibus proprium omnino ſtatuitur, quorum primus erit in refutatione diligens eorum omnium animaduerſio & conſideratio, quorum propria dabuntur. ueluti uidendum erit, an ea ex parte qua datur non uerè dicatur, an uero non ſit proprium uniuſcuiuſq; eorum eius ratione cuius proprium explicetur. ſic enim non erit proprium quod eſſe ponebatur. ut quia de geometra non uerè dicitur, eum nulla ratione falli poſſe, (fallitur enim geometres in falſa deſcriptione) non eſt proprium futurum docti & artificis, non falli ratione. In confirmatione autem an omni ex parte uerè dicatur, & hac ex parte uidendum eſt, quoniam proprium erit quod poſitum eſt eſſe proprium. ut quia animal ad cognitionem & diſciplinam percipiendam natum, in omni homine uerè dicitur, & quia homo ſit, eò hominis proprium erit, animal ad diſciplinam percipendam natum. Huius autem loci uſus erit in refutatione, quoties in quo nomen, non etiam oratio uere dicetur, & cum in quo oratio, non etiam nomen intelligi licet. In confirmatione autem cum in quo nomen, etiam oratio: & in quo oratio, nomen quoq; intelligetur. Alter locus eſt refutationis cum de quo oratio, non etiam nomen, uere dicitur: & cum de quo nomen, non etiam uere dicitur oratio. tum enim quod poſitum eſt eſſe proprium, non erit proprium: quod ex hoc exemplo intelligi poteſt: Animal enim ad diſciplinam & ſcientiam percipiendam natum in deo uerè intelligitur, homo non intelligitur. ex quo efficitur non eſſe proprium hominis hoc totum, animal quod ad diſciplinam cognitionémque percipiendam natum eſt. In confirmatione autem ualebit, quoties in quibus omnibus oratio, nomen





etiam dicetur: & in quibus nomen, etiam oratio. quod enim proprium poſitum eſt eſſe, proprium erit. Quod hinc intelligi poteſt, quia de quibus illud, totum habere animum, etiam animal uere dicitur: & de quibus animal, etiam animatum. ita habere animum animalis proprium eſt. Refutationis tertius locus erit, ſi ſubiectum eius eſſe propriũ ſtatuatur, quod in ſubiecto eſſe dicatur. ut ſi quis proprium ſtatuat tenuiſſimæ rei ignem, quia ſubiectum proprium ei quod dicitur tribuit, certè non recte poſuit ignem proprium eſſe rei tenuiſſimæ. Ob eamq́; cauſam non eſt futurum proprium ſubiectum eius, quod in ſubiecto eſſe dicitur: ſic enim idem multorum, & quæ ſpecie differunt, proprium eſt: quandoquidem multa quædam quæ ſpecie differunt eidem conueniunt, quæ de eo ſolo dicuntur: quorum omnium ſubiectum proprium futurũ eſt, ſi quis iſto pacto ſtatuat proprium. Ad confirmandum autem ualebit, ſi id quod in ſubiecto ineſt, ſubiecti proprium eſſe ponatur: quandoquidem proprium futurum eſt id quod poſitum eſt non eſſe proprium. ſiquidem in ſolo eo intelligitur, ut dixi, proprium, cuius proprium eſſe dicitur. ut ſi quis terræ proprium dicat, corpus grauiſſimum ſpecie, is quia proprium ſubiecti dedit eiuſmodi quod & de ſola re, & ut proprium dicitur, efficitur ut recte poſitum ſit terræ proprium. Sequitur locus proprius refutationis, ſi quis per communicationem proprium tribuat: non enim erit proprium quod poſitum eſt eſſe proprium: quippe cum id quod communione quadam conuenit, ad uim naturamq́; rei explicandam pertineat. quod ſanè in differẽtiarum numero habebitur: propterea quòd in ſpecie aliqua dicitur. ut ſi quis proprium hominis dicat hoc totum, gradiens bipes, per communionem quandam propriũ explicabit. ex quo fiet, ut non ſit propriũ hominis gradiens bipes. Hoc loco uidebit is qui confirmãdi partes obtinebit, ne per cõmunionem proprium explicet, neq; uim

naturámq; rei declaret: ita tamen ut uiciſsim de re dicatur. Quod enim poſitum eſt non eſſe proprium, id proprium futurum eſt. ut ſi quis animalis proprium ponat hoc totum, quod uim habet ſentiendi, is nec proprium communione explicabit, neq; tale quod uim naturámq; rei declaret, & tamē eiuſmodi quod uiciſsim de re dicatur. Ita proprium erit animalis hoc totum, quod uim habet ſentiendi. Proximus locus refutationis erit, ſi doceatur proprium non poſſe unà cum re cuius proprium ponitur cohærere: ſed uel poſterius, uel prius quàm id cuius nomen eſt. Sic enim aut nunquam, aut certè nō ſemper proprium eſt futurum id quod poſitum eſt eſſe proprium. ut ſi uolitare in foro hominem, poteſt & poſterius quàm homo alicui conuenire, certè uolitare in foro, aut nunquam, aut non ſemper hominis eſt proprium. In confirmatione autem huius loci uſus erit, cum id quod proprium ponitur, unà cum re ſemper aderit neceſſariò, neq; definitionis uim, neq; differentiæ habebit. Sic enim proprium erit quod poſitum eſt non eſſe proprium. ut quia hoc totum, animal quod ad diſciplinam cognitionémq; natum eſt, unà cum homine ſemper exiſtit neceſſario, neq; differentia eſt neq; definitio, certè hominis proprium id ipſum futurum eſt. Sequitur locus refutationis, cùm eorundem, quia eadem ſint, non eſt idē proprium. Non enim quod poſitum eſt proprium eſſe, proprium erit. quod intelligi poteſt hoc exemplo: Nam quia eius quod perſequendum eſt, proprium non eſt, uideri nonnullis bonum, ne eius quidem quod expetendum eſt proprium erit, uideri nonnullis bonum. Idem enim ualent quod perſequendum eſt & quod expetendum. Is autem qui confirmabit, ex hoc loco argumentum ducet, quando eiuſdem rei quia eadem ſit, idem proprium eſſe ponetur. Nam proprium erit quod poſitum eſt non eſſe proprium, ut hominis quatenus eſt homo, proprium dicitur, habere animum tripertitum: & mortalis quatenus

mor



mortalis eſt, tripertitum animum habere proprium erit. Valet etiam hic locus in accidente, quoniā iiſdem quatenus eadē ſunt, eadem conuenire aut non conuenire debent. Coniunctus huic locus eſt in refutatione, cum eorū quæ ſunt eiuſdē ſpeciei, non id quod ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, propriū explicatur: non enim rei illius id quod poſitum eſt proprium erit. ut quoniam eiuſdem generis homo & equus habentur, neq; ſemper proprium eſt equi à ſe ſtare, ne hominis quidem proprium erit à ſe ſemper moueri & agitari. Sunt enim eiuſdem generis moueri & ſtare per ſe, quoniam utriq; eorum quatenus animalia ſunt, hæc conueniant. In cōfirmatione autem illud uidendum eſt, an eorū quæ ſunt eiuſdem generis, id proprium ſtatuatur quod ſemper ad idem genus referatur. erit enim proprium, quod non eſſe proprium poſitum eſt. ut quoniam hominis proprium eſt eſſe gradientem bipedē: auis etiam proprium erit uolucrem eſſe bipedem. Sunt enim hæc eiuſdem generis omnia. alia enim, ut ſpecies quæ ſub eodē ſunt genere, cum ſint animali ſubiecta, alia uerò ut generis animalis differentiæ. Sed hic locus falſus eſt, cum alterum eorū quæ numerata erunt, uni alicui ſoli ſpeciei conueniat, alterum pluribus: qualia ſunt gradiens, quadrupes. Quoniam autē idem & alterū multis modis dicuntur, difficile eſt ſi fallaciter ſumas, unius & ſolius alicuius rei explicare proprium. Quod enim conuenit alicui, cui quid accidit, etiam accidenti conueniet, ſi cum eo intelligatur & ſumatur cui conuenit. ut quod ineſt in homine, etiam in albo homine, ſi modo ſit albus, reperietur. Itémq; quod in albo homine ineſt, id etiam in homine inerit. Sed quiſpiam multa propria refellet, ſi ſubiectum aliud per ſe faciat, aliud ſi cum accidente coniunctum ſit. ut ſi dicat aliud eſſe hominem, aliud album hominem: idem fiet, ſi aliud ponat habitum, aliud id quod ex habitu nominetur. ut enim quod in habitu ineſt, in eo etiam ineſt quod ab habitu appel-

latur: ſic quod in eo quod ex habitu nominatur ineſt, etiam in habitu inſit neceſſe eſt. ueluti quoniam artifex arte & ſcientia ſua affici dicitur, non erit ſcientiæ proprium, non poſſe ratione diſſuaderi: quippe cū iſto pacto artifex ſit futurus eiuſmodi, qui nulla ratione de ſentẽtia deduci dimoueriq́; poßit. In confirmatione autem dicendum eſt, non eſſe aliud omnino id quod accidit, & aliud id ipſum cui accidit, ſi cū eo cõprehendatur cui conuenit, ſed ob eam cauſam aliud dici ſolere quòd eorum ſit natura diuerſa: quoniam aliud eſt hominem eſſe hominem, & aliud hominem album eſſe hominem album. Præterea à caſibus ducendum argumentum eſt, non futurum eſſe artificem aliquid quod ratione mutari non poßit: ſed eum qui ipſum ratione diſſuaderi non poßit: nec artem & ſcientiam eſſe id quod ratione ſit immutabile, ſed ipſam ratione eſſe immutabilem. Nam ei qui omnino, omniq́; ex parte occurret, contrarius omnino ordo opponendus eſt. In refutatione proximus locus erit ſi quis uelit aliquid quod natura ineſt explicare, eoq́; uerbo id ponat, ut id ſemper ineſſe declaret. Sic enim fiet, ut iacere id & ruere quod poſitum eſt propriū uideatur. ut ſi quis hominis proprium dicat, eſſe bipedem, uult ille quidem exponere aliquid quod natura inſitum eſt, ſed oratione ſua id quod ſemper inſitum eſt, ſignificat. ita non eſt futurum hominis proprium bipedem eſſe: quandoquidem non omnis homo duos habet pedes. In cõfirmatione autẽ huius loci uſus erit, ſi id quod natura inſitum eſt, propriū ſtatuere uelimus, idq́; oratione noſtra exponamus. Neque enim propriū ex hac parte tolletur aut corruet, ſi quis proprium hominis ponat hoc totum, animal ad diſciplinam & cognitionẽ percipiendam natum, idque ſignificet oratione ſua natura illud eſſe inſitum proprium, hac ex parte nunquam improbabitur hominis proprium eſſe id quod diximus. Iam uerò omniū eorum quæ ad aliquid aliud primū referuntur, aut ut primum

ipſum



ipſum difficile eſt explicare propriū. Nam ſi eius proprium dederit, quod in alio aliquo intelligitur, etiam de primo uerè dicetur: ſin autem primi proprium ponat, etiam in illo quod in alio intelligitur reperietur. ut ſi quis extremitatis propriū dicat colore infici, etiā colore infici in corpore dicetur: quòd ſi in corpore, etiam in extremitate. Ita fiet, ut non in quo oratio nomen quoq; uerè dicatur. Sæpè autem accidit ut in quibuſdam proprijs explicandis peccetur, propterea quòd nec quomodo, nec quorum propriū ponant, explicent. Omnes enim enituntur propriū ſtatuere id quod aut natura inſitum eſt, quale eſt hominis bipes: aut quod hoc tempore conuenit, ut hominis alicuius quatuor habere digitos: aut ſpecie quẽadmodū ignis tenuißimis ex partibus cõſtare, aut omnino & per ſe, ut animalis uiuere: aut per aliud, ut animi, prudentia eſſe præditum: aut quaſi in quo primum aliquid ineſt, ut in parte animi quæ rationis eſt particeps prudentiæ eſſe ſedem: aut ex eo quod aliquid habet, quemadmodum artificis eſt proprium, ratione de ſententia diduci non poſſe. Neq; enim ex alia re, quàm ex eo quod habet quicquā, ratione de ſententia diduci poteſt: aut etiam ſtatuitur proprium ex eo quod aliquid habetur, ſicuti proprium eſt ſcientiæ ratione non poſſe mutari: aut ex eo quod aliquid cõmunicatur, quale propriū eſt animalis ſentire. Nam etſi aliquid aliud, ueluti homo ſentit, tamen iam cum illo hoc communicatur: aut ex eo quod communicat, ut alicuius animalis uiuere. Si igitur non adiungatur illud natura, certè in eo peccatur: propterea quòd fieri poteſt, ut quod natura inſitum eſt, ei non conueniat, cui natura conuenit: quemadmodum homini duos habere pedes. quòd ſi non explicet ſe id dare quod ineſt, quod non eſt futurum eiuſmodi, ut ei certo tempore conueniat. tale eſt, quatuor habere digitos hominẽ, quòd ſi non exponat ſe id proprium ponere quod primum ſit, aut quod aliò ducitur, non in quo ora-

tio etiam nomen uerè dicetur.ut ſi quis colore infectum eſſe, uel extremitatis uel corporis proprium expoſuerit. Quòd ſi nõ antè explicarit ſe id propriũ dare,uel quia habeat ipſum, uel quia habeatur:certè id quod dedit, non eſt futurum propriũ.Nam ſi ex eo quod habeatur & contineatur proprium ſtatuerit,etiam ei qui habeat,conueniet. quod ſi etiam ei qui habet conuenit,ei etiã quod habetur & continetur. quod fiet ſi hoc totũ,ratione non poſſe diſſuaderi,ſcientiæ aut artificis proprium eſſe ponatur. Atq; etiam peccabit in explicando proprio,qui nõ expoſuerit ſe id ſtatuere proprium quod dat, uel ex eo quod participet,uel ex eo quod cõmunicetur, propterea quòd iſto pacto alijs quibuſdam conueniat proprium. Nam ſi ex eo ſtatuat,quia cõmunicatur cum ijs qui participant,conueniet:ſin ex eo quod participat, ijs quæ communicantur.ut ſi qui alicuius animalis aut animalis propriũ ponat uiuere:nec de ſpecie id explicet,certè uni ſoli eorum quæ illis ſubiecta ſunt,cuius proprium ſtatuitur, conueniet. Quod enim præſtat & excellit,id uni ſoli conuenit, ut igni conuenit celeritas maxima. Fit etiam interdũ,ut is aberret in tradendo proprio,qui ſpeciei mentionem inducit. Eorum enim quæ exponuntur debet eſſe una ſpecies,quando ſpeciei fiet mẽtio: quod in nonnullis non contingit,quo ex genere ignis eſt. neq; enim una eſt ſpecies ignis. quandoquidem ſpecies inter ſe differunt pruna,flamma,& lumen, quorum unumquodq; ignis eſt.ob eámq; cauſam,cum ſpeciei nomen adiungitur, alia ſpecies eius quod dictum eſt,non debet eſſe,quaſi alijs magis, alijs minus,id quod proprium explicatum eſt debeat conuenire.cuius generis eſt tenuiſſimum eſſe,ſi ignis proprium eſſeponatur.nam & prunarum, & flammæ lumen tenuiſſimum eſt,quod non debet accidere,quoties nomen non dicitur magis in eo,in quo oratio uerius dicitur:ſin minus non eſt futurũ aliquid,in quo ſit magis oratio,etiã nomen magis potiusq; dica



dicatur. Præterea ita fiet, ut ſit idem proprium,& illius quod omnino, & illius quod maximè ineſt in eo quod omnino tale uel tale exiſtit, qualem habet rationem ſubtiliſſimum corpus ad ignem. Nam & luminis & ignis omnino illud ipſum futurum proprium eſt: quippe cum lumem ſit tenuiſſimum. Ac ſi quis iſto pacto proprium ſtatuerit, argumenta contrà ducenda erunt, nec tamen ex hoc loco occurrere & reſiſtere debebit, ſed ut primum proprium poſuerit, quemadmodum & cuius generis proprium ponat explicare.

CAP. IIII.

IN refutatione proximus erit locus, ſi quis aliquid ſui ipſius proprium ſtatuat,neque enim proprij uim obtinebit quod poſitum eſt eſſe proprium. Quicquid enim idem eſt quod aliquid idem,id naturam explicat. quod autem naturam explicat,non eſt propriũ, ſed definitio,ut ſi quis honeſti proprium dicat, eſſe decorum, is quia aliquid ſui ipſius ponit proprium, (honeſtum enim idem eſt quod decorum) certè non erit honeſti decorum proprium. Huius autem loci uſus erit in confirmatione, ſi aliquid ſuiipſius non ponamus eſſe proprium,& tamen eiuſmodi,quod uiciſſim dicatur. ſic enim quod proprium non eſſe ſtatutum eſt, proprij uim & nomen obtinebit. quod fiet, ſi quis proprium animalis ponet hoc totum, natura animata. neque enim aliquid ſuiipſius proprium eſſe ponit, cum interim uiciſſim dicatur. Ita proprium animalis erit animata natura. Iam in ijs quæ ex ſimilibus eiuſdémque generis partibus conſtant, uidendum erit. In refutatione totiúſne proprium in parte non uerè intelligatur, an proprium partis in toto minimè dicatur, quoniam non rectè explicatũ erit quod poſitum eſt eſſe proprium.hoc enim in quibuſdam ſolet contingere. fieri enim poteſt,ut ijs quiſpiam proprium tribuat, quæ ex ſui ſimilibus eiuſdémque generis partibus conſtant, modò totius, modò partis habita ratione, quorum neutrum

rectè explicabit. Exemplum totius erit, ſi quis dicat maris proprium hoc totum, aqua quæ maxima ex parte ſalſa eſt. Nam alicuius, quod ex ſui ſimilibus partibus concretum eſt proprium ponit, ſed eiuſmodi quod in parte non uerè dicatur. quandoquidem certum quoddam mare non eſt, aqua maxima ex parte ſalſa: ita maris proprium non erit hoc totum plurima aqua quæ ſalſa eſt. Partis autem exemplum tale eſt: Si quis aeris propriũ eſſe dicat, quod reſpirabile eſt, is alicuius quod ex ſui ſimilibus partibus cõſtat, ponit proprium, ſed eiuſmodi quod etſi de quodam aere uerè dicitur, tamen de uniuerſo non dicatur: quippe cum non omnis aer ſit reſpirabilis. quare ſpirabile aeris futurum non eſt proprium. In confirmatione autem ex hoc loco argumentum ducemus, ſi proprium quod dabimus de unoquoque quod ex ſui ſimilibus partibus cõſtat, uerè dicetur: ita tamen ut proprium ſit eorum totius ratione. ſic enim quod proprium non eſſe poſitum eſt, erit propriũ. ut, quoniam in uniuerſa terra uerè intelligitur in inferiorem locum ferri natura, certè proprium erit hoc ipſum alicuius terræ omnino, quia terra eſt. Nam de terra, & de natura terræ dicitur: ex quo efficitur ut terræ ſit proprium, natura ferri ad inferiores partes. Ex contrarijs autem multa argumenta in utranque parem elici poſſunt. Primum in refutatione ex contrarijs, quæ aduerſa dicuntur, erit, quando contrarij non eſt contrarium proprium: neque enim proprium contrarij contrariũ futurum eſt, hoc modo: Si iuſtitia iniuſtitiæ cõtraria eſt, & optimo id quod eſt deterrimum: iuſtitiæ autem optimum non eſt proprium, non erit igitur iniuſtitiæ quod deterrimum eſt, proprium. In confirmatione autem uſus erit, quoties contrarij contrarium eſt proprium: ſic enim fiet ut contrarij proprium ſit contrarium. exemplum tale eſt, Si malum bono contrarium eſt, & id quod fugiendũ eſt, ei quod eſt expetendum: eſt autem boni proprium id quod expetendum eſt,

prof



profectò mali proprium erit id quod fugiendum eſt. Alter locus eſt ex ijs, quæ cum aliquo conferuntur. In refutatione quidem hoc modo tractabitur, Si quid eorum quæ cum aliquo conferuntur, alicuius eiuſdem generis non eſt proprium, ne id quidem quod eſt in ijs quæ cum aliquo conferũtur, ullius eiuſdem generis proprium erit. quod ex hoc exemplo intelligi liceat, Si duplum ſimpli duplum dicitur, & id quod uincit illius quod uincitur: id autem quod uincit non eſt dupli proprium, certè ſimpli id quod uincitur & ſuperatur, nõ erit proprium. In confirmatione autẽ hoc modo: Si illius quod cum aliquo confertur, aliquid eiuſdem generis proprium eſt: id etiã quod ex eo genere eſt, alterius eiuſdem generis erit proprium. cuius exẽplum eſt, Si duplum cum ſimplo confertur, unum cũ duobus, & duo cum uno: dupli autem proprium eſt id quod duorum habet rationem ad unum, profectò dupli proprium ſit, id quod unius ad duo rationem habet neceſſe eſt. Proximus locus eſt ex priuantibus, qui in refutatione tractabitur, hoc modo: Si res rei nõ eſt proprium, ne priuationis quidẽ proprium priuatio erit. Et ſi priuationis priuatio non eſt proprium, ne rei quidẽ res proprium erit: ut ſi ſurditatis proprium non eſt, uacuitatem eſſe ſenſus (eſt enim id cæterorum ſenſuũ commune) ne auditus quidẽ ſenſum eſſe propriũ uidebitur. In confirmatione hoc modo: Si res rei proprium eſt, etiam priuationis propriũ erit priuatio: & ſi priuationis priuatio ꝓpriũ eſt, rei etiã res propriũ erit. ut ſi aſpectus proprium eſt cernere ex eo quod aſpectum habemus, cæcitatis etiam propriũ erit non cernere, quia aſpectũ non habeamus, cum natura aptus nobis aſpectus eſſe uideatur. Sequitur locus ex aientibus & negantibus, qui in multas partes diſtributus eſt. ac primi quidẽ, qui ex ijs quæ dicuntur ducitur, in refutatione ſolum uſus eſt, hoc modo: Si id quod ait alterius quod aiat eſt proprium, non erit eius proprium id quod negat. Et ſi id quod negat, eius quod

negat

negat proprium ſit, id quod ait, nõ eſt illius futurũ proprium. ut ſi animalis proprium eſt id quod animatum eſt, non erit animalis proprium id quod non eſt animatum. Alter eſt ex ijs quæ dicuntur, aut non dicuntur, & ex ijs de quibus dicuntur, aut non dicuntur: qui in cõfirmatione tractabitur, hoc modo: Si id quod ait eius quod ait non eſt propriũ: ne id quidẽ quod negat, eius proprium eſt quod negat. Et hoc modo, Si id quod negat eius proprium nõ eſt quod negat, ne id quidẽ quod ait, eius quod ait futurum eſt proprium. Cuius exemplum eſt tale, Si hominis proprium non eſt animal, ne eius quidem quod non eſt homo proprium erit id quod non eſt animal: uiciſsimque, Si eius rei quæ non eſt homo, ea nõ uideatur propria quæ non eſt ex genere animaliũ, ne hominis quidem animal proprium eſt futurum. In confirmatione autem huius loci tractatio eſt talis, Si eius quod ait id quod ait eſt propriũ, etiam eius quod negat id quod negat erit proprium: & ſi eius quod negat id quod negat proprium eſt, etiam eius quod ait id quod ait proprium erit. quod hoc exemplo illuſtrari poteſt: Si eius quod eſt non animal proprium eſt non uiuere, certè animalis uiuere erit proprium: contráque, ſi uiuere animalis eſt proprium, certè eius etiam rei quæ eſt non animal proprium erit non uiuere. Tertius locus eſt ex ijs quæ ſubijciũtur, cuius in refutatione tractatio erit talis: Si ea quæ ſtatuta ſunt eſſe ꝓpria aiẽtium ſunt propria, non erunt eadem etiam negantiũ propria. Et ſi negantium expreſſa ſint propria, aiẽtium propria non erunt. Exemplum tale eſt: Si animalis proprium eſt quod animatum eſt, certè quod animatum eſt eſſe propriũ eius quod eſt non animal, nullo modo poteſt. In confirmatione autem hoc modo: Si ea quæ poſita ſunt eſſe propria non ſunt aientium, negantium erunt. Quanquam hic locus interdum uitioſus eſt & captioſus. Nam nec aientia negantium, nec negantia aientium propria ſunt. Aientia enim negantibus non

conue



conueniunt omnino. Negantia autem aientibus illa quidem conueniũt, ſed non ut propria. Sequitur locus ex diuiſione, cuius in refutatione tractatio talis eſt: Si eorum quæ in diuiſione enumerantur, nihil illius reliquorum eſt proprium, ne id quidem quod eius poſitum eſt eſſe propriũ, illius futurum eſt proprium. ut ſi animal quod ſenſum mouet, nullius aliorum mortalium animantium eſt proprium, ne id quidem animal quod intelligentia & ratione continetur, Dei propriũ eſt. In confirmatione autem hic locus nobis copiam ad argumentandum ſuppeditabit, quoties quiduis reliquorum omniũ quæ in diuiſione enumerata ſunt, ſumetur proprium uniuſcuiuſq; eorum quæ diſtributa ſunt. Quod ſi eſt alicuius eorũ proprium quæ enumerata ſunt in diuiſione, etiam reliquum proprium erit illius alterius cuius propriũ non eſſe ſtatuebatur. id quod ex hoc exemplo intelligi poterit: Si prudentiæ proprium eſt per ſe uirtutem eſſe eius partis animi quæ rationis eſt particeps, cæterarumq; uirtutũ quarũ ſingulæ hoc modo aſſumuntur, certè temperantiæ proprium erit per ſe naturaq; ſua uirtutem eſſe eius partis animi in qua uoluptates uerſantur. Sequitur locus ex ſimiliter cadentibus, qui in refutatione hoc modo tractabitur: Si caſus alterius caſus non eſt proprium, ne id quidem quod ſimiliter cadit, alterius propriũ erit. cuius exẽplum eſt tale: Si eius quod iuſtè fit non eſt proprium præclarè fieri, nec iuſti id quod præclarum eſt proprium erit. In cõfirmatione autem eius loci talis eſt tractatio: Si id quod cadit alterius proprium eſt, etiam caſus erit alterius proprium. ut ſi hominis proprium eſt hoc totum, gradiens bipes, etiam homini proprium erit gradientem bipedem eſſe. Non ſolum autem ex ijs quæ expoſuimus à ſimiliter cadẽtibus, ſed etiam à contrarijs, quemadmodum in ſuperioribus locis explicatum eſt, argumenta ducenda ſunt, ac in reprehẽſione quidem hoc modo: Si contrarij caſus non eſt proprium caſui alicuius contrarij

trarij

trarij, ne contrarij quidem caſus alterius caſui contrarij futu-
rum eſt proprium. cuius exemplum eſt tale: Si eius quod iuſtè
fit nõ eſt propriũ rectè fieri, certè eius quod iniuſtè fit impro
bè fieri proprium non erit. In confirmatione autem ducetur
hoc modo: Si cõtrarij caſus alterius contrarij caſui proprium
ſtatuitur, etiam contrarij caſus alterius contrarij caſui pone-
tur proprium: ut ſi boni proprium eſt optimum, mali quoq; id
quod deterrimum eſt proprium erit. Sequitur locus à ſimili, cu
ius in reprehẽſione talis erit uſus: Si ſimilium ſimilia non ſunt
propria, nec ſimilium ſimilia propria erunt. Si enim, exempli
gratia, architectus eãdem habet rationem ad extruendam do
mum, quã medicus ad efficiendam & reſtituendam ualetudi
nem: medici autem proprium non eſt efficere ualetudinem, ne
architecti quidem extruere domum proprium erit. In confir-
matione autem hic locus hoc modo exponitur: Si ſimilium ſi-
milia propria ſunt, ſimilium quoq; propria erunt ſimilia: ut
ſi medicus eãdem habeat rationẽ ad efficiendã ualetudinem,
quam gymnaſij præfectus ad efficiendam firmam conſtitutio-
nem, & ſit propriũ præfecti gymnaſij uim habere ad efficiẽ-
dam firmam corporis conſtitutionem, erit etiam medici pro-
prium eſſe effectorem ualetudinis. Proximus locus eſt eorum
quæ habent eandem proportionem, cuius tractatio eſt eiuſmo
di in refutatione: Si ea quæ eandem habent proportionẽ, alio-
rum quæ eandem habent proportionem non ſunt propria: nec
ea quæ eodem modo affecta ſunt, aliorum quæ eandem ha-
bent affectionem propria erunt. Et ſi quid eorum quæ eodem
modo affecta ſunt, alterius proprium eſt: id nõ erit proprium
eius, cuius proprium eſſe ponitur. ut ſi eodem modo pruden-
tia affecta eſt ad honeſtum & turpe, quòd utrunque eorum
eſt ſcientia: prudentiæ autem proprium non eſt ſcientiam
eſſe honeſti, profectò non erit proprium prudentiæ, rei turpis
eſſe ſcientiam. Et ſi prudentiæ proprium eſt honeſti ſcien-
tiam



tiam eſſe, eius certè rei turpis ſcientiã eſſe non erit proprium.
quandoquidem idem proprium multorum eſſe non poteſt. In
cõfirmatione autem huius loci nullus eſt uſus. quippe cum id
quod eodem modo affectum eſt, unum cum multis cõparetur.
Proximus locus eſt ex ijs quæ ad naturam, originem, interi-
túmque referuntur: qui in reprehenſione tractabitur, hoc
modo: Si id quod ad naturam & ſtatum refertur, non eſt eius
quod ad naturam & ſtatum pertinet proprium, ne id quidem
quod ad interitum pertinet, illius quod eiuſdẽ eſt generis: nec
quod ad ortum ullius eiuſdem generis propriũ erit. ut ſi exem
pli cauſa hominis non eſt proprium, eſſe animal, non erit pro-
prium huius totius hominem gigni, illud totum animal fieri:
nec hominis interitus proprius eſt interitus occaſúſque ani-
mantis. Eodémque modo ſumenda argumenta ſunt ex ortu
concludendo ſtatum & interitum, itémque ex interitu con-
cludendo ſtatum & ortum. quẽadmodum paulò antè ex ſtatu
concluſus ortus & interitus eſt. In confirmatione autem hoc
modo: Si id quod ad ſtatum pertinet eſt alicuius eiuſdem gene
ris proprium, eius etiam quod ad ortum pertinet, erit pro-
prium id quod eiuſdem eſt generis: & illius quod ad interi-
tum, quod eiuſdem generis eſſe ponitur. cuius exemplum tale
eſt, Si hominis proprium eſt eſſe mortalem, etiam hominis or-
tus proprium erit, naſci mortalem: & interitus hominis, mor
talem interire: eodémque modo concludendus eſt ex ortu &
interitu, ſtatus & ortus, quemadmodum hic locus in refu-
tatione expoſitus eſt. Sequitur locus ex forma rei propoſitæ.
In refutatione quidem huius loci talis erit tractatio: Si formæ
non conuenit, aut certè non ex ea parte qua id dicitur cõueni-
re cuius propoſitum datum eſt: quod propriũ poſitum eſt non
erit proprium. ut ſi ipſi homini non conuenit quies quia homo
ſit, ſed quia idea, non erit proprium quieſcere. In confirma-
tione autẽ locus eſt eiuſmodi, Si quid ſpeciei cõuenit, ídque ex
hoc

hoc ipſo cõuenit quia dicatur de eo ipſo cuius ponitur nõ eſſe proprium, erit proprium id quod poſitũ eſt nõ eſſe proprium. ut ſi conuenit ipſi animali ex animo & corpore concretum eſſe, idq; ei quia animal ſit conuenit, certè animalis proprium erit ex animo & corpore conſtare.

CAP. V.

Sequitur locus comparationis ex maiore & minore, qui quadripartito diſtributus eſt, quorũ primus in refutationẽ tractabitur, hoc modo: Si quod elationẽ habet alterius, eiuſdem generis non eſt proprium: ne id quidem quod ſubmiſsionem habet, ullius eiuſdem generis propriũ erit: nec quod minimam habet alterius, nec quod maximã habet elationem alterius eiuſdem generis, nec denique id quod omnino dicitur ullius eiuſdem generis: ut, ſi exempli cauſa, maiore colore infectum eſſe, maioris corporis non eſt proprium: nec minus colore infectum eſſe, minoris corporis propriũ erit, nec infectum eſſe colore, corporis omnino. In confirmatione autem huius loci tractatio erit talis: Si id quod elationem habet, eiuſdem generis alicuius propriũ eſt, id etiam quod ſubmiſsionẽ habet, alicuius eiuſdẽ generis propriũ erit. Itemq;, id quod minimam habet ſubmiſsionem alterius eiuſdem generis, & quod maximam habet elationem alicuius eiuſdẽ generis, & quod omnino dicitur & ſemel, alicuius eiuſdẽ generis ſit proprium neceſſe eſt. cuius exemplũ eſt eiuſmodi: Si eius quod magis uiuit magis ſentire proprium eſt, etiam eius quod minus uiuit, id quod minus ſentit: & eius rei quæ maximè uiuit, maximè ſentire: & eius quod minimo beneficio uitæ utitur, minimè ſentire: & eius quod omnino uiuit, omnino ſentire proprium erit. Atq; etiam ex eo quod omnino dicitur, argumenta ducenda ſunt: in reprehenſione quidem hoc modo: Si id quod omnino dicitur alterius eiuſdẽ generis nõ eſt proprium, ne id quidem quod elationem habet eius quod eſt eiuſdem generis, neque id quod ſubmiſsionem habet alterius eiuſdem generis, neq; id quod maximam habet elationem alterius, neq; id quod minimam habet ſubmiſsionem alterius, erit proprium. quod ex hoc exemplo intelligi poteſt: Si hominis non eſt proprium, bonum eſſe, ne eius quidẽ qui hominis nomine magis aut potius appellatur probiorem eſſe proprium erit. At in confirmatione argumentum ab hoc loco ſic ſumetur: Si id quod omnino dicitur eius quod eſt eiuſdem generis proprium eſt, id etiam quod maiorem elationem habet, alterius: & quod minorem habet ſubmiſsionem, quódq; minimam ac maximam habet, alterius eiuſdem generis proprium futurum eſt: ut ſi ignis proprium eſt ſurſum ferri natura, eius etiam proprium erit quod ignis potius dicitur, celerius in ſuperiorem locum ſuapte natura ferri. Eodémque modo ex cæteris hæc concludenda ſunt omnia. Alter locus eſt in reprehenſione talis: Si quod elationem habet non eſt proprium alterius eiuſdem generis, nõ erit proprium id quod habet ſubmiſsionem ullius quod eſt generis eiuſdem. Eius loci tale exemplũ erit: Si animalis magis proprium eſt ſentire, quàm hominis ſcire: nec proprium eſt animalis ſentire, non erit hominis ſcire proprium. In confirmatione autem hoc modo tractabitur: Si id cui illud minus additur, alterius cui idem adiungitur eſt proprium, etiam id cui magis additur alterius cui idem adiungitur eſt futurum proprium. ut ſi minus hominis propriũ eſt cicurem & humanum eſſe natura, quàm animalis uiuere: hominis autem eſt propriũ cicurem eſſe ſuapte natura & humanum, profectò animalis proprium erit uiuere. Tertius locus ex maiore & minore in reprehenſione talis eſt: Si quid eius cuius magis eſt proprium, proprium non eſt, ne eius quidem proprium erit, cuius minus eſt proprium: & ſi illius eſt, non etiam huius erit. ut ſi colore infici extremitatis magis proprium eſt, quàm corporis, nec proprium eſt extremitatis, non erit proprium corporis omni-

no,colore infici.quòd ſi eſt extremitatis proprium, non erit corporis proprium.At uerò in confirmatione huius loci nullus uſus eſt: cum præſertim idem multorum proprium eſſe nullo modo poßit. Quartus locus eſt in refutatione huiuſmodi:Si quod magis proprium uidetur alicuius, id non eſt eius proprium:ne id quidem proprium erit,quod minus proprium eius uidetur. Cuius exemplum tale eſt:Si animalis magis proprium eſt ſenſu percipi, quàm ſecari in partes:& animalis non eſt proprium ſenſu percipi,non erit animalis propriũ in partes ſecari.In confirmatione autem tractabitur hoc modo, Si quod minus proprium eſt alicuius id eius proprium eſt, certè quod magis proprium eſt,eius erit propriũ. ut ſi minus eſt proprium animalis ſentire quàm uiuere,& animalis ſentire eſt proprium: profectò animalis proprium erit uiuere.Deinceps ſequitur locus eorum quæ æqualiter conueniant, cuius loci tractatio in refutatione hæc prima erit:Si quod æquè eſt proprium non eſt proprium alicuius cuius æquè proprium eſt:ne id quidem quod æquè proprium eſt,eius erit proprium cuius æquè proprium eſt.ut ſi æquè proprium eſt partis animi in qua uoluptates uerſantur appetere, ac eius quæ rationis eſt particeps, ratiocinari:& eius partis in qua uoluptates uerſantur,non eſt proprium appetere:non erit etiam ratiocinari eius quæ rationis eſt particeps, proprium. In confirmatione autem huius loci tractatio erit eiuſmodi: Si id quod æquè proprium eſt eius eſt proprium cuius æquè proprium eſt, erit etiam quod æquè proprium eſt,eius proprium cuius æquè proprium eſt. cuius exemplum tale eſt: Si æquè proprium eſt partis animi quæ rationis eſt compos, primam eſſe ſedem ſapientiæ:atque eius in qua uoluptates habitant, primam eſſe ſedem temperantiæ: & partis eius quæ compos eſt rationis,primam eſſe ſedem ſapientiæ proprium eſt: illius etiam in qua uoluptates habitant,propriũ erit primam

ſedem



ſedem eſſe temperantiæ. Alter locus in reprehenſione talis eſt:Si quod pari ratione alicuius eſt proprium, non eſt proprium eius: quod æquè proprium eſt, id non erit eiuſdem proprium:ut ſi cernere æque proprium eſt hominis ac audire: hominis autem non eſt proprium cernere, non erit etiam audire hominis proprium. In confirmatione autem talis uſus erit:Si quod pari ratione alicuius eſt proprium, id eius proprium eſt:etiam id quod æquè proprium, eius erit proprium.ut ſi æquè proprium eſt animi, eius partem ualere ad appetendum ac poſſe ratiocinari primum,animi autem proprium eſt eius partem eſſe, quæ primum appetat: animi etiam proprium erit, partem eius primùm poſſe ratiocinari. Tertius locus eſt in reprehenſione eiuſmodi: Si quid non eſt proprium eius, cuius æquè proprium eſt: non erit proprium eius, cuius pari ratione eſt proprium: & ſi illius eſt proprium alterius proprium non erit. Quod hoc exemplo illuſtrandum eſt: Si exempli cauſa incendere æquè proprium eſt flammæ atque prunarum: & flammæ incendere non eſt proprium,non erit prunarum proprium,incendere: quod ſi flammæ proprium eſt, non erit prunarum proprium. huius autem loci nullus uſus eſt in confirmatione. Intereſt autem inter locum eorum quæ eodem modo ad rem affecta ſunt, & locum ſimilitudinis, quòd ille ex proportione ſumitur, non ex eo quod aliquid conuenit: hic autem ex comparatione rerum ducitur. Deinceps locus in refutatione tractatur, ſi quis ex ui proprium ſtatuet,propriúmque ui ad id quod non eſt,accommodabit: nec uis poterit rei quæ non eſt,conuenire,non erit proprium quod poſitum eſt proprium eſſe. ut ſi quis dicat aëris proprium eſſe ſpirabilem eſſe, ex ui proprium ſtatuit, quandoquidem tale proprium quod reſpirari poteſt,reſpirabile eſt, atq; etiam proprium ſtatuit rei quæ nulla eſt.ſiquidem ſublato animali quod

reſpirare aërem ſolet, aër eſſe poteſt, nec tamen ſi nullum ſit animal, fieri poteſt ut quid reſpiret: ita fit ut aëris non ſit futurum proprium eiuſmodi quod reſpirari poteſt, tum cum animal nullum erit tale quod reſpiret: quare aëris proprium non erit ſpirabilem eſſe. At in confirmatione huius loci uſus erit, quando ex ui proprium explicabimus, quod aut ad id quod eſt, aut ad id quod non eſt, refertur: ut uis ipſa rei quæ nulla eſt, poßit conuenire. ſic enim proprium erit id quod poſitum eſt non eſſe non proprium. ut ſi quis eius quod eſt proprium ponat poſſe pati uel facere, is ex ui proprium expreßit, idque ad id quod eſt accommodauit. Quandiu enim aliquid eſt id & pati aliquid & facere poteſt, ita eius quod eſt proprium erit poſſe pati uel facere. Extremus locus refutationis erit: quando ex præſtantia & excellentia proprium exponitur, proprium non eſt quod poſitum eſt eſſe proprium. ij enim qui hoc pacto proprium ſtatuunt, faciunt ut in quo oratio, in eo non etiam nomen uerè dicatur. ſublata enim re, tamen ſtabit oratio, quippe cum alicui earum rerum quæ ſunt, conueniat maximè: ut ſi quis ignis proprium dicat eſſe hoc totum, corpus leuißimum, igne ſublato erit corpus aliquod leuißimum: non eſt igitur ignis proprium hoc totum, corpus leuißimum. In confirmatione autem, ne præſtantia ſtatuamus proprium prouidendum eſt. ex ea enim parte rectè ponetur proprium. ut ſi quis hominis proprium ponat hoc totum, animal natura cicur & humanum, is quoniam non explicauit proprium ex præſtantia, ex ea parte proprium rectè ſtatuit.





# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER SEXTVS.

## CAP. I.

IN TRACTATIONE autem locorum definitionis, quinq; ad reprehendendũ nobis proponere debemus. Primum, omnino non uerè dici de quo nomen, etiã orationem, debet enim in omni homine uerè dici hominis definitio. Alterum non eſſe poſitum pro genere, aut pro accõmodato genere, id genus quod eſt in definitione. Nam qui definit rem, debet ad genus differentiam adiungere: quum præſertim eorũ quæ in definitione collocantur rei, quæ definiendo explicatur, naturam genus declarat maximè. Tertium, nõ eſſe propriam orationem, quoniam debet propria eſſe definitio, quemadmodũ ſuprà dixi. Quartum, ut omnia quæ dixi perfecta ſint, nõ tamen rem definitam eſſe, nec eius uim explicatam. Poſtremum eſt uitiũ, ſi omnia explicata ſunt, non autẽ rectè. Ac ſi de quo nomen, nõ etiã oratio uerè dicitur, ex locis accidentis ad id demonſtrandum & concludendum argumenta ducenda erunt. Illic enim hoc unũ egimus, ut ucréne an falſo diceretur, cognoſceremus: cum præſertim quando diſſerebamus accidens conuenire, uerè dici: quãdo non conuenire, nõ uerè dici fateremur. Nõ eſſe autẽ aptum genus id quod poſitum eſt, aut non eſſe propriam orationem quæ data eſt, ex locis generis & proprij qui ſunt expoſiti, docebimus: quod autẽ reliquũ eſt, non eſſe definitam

rem, aut non rectè definitam, quemadmodum intelligemus, meditamur dicere. Primùm quidem an minus aptè res definita ſit, uidendum eſt. quandoquidem facilius eſt facere aliquid, quàm rectè facere. ex quo perſpicuum eſt, ſæpius in hoc ipſo peccari, quandoquidem difficilius eſt. ita argumenta facilius in hoc quàm in illo genere ſuppetent. Sunt autem duæ partes eius rei quæ non aptè definita eſt: Vna, ſi dubia & obſcura interpretatione utamur. Debet enim is qui rem definit quàm poteſt apertiſſima interpretatione uti: quandoquidem cognoſcẽdæ rei cauſa traditur definitio. Altera eſt, ſi ad rem aliam definitio transferatur: ſic enim ſuperuacaneum erit, quicquid adiectum erit in ea definitione. Rurſus utrumq; eorum quæ expoſita ſunt in plures partes diſtributum eſt.

CAP. II.

AC primus quidem locus ad probandum definitionem eſſe obſcuram, erit cum aliquod uerbum quod in definitione cõtinetur ambiguum erit. Vt ſi quis definiat ortũ, motum ad naturã ferentem, aut ualetudinem eſſe aptam caloris & frigoris temperationem & moderationem. Eſt enim ut motus, ſic moderationis ambiguum uerbum: ita dubiũ erit utrum uelit ſignificare eorum quæ explicata ſunt & declarata eo uerbo, quod multis modis dicitur. Quod idẽ continget quoties res quæ definitur multis modis dicitur, neq; explicatur. Sic enim incertũ erit utrius definitionem explicauerit: incidúntq; tum cauillationes, quaſi non ad omnia quæ definiendo explicata ſunt, accõmodetur definitio: idq; tum incidet maximè, cũ obſcura eſt & latẽs ambiguitas. Atq; etiã ratiocinatio cõfici poteſt, diuiſione & explicatione adhibita, quot modis dicatur id quod in definitione cõcluditur. Si enim ſatis explicatũ nõ ſit ulla ratione earũ quibus id dicitur, profectò eo modo res rectè explicata nõ erit. Proximus locus eſt, quãdo per translationẽ definitio explicatur. ut ſi quis ſciẽtiã definiat immutabilem





bilem eſſe, & quæ nunquam decidat: aut terrã altricem, aut temperantiam concentum. Eſt enim obſcurum quicquid per translationẽ dicitur. Calumniari etiã poterimus aduerſus eũ qui translatione uſus erit, quòd non proprio uerbo ſit uſus: quandoquidem nõ aptè erit explicata definitio. quod in tẽperantia contingit: quandoquidẽ in ſonis omnis concẽtus cernitur. Præterea ſi concentus genus ſit temperantiæ, idẽ in duobus generibus erit, quorum neutrum alterum continet. neq; enim concentus uirtutem cõtinet, nec uirtus concentũ. Deinceps locus ſequitur quando aliquis in definiendo uerbis inuſitatis utitur, id quod Plato fecit, qui oculũ, ὀφρυόσκιον id eſt, cilicij umbrã definiuit, & araneã σηψιδακές, id eſt, ut ita dicã, putrimordacem. aut ſi quis medullã, oſſiũ procreatricem dicat. quicquid enim inuſitatum eſt, id obſcurũ eſt. Sunt etiã nõnulla quæ nec per ambiguitatem, nec per translationem, nec propriè dicũtur. ut ſi lex definiatur eſſe modus uel imago eorum quæ natura iuſta ſunt. quæ omnia translatione deteriora ſunt. Trãslatio enim illuſtrat declarátq; quodãmodo propter ſimilitudinem id quod ſignificatur. quippe cũ omnes qui transferunt uerba, ea propter quendam ſimilitudinem transferãt. At uerò illud tale nullo modo rem illuſtrat, quandoquidem ſimilitudo nulla reperitur, propter quam lex, modus, aut ſimulachrũ dicatur, nec id propriè dici ſolet: ita ſi modũ propriè aut ſimulachrũ legem dicant eſſe, mentiuntur. Eſt enim ſimulachrum id, cuius origo ab imitatione profecta eſt, quod in lege nõ reperitur. Quòd ſi impropriè id dicãt, certè obſcurè loquuntur: atq; deterius quàm ea quæ per translationem dicuntur. Locus alius erit, quando cõtrarij definitio ex ea quæ data eſt, non intelligetur. Quæ enim recte definitiones cõſtituuntur, etiam contrarias ſignificant atq; declarãt. Aut quãdo per ſe prolata non perſpicuum erit cuius ſit definitio, idq; in iis uſu uenit, quæ ueteres pingebant: quæ quidem niſi quis

ſuperſcripſiſſet, nunquam cognoſci intelligiq; potuiſſent. Ac ex ijs quidem locis ad probandum non eſſe definitionem dilucidam, argumenta ducētur. Quando autē ea quæ ad aliam rem transferetur, dabitur & conſtituetur definitio, primū uidēdum erit, an uerbum aliquod adhibitum ſit eiuſmodi, quod conueniat omnibus rebus, aut quæ ſunt omnino in rerum natura, aut quæ ſubiectæ ſunt generi eidem rerum earum quæ definiuntur. Sic enim ad aliam rem transferatur definitio neceſſe eſt. Nam & genus à cæteris, & differentia ab aliquo eorum quæ ſunt: in eodem genere debet rem quæ definititur ſeiungere. Atqui nec quod rebus omnibus conuenit omnino, à nulla ſeparat: nec quod omnibus quæ ſubiectæ ſunt eidē generi conuenit, ab ijs quæ ſunt in eodē genere ſecernit: ita ſuperuacaneum eſt tale illud quod adiectum eſt. Alius locus erit, quando id quod adiectum eſt, eſt propriū, quo ſublato, & reliqua oratio propria eſt, & naturam rei explicat. Quale eſt in hominis definitione hoc totū quod adijcitur, natum ad diſciplinā. eo enim ſublato propria eſt definitio, naturamq; rei indicat, atq; ut uno uerbo cōplectar omnia, id omne ſuperuacaneū eſt & redundans, quo ſublato, quod reliquū eſt planam facit rem eam quæ definitur. Qualis eſt etiam animi definitio, ſi quidē numerus ſit ſe ipſe mouēs & agitās. Eſt enim animus id quod ſeipsū mouet, quemadmodū Plato definiuit: niſi fortè propriū eſt illud quidē quod expoſitum eſt, ſed numero ſublato rei uim naturámq; non declarat, quorum utrū uerius ſit difficilè eſt explicare. In his autē omnibus quātū utilitatis ratio poſtulat, uidēdū eſt. Qualis eſt pituitæ definitio illa, humor primus ex cibo incoctus. unus enim primus humor eſt, non multi, ita redundat illud incoctus. quandoquidem ſublato illo propria reliqua eſt futura definitio. Fieri enim nō poteſt, ut aliquid ex cibo decidat, & aliud primùm decidat, niſi fortè pituita non eſt id omnino quod ex cibo primum decidit, ſed primum



primum eſt eorum quæ non concocta, ut illud non concoctum addendum eſſe uideatur. Nam ſi illo modo dicatur, non uera erit definitio: ſiquidem non eſt primum omnium. Proximus locus erit, quoties aliquid eorū quæ in definitione continentur non omnibus ijs quæ ſunt ſub eadē ſpecie cōuenit. Qualis definitio deterius & abſurdius explicata eſt ijs omnibus, in quibus aliquid adhibetur quod omnibus naturis cōuenit. illo enim modo reliqua propria erit definitio, & tota propria erit quādoquidem ſi ad proprium aliquid quod uerum eſt addatur, omnino propria eſt tota oratio. At ſi quod eorū quæ in definitione collocata ſunt, non omnibus cōueniat ijs quæ eidē ſpeciei ſubijciuntur, tota eſſe oratio propria nullo modo poteſt, neque enim de re uiciſsim dicetur: cuius generis eſt hoc totū, animal gradiens bipes quatuor cubitorum: neq; enim eiuſmodi definitio de re uiciſsim dicitur, propterea quòd non omnibus ijs quæ eidē ſpeciei ſubijciuntur magnitudo quatuor cubitorum conuenit. Illud etiam uidendū erit, an uerbum idem iteratum eſt: ut ſi quis appetitionē definiat uoluptatis & delectationis cupiditatem. Rei enim iucūdæ omnis appetitio eſt, ita idem ualet iucundi cupiditas, quod appetitio. Non erit igitur appetitionis definitio, cupiditas rei iucūdæ & ſuauis. nihil enim intereſt appetitionem dicamus an cupiditatem rei iucundæ, ut utrūque eorum propriū ſit uoluptatis, niſi fortè hoc alienum uideri non poteſt. homo enim cum bipes ſit, certè bipes idē eſt quod homo. Eſt autem idē quod homo animal gradiens bipes, ita animal gradiens bipes, bipes eſt. Sed non ex hoc alienum quicquam & incommodum efficitur, quandoquidem in animante qui gradiens eſt ſolum, bis bipes non dicitur. Sic enim bis de eodem bipes diceretur: cum autem de animante gradiente & bipede nomen bipedis dicatur, ſemel tantummodo bipes dicitur. Eadem eſt ratio appetitionis, propterea quòd non in cupiditate intelligitur illud eſſe delectationis, ſed in

tota oratione. ita ſit ut ſemel etiam hoc loco oratio dicẽdi exprimatur. Atq; iterare idem uerbum non eſt incommodum: ſed illud demum incommodum eſt, ſæpe idem de aliqua re dicere, quod Xenocrati uſu uenit, qui ſapientiam ait eſſe conſtitutionem & cognitionem naturarum. quippe cum conſtitutio quædam ſit cognitio, ita bis idẽ dixit adiecto uerbo cognitionis. In eodem errore uerſantur ij qui refrigerationem, caloris naturalis priuationem eſſe definiunt. nam cum eius quod inſitum eſt omnis ſit priuatio, ſuperuacaneum eſt nomen naturalis addere. ſatíſq; erat addere caloris priuationem: quãdoquidem ex ipſo nomine priuationis rei naturalis eſſe intelligitur. Rurſus uidendum eſt, an ad id quod omnino dicitur aliquid etiam quod in parte ſit, adiungatur. ut ſi quis æquitatẽ definiat imminutionem rerum utiliũ, atque iuſtarum. Cum enim quod iuſtum eſt etiam utile ſit quiddam, profectò in rebus utilibus continetur. Ita illud rerum iuſtarum redundat. ex quo ſit ut quod omnino & in totum dicitur, id adiectum ſit in parte. Quod idem fiet ſi medicinam aliquis definiat, ſcientiam rerum ſalubrium animali & homini: aut legem, imaginem eorum quæ natura & ui ſua bona ſunt & iuſta. Nam quoniam quod iuſtum eſt quædam pars eſt boni, is qui ita definit ſæpe idem dicit. Ac utrum rectè, nécne definitio explicata ſit, ex his locis & alijs eiuſdem generis intelligemus.

## CAP. III.

AD probandũ autem naturam rei explicatã eſſe aut non eſſe definiendo, ex ijs quos deinceps exponemus, argumenta ſumentur. Primũ uidebimus num prioribus & magis perſpicuis uerbis expoſita ſit definitio. Definitio enim rei cognoſcẽdæ gratia traditur. Et rẽ cognoſcimus nõ ex rebus & uerbis quibuslibet, ſed ex prioribus & magis perſpicuis, quẽadmodũ in demõſtrationibus contingit. ea enim uis eſt omnis doctrinæ & diſciplinæ. Ex quo perſpicuũ eſt eũ nõ explicare

rem



rem definiendo, qui non rebus eius generis rem illuſtret & aperiat definitione. Si enim rem definiuit, certè multæ erunt eiuſdem rei definitiones. quippe cũ perſpicuũ ſit eũ qui rebus magis perſpicuis & notioribus definierit, aptius & commodius rem definiendo explicaſſe: ita eiuſdem rei utraq; definitio erit propria, quod non ita eſt. Sua enim cuiuſq; rei una eſt uis atq; natura. Itaq; ſi multæ eiuſdem rei definitiones erunt, uis & natura rei eius quæ definitur, erit eadẽ, quæ utraq; definitione declaratur. Atqui & naturæ non ſunt eædẽ, quandoquidẽ aliæ & diuiſæ ſunt definitiones. Perſpicuũ eſt igitur eum non definiuiſſe rẽ, qui non magis perſpicuis neq; notioribus rebus definierit. Ad probandũ igitur nõ eſſe explicatam definitionem magis perſpicuis rebus, duplex locus ſuppetet. Nã aut uidebimus an ex magis dubijs omnino & ignotis, aut an nobis magis ignotis & dubijs expoſita ſit res definiendo, quoniã utroq; modo id fieri poteſt. Quod enim prius eſt, id eo quod poſterius eſt, notius eſt omnino. ut punctũ linea, & linea plano, & planũ ſolido: quemadmodũ unio numero notior eſt, quoniã prior, initiũq; eſt omnis numeri. Itemq́; elementũ ſyllaba. At uerò in noſtra cognitione contrà interdum cõtingit. Nam & quod ſolidum eſt magis ſub ſenſum cadit, quàm quod planũ eſt: & quod planũ eſt magis quàm linea, & linea quàm punctũ: quippe cum hæc pleriſque nota ſint omnia. Hæc enim cuiuſuis, illa ſubtilis & otioſi ingenij eſt diſcere. Et quãquam præſtat omnino eniti, ut poſteriores res ex prioribus intelligamus & cognoſcamus (habet enim id maiorẽ uim ad ſcientiam) tamẽ apud eos qui rem ex his talibus non poſſunt cognoſcere, neceſſe eſt profectò rem definiendo aperire in ijs rebus, quæ illis notæ ſunt & perſpicuæ. Cuius generis ſunt & puncti & lineæ & plani definitiones. omnes enim res antiquiores poſterioribus explicant: ut lineæ punctum, plani lineam, ſolidi planũ extremũ eſſe definiunt. Sed tamẽ illud intelligen-

dum

dum eſt, eos qui ita definiunt, uim & naturam rei quæ definitur explicare nõ poſſe. Niſi fortè idem ſit & nobis notius, & notius omnino: ſiquidem omnes qui rectè rem definiũt genere differẽtiiſq; definire debent, quæ in ijs ſunt rebus quæ omnino & per ſe notiores ſunt & magis perſpicuæ, quàm forma. quippe cũ ſublato genere, ſublata differẽtia, forma tollatur. Ex quo fit, ut ſpecie priora ſint & antiquiora. Atq; etiam notiora eſſe ex hoc intelligi poteſt, quòd cognita ſpecie genus & differentiã cognoſci neceſſe eſt. qui enim hominẽ nouit, etiã animal & bipes nouit. at cognito genere aut cognita differẽtia, nõ neceſſe eſt ſpeciẽ eſſe cognitã, ita ſpecies minus nota & perſpicua eſt. Iam uerò ita fiet, ut ij qui definitiones eiuſmodi ueras eſſe confirmant, quæ ex ijs conſtant quæ cuique perſpicua ſunt & nota, multas eiuſdem rei definitiones eſſe fateantur. Nam quoniã alia alijs nec eadẽ omnibus notiora ſunt, una cuique & alia aßignanda erit definitio: ſiquidem definitio ex ijs quæ cuique planiora ſunt & notiora conſtitui debet. Præterea eiſdem alia aliàs magis aperta uidentur. Nam à primo ortu ea quæ ſub ſenſum cadunt: ubi autem acriori ſunt iudicio, contrà. Ita ne eidem quidem ſemper eãdem definitionem dare debent ij qui definitionem rebus, quæ cuique magis perſpicuæ ſint, tractari uolunt. Ex quo perſpicuum eſt non ijs talibus ſed ijs quæ omnino clariora ſunt, rem eſſe definiẽdam, quippe cum ita demum una & eadem ſemper ſit futura definitio. Ac fortaſſe quod omnino & ui ſua notum eſt, non omnibus perſpicuum eſt, ſed ijs demũ qui bene animo conſtituti ſunt. quemadmodum id etiam quod omnino ſalubre eſt, ijs ſalubre eſt, quorũ bene affectum eſt corpus. Tractari ergo hæc debent omnia accuratè & ſubtiliter: adhiberi autem in diſputationibus pro rerum uſu. Sed conſenſu omnium euerti definitio tum poteſt facillimè, cum nec omnino perſpicuis & notis, nec ijs quæ nobis nota ſunt explicabitur. Ac una quidem ratione



tione ita intelligetur non eſſe perſpicuis traditam & apertam definitionem, ſi poſterioribus (quemadmodum ſuprà dixi) priora declarabuntur. Alia autem ratione, ſi eius rei quæ ſtabilis & certa eſt incertis & mutabilibus nobis ſtatuetur definitio. quippe quũ prius ſit & clarius quod ſtabile & certum eſt, quàm quod incertum & mutabile. Ad probandum autem non prioribus apertam definitionem eſſe, tribus ex locis argumenta ſumentur. Primus erit, ſi contrarijs cõtrarium definiẽdo aperietur: ut ſi bonum malo definiatur: ſimul enim naturæ ordine ſunt contraria, & quibuſdam eadem ars in utroque uerſari uidetur. Ex quo fit, ut alterum altero non ſit notius. Sed tamen illud ignorare non debemus, quædam eſſe quæ aliter definiri non poßint, cuius generis eſt duplum, quod ſine ſimplo definiri non poteſt: itémque omnia quæ per ſe cum aliquo conferuntur. Nam cum eorum omnium uis & natura idem ualeat quod ad aliquid quodãmodo affectum eſſe, profectò utrunque ſine altero cognoſci non poteſt, ut neceſſe ſit alterum in alterius definitione contineri. Ac ſunt cognoſcenda illa quidem eius generis omnia, eiſque in his (ut res feret) ita utendum eſt. Alter locus nobis argumenta ſuppeditabit, quando in definitione aliquid adhibetur, quod idem ualet quod res quæ definitur id quod obſcurum eſt, tum cum non eodem uerbo utuntur, quod eſt rei quæ definitur. ut ſi ſolem aſtrum luce perſpicuum definiãt. qui enim lucis uocabulo utitur, etiam ſolis utitur. Vt autem hæc manifeſtò deprehẽdantur, pro nomine definitio ſumenda eſt, hoc modo, Dies eſt ſolis motus ſuper terram. ſic enim perſpicuum erit eum qui motum ſuper terram dixerit, etiam ſolem nominaſſe, ut ſolis nomine uſus ſit, qui diei uſus fuerit. Huius etiam loci uſus erit, quando eo quod in eadem diuiſione numeratur, alterum eiuſdem generis definitur. ut ſi quis imparem numerum definiat, qui parem uno uincit. Sunt enim ſimul ordine naturæ ea quæ

ex

ex eodem genere diſtribuuntur in partes, cuiuſmodi ſunt impar & par, quæ numeri ſunt differentiæ. Quod item fiet, ſi ſuperiora inferioribus definiendo aperiantur. ut ſi par numerus definiatur eſſe qui bifariam diuiditur, aut bonum habitus uirtutis. Nam & bifariam à duobus quæ ſunt paria ductũ eſt, & uirtus quædam eſt pars bonorũ: ita hæc illis ſubiecta ſunt. Neceſſe eſt etiam eum qui eo quod infra eſt utatur, etiam ſuperiore uti: cum præſertim qui uirtutis nomen uſurpat, boni etiam nomen uſurpet. quandoquidẽ uirtus in numero bonorũ habetur. Itemq; is qui bifariam dicat, pari utitur: quoniã illud bifariam aliquid in duas partes diſtributum declarat, & duo paria ſunt. Atq; hic quidẽ locus unus eſt, ut generatim dicam, ex quo ad docendum definitionem non prioribus & magis perſpicuis eſſe illuſtratam, argumenta ducentur. Cuius partes erunt ſuperiores. Secũdus locus erit quando res quæ definitur ex aliquo eſt genere, neque in genere ponitur. qui error in ijs omnibus uerſatur, in quibus non ponitur genus definitionis. ut ſi quis corpus definiat, id quod habet tres dimenſiones: aut hominẽ, id quod rationem numerorũ tenet: is genus non dicit magnitudinem eſſe, quæ tres habeat dimenſiones: aut genus hominis animal, quod rationem numerorũ tenet. Genus autem quid res ſit declarat, & primũ eorum quæ in definitione dicuntur collocatur. idem fiet, ſi res quæ definitur in multis dicatur, neque ad omnia pertineat definitio. ut ſi quis grãmaticam definiat, artem eſſe ſcribẽdi id quod dictatur & profertur. Deeſt enim & legendi, quandoquidem non potius ſcribendi quàm legendi eam artem tradidit is qui eam definiuit: ut non qui alterum, ſed qui utrunque dixerit definijſſe uideatur: ſiquidem eiuſdem rei multæ definitiones eſſe non poſſunt. Ac in nonnullis quidem hoc uerè dicitur quod expoſitum eſt, in quibuſdã uerò non item. cuius generis ea ſunt omnia, in quorum utroque non per ſe res quæ definitur cernitur: quemadmodum



modum medicina in morbo & in ualetudine uerſatur, quorum in ualetudine ui ſua & per ſe, in morbo temerè & caſu cernitur: præſertim cum omnino alienum ſit à medicina morbum efficere atque generare. Ita non uerius medicinam definiendo aperit is qui utrunq; complexus eſt, quàm is qui alterum, imò uerò deterius: quandoquidem quiuis alius morbum efficere poteſt. Proximus locus erit, quando non ad id quod præſtantius eſt, ſed ad id quod deterius res quæ definitur accommodatur, cum plura ſint in quibus uis eius intelligatur. Omnis enim ars uiſque omnis ad id quod continet præſtantiſſimum omnium, referri uidetur. Rurſus ſi res quæ definitur in proprio & accõmodato genere non collocetur, argumenta ex his locis generis quos ſupra expoſuimus, ducẽtur. Iã ſi quis ſuperiora genera definiendo dicat, non rectè definiet. ut ſi quis iuſtitiam definiat eſſe habitum efficientem æquabilitatis, aut habitum qui ſuum cuique tribuit: is enim ita definiendo uirtutem tranſit & tranſilit. Quoniam igitur iuſtitiæ genus prætermittit, uim eius & naturam non explicat: quippe cum cuiuſque rei uis ſit cum genere coniuncta. Hic autem locus idem ualet quod ille, Non in proximo genere aliquid collocare. Qui enim in proximo genere numerarit aliquid, is ſuperiora dixit omnia: quandoquidem in inferioribus ea quæ ſupra ſunt intelliguntur. Quocirca aut proximum genus in definitione uſurpandum eſt, aut generi quod ſuprà eſt, adiungendæ ſunt differẽtiæ omnes, quibus uicinũ genus definiatur. Sic enim nihil prætermittetur, exprimetúrque oratione inferius genus pro nomine. At qui ſuperius genus ſolum dixerit, non etiam inferius explicat, ueluti qui plantam dicit, non etiam arborem declarat. Rurſum in differentijs eodem modo uidendũ eſt, an generis differentias definiẽdo explicarit. Nam ſi rẽ aliquã non ſuis proprijs differentijs definierit, aut etiam aliquid dixerit eiuſmodi quod nullius rei differẽtia eſſe poßit, ut ani

ut animal, ut ſubſtantiam: is, quoniam nihil tale differentiæ nomen obtinet, certè definiendi genere nõ utetur. Atq; etiam illud uidendũ eſt, ſítne aliquid quod diuiſum quaſi ex altera parte differẽtiæ quæ propoſita ſit, reſpondeat. Si enim non ſit, profectò quæ data eſt, non erit generis differentia: quãdoquidem in differẽtijs, quæ diuiduntur ex contrarijs partibus, genera omnia tribuuntur. ut animal in terrenũ & pẽnigerum, in aquatile & bipes. Aut ſi eſt differentia quam ex altera parte generis diuidant, nec de genere uere dicatur, perſpicuũ eſt neutram generis eſſe differentiam, præſertim cum omnes differentiæ in quas genus tribuitur, de proprio & ſuo genere uere dicantur. Itemq́;, ſi uerè illa quidẽ dicatur, neq; adiecta generi ſpeciẽ efficiat, profecto non erit generis, hæc talis ſpeciei procreatrix differentia: quippe cũ ſpeciei effectrix differentia ſpeciẽ procreet, ſi cum genere iungatur. Quòd ſi hæc in differentijs non numeretur, nec ea quidem quæ prolata eſt: quandoquidem in hanc etiã genus diuiſum eſt. Illud etiã conſyderandum eſt, an in negationem genus ſit diſtributum. Quod ij faciunt, qui lineam definiunt longitudinem eſſe latitudine carentem. Nam cum nihil aliud indicet, niſi quod non habet latitudinẽ, ita fiet ut genus definitionis formæ ſit particeps. quandoquidem longitudo omnis aut caret latitudine, aut habet latitudinẽ: & de rebus omnibus aut aientia aut negantia uere dicũtur. Ita longitudo cũ lineæ genus ſit, aut non habebit aut habebit latitudinem. Atqui longitudo non habens latitudinem, ſpeciei ratio eſt. Itemq́; habens latitudinem præſertim cum quod latitudinis expers eſt, & particeps, ſint differentiæ: ex differentia autem ac genere ſpeciei cõſtat ratio & definitio: ita genus ſibi formæ definitionem uẽdicabit. Itémque differẽtiæ, quandoquidem altera differentiarũ quas expoſuimus, de genere dicitur neceſſariò. Hic autem locus ualet contra eos, qui ponunt ideas eſſe. Si enim non eſt ipſa longitu-





do, quónam tandem pacto de genere dicatur, quod aut latitudine caret, aut latitudinis eſt particeps? Debet enim alterum eorum de omni longitudine dici, ſiquidem futurum eſt ut uere de genere dicatur. Quod non fit, cum ſint longitudines quæ latitudine careant, & quæ habeant latitudinem. Ergo hic locus contra eos ſolos ualebit, qui genus unum numero eſſe contendunt, quod ij faciũt qui ideas ponunt. Nã & ipſam longitudinẽ & ipſum animal uolunt genus eſſe. Quanquàm in quibuſdam definiendis negatio adhibẽda eſt neceſſariò: cuius generis ſunt priuationes. Cæcũ enim eſt id quod aſpectum nõ habet, tum cũ ei eſt aptus natura. Nihil autem intereſt, negatione res definiatur, an affirmatione eiuſmodi, cui neceſſe ſit negationem ex altera parte in diuidendo reſpondere: ut ſi quis lineam, longitudinem quæ latitudinẽ habeat, definierit. Quod enim habet latitudinem ei quod ea caret, cum in eas quid diuiditur, reſpondet, præterea nihil. ita rurſus in negationem genus tribuetur. Illud etiam uidendum eſt, ſpeciémne definiendo pro differentia dixerit. quod faciunt ij qui conuitiũ, contumeliam cum irriſione definiunt. Nam cum irriſio quædam ſit contumelia, fit ut non differentia, ſed ſpecies ſit irriſio. Iam illud etiam, an genus in differentia definiendo numerarit: ut ſi quis uirtutẽ, habitum bonum definiat. Eſt enim bonum uirtutis genus. Niſi forte nõ genus bonum eſt, ſed differentia. ſiquidem uerum eſt illud, nõ poſſe idem in duobus generibus numerari, quin unum altero contineatur. Neq; enim bono habitus, neq; habitu bonum continetur. quandoquidem non omnis habitus bonus eſt, neq; omne bonum habitus. Ita utrumq; eſſe genus nullo modo poteſt. Quòd ſi habitus uirtutis genus eſt, profectò bonum non uirtutis genus, ſed differentia eſt. Præterea habitus quid ſit uirtus declarat: bonum autem non quid ſit, ſed qualis indicat. Atqui quale quid ſignificat differentia. Videndum etiam eſt, an quid, non quale quid

quæ data eſt differētia, declaret: quoniā qualitatē omnis differentia declarat. Atque illud etiam, fortène ac temere rei quæ definiatur differentia conueniat. Vt enim nullum genus, ſic differētia nulla in ijs numeratur quæ temere & caſu rei cōueniunt: præſertim cū alicui conuenire & nō cōuenire nō poſſit differentia. Iā ſi de genere dicitur differētia, aut ſpecies, aut aliquid eorū quæ ſpeciei ſubiecta ſunt, nulla definitio eſt. Nihil enim eorū quæ enumerata ſunt, de genere dici poteſt: quādoquidē in pluribus genus quā omnia reperiatur. Quod idem fiet, ſi de differentia genus dicatur: quum præſertim non de differentia genus, ſed de ijs de quibus differentia dicatur. Veluti animal in homine, boue, cæteriſq́; terrenis animalibus dicitur, non in ea differentia quæ de ſpecie dicitur. Si enim de ſingulis differentijs animal dicetur, certè multa animalia de ſpecie dici poterunt, quum præſertim in ſpecie differentia intelligatur. Præterea iſto pacto, aut in formis, aut in indiuiduis, omnes differentiæ numerabuntur, ſi quidē animalia eſſe ponantur. quandoquidem omne animal uel ſpeciei uel indiuiduorum nomen obtinet. Similiterq́; conſyderādum eſt, an ſpecies, uel aliquid eorum quæ ſubiecta ſunt ſub ſpeciem, de differentia dicatur, quod fieri non poteſt: quandoquidem ad plura differentia quàm forma transfertur. Iſto etiam pacto fiet, ut in ſpecie differentia numeretur, ſi quid eorum quæ ſpeciei ſubiecta ſunt, de ea dicatur. Si enim de ea homo dicatur, certè homo differentia eſt. Illud etiam uidendum eſt, an ſpecie non ſit prior differentia. debet enim ut genus ſequi, ſic ſpeciē antecedere differētia. Illud etiam, an alterius generis ſit differentia ea quæ producta eſt, quod quidem nec contineatur, nec contineat. Neq; enim uidetur duobus generibus data eadem differentia, quorum alterum ab altero minimè contineatur. Sin ſecus, profecto illud etiam fiet, ut eadem ſpecies in duobus generibus, quorum unum non contineatur ab altero.





Ex differentia enim genus concluditur, ut ex terreno & bipede animal. Ita fit, ut in quo differentia, etiam genus utrunque dicatur. Ex quo perſpicuum eſt formam in duobus generibus eſſe. quorum unum altero non cōprehendatur, niſi fortè non omnino fieri non poteſt, ut eadem differentia duorum ſit generum, quorum neutrum alterum contineat, ſed adiungendum eſt, quorum utrunque eidem minime ſubijcitur. Nam terrenum animal & pennigerum animal, genera ſunt, quorū neutrum alterum cōplectitur, quorum utriuſque bipes differentia eſt: ita addendum illud eſt, quorum utrunque ſub idem genus nō ſubijcitur. hæc enim duo animali ſubiecta ſunt. Illud etiam perſpicuum eſt, non neceſſario ex omni differentia ſuū concludi genus: quandoquidem eſſe duorum generum, quorū unum altero non continetur, eadē poteſt: quorumq́; alterum neceſſe eſt ex ea concludi & probari, eáque quæ ſupra ſunt omnia, quemadmodum animal pennigerum uel terrenū ex bipede concluditur. Videndum etiam, an id quod in aliquo eſſe quid ſignificat, differentiam naturæ explicarit. Neque enim inter ſubſtātiam & ſubſtantiam hoc intereſt, quòd alicubi ſit. Itaque eos qui animal, in terrenū & aquatile partiuntur, reprehendunt: propterea quòd terrenum & aquatile in aliquo eſſe declarant. Niſi fortè in his non iure reprehēdunt. Neque enim in aliquo eſſe aut alicubi aquatile & terrenū, ſed quale quid indicat: præſertim cū ſi ſit in loco ſicco, tamen æquè aquatile: & ſi in humido loco, terrenū, non aquatile ſit futurum. Sed tamen hoc perſpicuum eſt, ſi quid eſſe in aliquo ſignificet differentia, in ea exponenda & explicanda peccari. Præterea uidendum eſt, an perturbationem in differentia numerarit. Omnis enim perturbatio amplificata ex ſtatu ſuo naturam dimouet, ex quo genere non eſt differentia. Magis enim ſtatum eius cuius eſt differentia, differentia conſeruat: neque fieri poteſt omnino, ut ſine ſua

quicq; differentia permaneat: ſublata enim terreni differentia eſſe homo nullo modo poteſt. Quibus autem commutatur id in quo ea ſunt, eorum nihil illius differētia eſt: quandoquidem omnino eiuſmodi amplificatà naturam è ſtatu ſuo dimouent. Quapropter qui talem aliquam differentiam dederit, in eo peccauit, quoniam differentijs omnino non commutare ſolemus. Iam ſi quis definiendo aliquid eorum quæ cum aliquo conferuntur non conſtituerit differentiam quæ ad aliud aliquid referatur, errabit. Eorum enim quæ cum aliquo conferuntur, tales etiam debent eſſe differentiæ. Quod in arte perſpici poteſt, quæ animo cernere agere & moliri dicitur, quæ ad aliquid referuntur omnia. Nam & rem animo cernere, & aliquid agere, & aliquid moliri ac efficere dicitur. Illud etiam conſyderandum eſt, an ad id definitionem accommodarit is qui rem definit, ad quod natura apta ſunt omnia, quæ cum aliquo conferuntur. Sunt enim quædam, quibus ad id ſolum uti licet, ad quod natura aptum eſt unumquodq; eorum quæ cum aliquo conferuntur: ſunt quibus etiam ad aliud licet. ueluti aſpectu ad cernendum tantummodo uti licet. at labro etiam quis hauriat, tamen ſi quis definiat labrum inſtrumentum eſſe ad hauriandum, peccabit, quoniam ad id non eſt natum & comparatum. Definitio autem illius, ad quod natum & inſtitutum eſt, hæc eſt, id ad quod prudens quia prudens ſit utitur, & propria cuiuſq; rei ars & ſcientia. Peccabit etiam definiēdo, qui rei cui primum cōuenit, non accommodat definitionem, quoties in pluribus intelligetur. ut ſi quis (exempli cauſa) prudentiam definiat, hominis aut animi uirtutem, non eius partis animi quæ rationis eſt particeps. Eſt enim prima ſedes prudentiæ in parte animi quæ ratione utitur: quandoquidem ex ea & animus & homo prudens eſſe dicitur. Præterea ſi non habeat uim ad recipiendum id ad quod expoſita eſt perturbatio, quæ definitur, uel affectio, uel quiduis





aliud, uitioſe definiuit. Omnis enim affectio, omniſq; perturbatio in eo ſita eſſe ſolet, cuius affectio & perturbatio: quēadmodum ars in animo, cuius eſt affectio, ſita eſt. Interdum autem in his ipſis peccatur, uelut ab ijs qui aiunt ſomnum eſſe ſenſus imbecillitatem: & dubitationem, æqualitatem rationum contrariarum: & dolorem diſcordiam partium coniunctarum natura, uehementiore motu excitatam. Neque enim ſomnus ineſt in ſenſu, quod neceſſe eſſet, ſi eſſet ſenſus imbecillitas. Itémq; ne dubitatio quidem in contrarijs rationibus ineſt, nec dolor in coniunctis natura partibus. dolebunt enim res inanimæ, ſi quidem dolor eis aderit. Atq; etiam illa ex eo genere ualetudinis definitio eſt, apta compoſitio caloris & frigoris. Sic enim neceſſe erit ualere res calentes & frigidas. Nam cum cuiuſq; rei apta compoſitio in illis ſit, quorū eſt apta compoſitio, certè in eis etiam ualetudo inſit neceſſe eſt. Præterea ita fiet, ut ij qui ſic definiunt, id quod fit, in eo numerent neceſſario, quod uim habet ad efficiendum, aut cōtrá. Neq; enim dolor, diſſenſio partium natura coniunctarū, ſed quod ad eam efficiendam uim habet: nec imbecillitas ſenſus, ſomnus, ſed alterum alterius efficiens eſt. quippe cum aut propter imbecillitatem ſenſus ſomno opprimamur, aut propter ſomnum ſenſuum munere non fungamur. Itémque dubitationem afferre ſolet cōtrariarum rationum æqualitas. Cum enim in utranque partem de aliqua re cogitamus, & paria ſunt momenta rationum, tum denique quid nobis agēdum ſit, dubitamus. Iam omnium temporum habenda ratio eſt, ſicubi diſcrepent: ut ſi quis immortale animal quod nunc non interit definiat. Sic enim fiet, ut animal quod nunc interitus expers eſt, hoc tempore ſit immortale. Niſi forte in hoc id non eſt uerum, eſt enim ambiguum, nūc interitus eſſe expers aliquid. Aut enim non interiſſe nunc ſignificat, aut nō poſſe interire hoc tempore: aut eſſe hoc tēpore eiuſmodi, ut nunquam

intereat. Cùm igitur dicimus hoc tempore interitus expers eſſe animal,non hoc dicimus tale eſſe nunc animal ut nunquã occidat:hoc enim idẽ eſſet quod immortale.Ita minime efficitur ut id nũc ſit immortale.Attamẽ ſicubi id accidat, ut quod oratione explicetur,hoc tẽpore inſit,aut ſuperiore, id autem quod nomine declaratur non inſit,nunquam idem erit. Vſus ergo huius loci talis eſt.Atque etiam illud uidendum eſt,id ne quod definitum ſit,alia oratione, ac ea quæ allata eſt, aptius explicetur.ut ſi iuſtitia definatur, ius ſuum cuique tribuẽs. iuſtus eſt enim potius qui ſuum cuique uult tribuere. quàm qui id poteſt.Ex quo fit ut non ſit iuſtitia,ius ſuum cuique tribuens,præſertim cum is demum iuſtus ſit,qui ſuum cuiq; pro dignitate tribuere uelit.Illud etiam uitioſum eſt definiendi genus,cùm res acceſſionem recipit,id autem quod oratione explicatur non recipit:aut contrà,cùm id quod oratione explicatur recipit, res autem non recipit acceſſionem. Aut enim utrunque aut neutrum capere debet:ſi quidem idem eſt quod oratione explicatur, & res ipſa.Vitioſum etiam illud genus eſt, cùm utrunque acceſſionem illud quidem recipit, ſed non ſimul.ut ſi amor,cupiditas concumbendi definiatur. Cũ enim is qui uehementius amat,non magis concubitum appetat, fit ut non recipiat ſimul utrunque acceſſionem. quod quidẽ deberent, ſi quidem idẽ ualerent.Quod idem fiet, ſi propoſitis duobus,de quo magis res dicetur,de eo minus dicetur oratio. Vt ſi ignis definiatur corpus tenuiſſimum.Nam & ignis luce magis flamma eſt, & corpus tenuiſſimum flamma eſt minus luce.Atqui utrunque eidem magis conuenire deberet,ſiquidem idem ualent. Vitioſum etiam eſt definiendi genus, ſi duobus propoſitis unum utrique æquè conuenit, alterum non æquè,ſed alteri magis.Item cùm duo complectitur definitio, quorum utrunque compleatur. ut ſi pulchrum definiatur id eſſe, quod uel oculos uel aures demulceat: & id quod eſt,

quod



quod pati uel facere quid poteſt. Sic enim ſimul idem & pulchrum erit & non pulchrum,itémque idem erit & non erit. quandoquidem quod aures mouet ac demulcet, idẽ erit quod pulchrum. Ita quod non demulcet aures, idem ualet quod id quod minime pulchrum eſt. Rebus enim eiſdem, eadem data ſunt contraria. Contrarium autem eſt pulchro id quod pulchrum non eſt,eique quod ſenſum aurium ſuauitate quadam mouet,id quod non mouet ſenſum aurium.Perſpicuum eſt igitur, idem ualere id quod non mouet aures ſuauitate quadam, & id quod non eſt pulchrum. Si quid igitur eſt quod ſenſum oculorum moueat non aures, id & pulchrum & non pulchrum futurum eſt. Eodémque modo idem eſſe & non eſſe doceremus. Iam uerò ſi orationes pro nominibus ſumamus, & generum, & differentiarum,& eorum omnium quæ definitio complectatur, an aliquid eorum diſcrepet uidendum eſt.

## CAP. IIII.

QVòd ſi res quæ definitur in ijs ſit quæ cum aliquo conferuntur,uel per ſe uel generis ſocietate,conſiderandum erit,an in definitione expreſſum nõ ſit id cũ quo uel ipſa per ſe uel generis cõmunione conferatur. ut ſi quis ſcientiam, opinionem immutabilem definiat:uel uoluntatem, cupiditatẽ ab ægritudine uacuam. Eorũ enim omnium quæ cum aliquo conferuntur natura ad alterũ refertur:quandoquidẽ uniuſcuiuſque eorũ quæ ex illo ſunt genere,natura idem ualet, quod ad aliquid quodãmodo affectũ eſſe.Debuit ergo ſcientia definiri,opinio de eo quod ſcientia continetur:& uoluntas, boni cupiditas.Quod item fiet, ſi grammatica literarum ſcientia definiatur.Exprimendum enim fuit definitione cum quo ipſa genúſue conferretur.Aut illud uidendum eſt, an alicuius eorum quæ cum aliquo conferuntur, non ad finem directa ſit definitio: finis autem unicuique propoſitum eſt quod opti-

mum eſt, aut quò cætera omnia referuntur. Ita aut quod optimum eſt, aut finis & extremum exprimi debet. Vt cupiditatem non rei quæ uoluptatem affert, ſed ipſius uoluptatis: quippe cum eius gratia etiam id quod eam efficit expetamus. Videndum etiam eſt, id ne ad quod retulerit, in ortu uel actione conſiſtat. Nihil enim eorum finis eſt. Egiſſe enim & ortum eſſe, finis potius nomen, quàm uel oriri, uel agere obtinet. Quanquã non in omnibus rebus ita eſt. ferè enim omnes uoluptatem capere ex quaq; re malunt, quàm deſiſſe capere. ita agere potius finem conſtituunt, quàm egiſſe. Iam in quibuſdam ſi quanta qualiáq; ſint, & ubi fiant, itémq; cæteræ diſsimilitudines minimè explicentur, uitioſa erit definitio. Vt ſi non aperiatur, qualis & quantæ gloriæ cupidus ſit ambitioſus. Nam quoniam omnes gloria ducuntur, non ſatis eſt cupidum gloriæ dicere eum qui gloriæ ſit appetens: addendæq; ſunt differentiæ quas enumerauimus. Itémq; ſi auarus definiatur, quanto ſtudio pecuniæ teneatur exponendum eſt: aut ſi impotẽs, quarum uoluptatum ſit, in quibúſq; uerſetur. Neque enim ſi quis qualicunq; & quauis uoluptate uincatur, is cõtinuò impotens habendus eſt: ſed is demum qui certa quadã ſuperetur. Eiuſdem generis ſunt definitiones, & qua noctem definiunt umbram terræ, & qua terræmotũ motum terræ, & qua nubem aeris craſsitudinem, & qua uentum aeris motionem. Addendũ enim quantum, & quale id ſit, & ubi fiat, & unde. Quod eodem modo de alijs eiuſdem generis iudicandum eſt. Qui enim quamuis differentiam prætermittit, is naturam rei non explicat. In id autem quod prætermiſſum eſt, omnis ſemper dirigi debet argumentatio. Non enim ſi quo modocunq; quantũlibet terra mota ſit, continuò terræmotus eſt: nec ſi aer quoquo modo aut quiuis pellatur, uentus eſt. Eodem modo peccatur in appetitionibus definiendis, cũ quod uidetur non adijcitur, in cæteríſq; omnibus, in quibus illud

adijc



adijciendum eſt, ut ſi uoluntas definiatur, appetitio boni, & cupiditas appetitio rei quæ uoluptatẽ efficit, nec addatur, eius quod bonũ uideatur, aut eius rei quæ uoluptatẽ efficere uideatur. Sæpe enim ignorant ij qui cupiditate tenentur, bonum eſſe aut iucundũ eſſe id quod cupiunt. Ita non eſt neceſſe id eſſe bonum aut iucundũ, ſed modo uideri: debuit ergo eo pacto explicatio fieri. Quòd ſi ita, ut dixi, rem tradat & aperiat, ad ſpecies impellẽdus erit is qui ponit ideas eſſe. Neq; enim idea eſt in ulla re quæ eſſe uideatur & appareat, & ſpecies ad ſpeciem referri uidetur. ut ipſa cupiditas ipſius iucũdi eſt, & ipſa uoluntas ipſius boni. Non igitur eius quod bonũ eſſe uideatur, ipſa uoluntas erit: neque rei quæ uoluptatẽ afferre uideatur, ipſa cupiditas: ita nõ eſt eius quod bonũ eſſe uideatur, nec eius quod uoluptatẽ afferre uideatur. Abſurdum eſt enim eſſe aliquid ipſum uiſum bonũ, aut iucundũ. Iam ſi habitus definitio explicetur, ex eo in quo eſt habitus ducetur argumentũ: & ſi eius in quo eſt habitus, ex habitu. Itémq; in cæteris talibus, ut ſi id iucundum dicatur quod prodeſt, etiã qui uoluptate afficitur, adiuuatur. In definitionibus autem eius generis fit, neſcio quo modo, ut is qui rem definiendo aperit plura uno definiat. Qui enim ſcientiam definit, quodãmodo etiam definit ignorationem: itémq; is qui quod doctum & indoctum eſt, ſcire & ignorare. Si enim primum planum fiat, quodammodo etiam cætera perſpicua fient omnia. Quapropter in his talibus, ſi quid diſcrepet, ex ijs locis quos in contrarijs & coniugatis expoſuimus, argumẽta ducemus. Atque in ijs etiam quæ cum aliquo conferuntur, uidendum eſt, an ad quod genus accommodatum eſt, etiã ad illud aliquid relata ſit forma. Vt ſi opinio cum eo quod opinabile eſt confertur, etiam opinio quædam cum quodam opinabili conferetur. Et ſi res multiplex ad ſubmultiplicem refertur, etiam quædam multiplex ad quandam & certam ſubmultiplicẽ refertur. Si enim non ita expli-

cata res eſt, profectò uitioſa erit definitio. Et illud uidendum, an contrarij explicata expoſitaq; ſit definitio cõtraria. ut ſit ne ſimpli definitio cõtraria dupli definitioni. Si enim duplum eſt quod pari uincit, etiam ſimplũ erit quod pari re uincitur. Eadem eſt ratio eorum contrariorum, quæ aduerſa dicuntur. Contrarij enim contraria erit definitio, una quadam contrariorũ coniunctione, hoc modo: Si id prodeſt quod bono afficit, etiam id obeſt quod malis afficit, aut quod bonis priuat. Alterum enim eorũ contrariũ ſit eius quod priore libro dictum eſt, neceſſe eſt: quòd ſi neutrũ contrariũ ſit eius, quod initio expoſitum eſt, certè neutra eorũ quæ poſterius expoſita ſunt, eſſe contrarij definitio ullo modo poteſt: ita ne ea quidẽ quæ initio data eſt, uerè & rectè fuit explicata & cõſtituta. Quoniámque contraria ſunt quædam, quæ alterius priuatione dicũtur, ut inæqualitas æqualitatis priuatio uidetur eſſe. inæqualia enim ſunt, quæ nõ ſunt æqua & paria: profectò id ſemper quod priuatione dicitur altero contrario definitur neceſſariò, alterum non etiam neceſſe eſt, illo quod ex priuatione nominatur, definiri. Sic enim fieret, ut utrunq; ex altero cognoſceretur. Quare hoc uitiũ in contrarijs animaduertere debemus, ut ſi quis æqualitatẽ definiat, id quod inæqualitati contrarium eſt: definiẽdo enim aperit rem, eo quod ex priuatione appellatur. Iam uerò neceſſe eſt eum qui ita definiat, ea re uti quæ definiatur. Quod ita intelligetur, ſi cũ nomine cõmutetur oratio. Quando enim nihil intereſt, inæqualitatẽ dicamus, an æqualitatis priuationem, certè erit æqualitas contrariũ æqualitatis priuationi: ita eadem re uſus eſt. Quòd ſi neutrum contrariorum priuatione dicatur, eodemq; modo explicetur definitio, ut bonum eſt quod malo eſt contrarium: certè bono malum erit contrarium. Eorum enim quæ ita cõtraria ſunt, ſimiliter explicãda definitio eſt. Sic rurſus fiet, ut eam ipſam rem quæ definiatur, adhibeat in definitione, præſertim cũ inſit bonum in ma-



li definitione. ita ſi bonum malo contrarium eſt, malum autem nihil refert dicas, an quod bono eſt contrarium, efficietur, ut bonũ contrarium ſit eius quod bono cõtrarium eſt. Ex quo perſpicuum eſt, eodem uſum eſſe eum qui ita definiat. Vitioſa etiam definitio eſt, cum ita aliquid eorum quæ priuantia ſunt, aperitur: ut cuius ſit priuatio, ueluti habitúſne, an cõtrarij, an cuiuſuis, minime explicetur. Quod idem fiet, ſi cuius aut in quo ſolet eſſe priuatio, non addatur omnino. aut in quo primo ſoleat habitare: ut ſi quis ignorationem priuationem eſſe dicat, nec addat priuationẽ eſſe ſciẽtiæ, aut non adiungat in quo uerſari ſoleat: aut ſi adiungat, non dicat in quo primo id habitare ſoleat: ut ſi quis non in ea parte animi quæ rationis eſt particeps, ſed in homine uel in animo aliquid ſitum eſſe definiendo explicet. Si enim quiduis horum prætermiſerit, aberrabit. Eodémque modo, ſi quis cæcitatem non aſpectus priuationẽ in oculis dixerit. Qui enim uim & naturam rei alicuius accommodatè apteq; explicare uult definiendo, is debet & cuius rei ſit priuatio, & quæ res priuetur, exponere. Illud etiam conſiderandum eſt, an priuatione explicetur quod non numeratur in priuantibus. Qui quidem error in ignoratione uerſari uidetur ijs, qui ignorationem negatione non definiunt. Quod enim artis & ſcientiæ expers eſt, id ignorare minime uidetur: ſed id demum, quod errat & fallitur. Itaque nec res inanimas, nec pueros ignorare dicimus. Ita non priuatione ſcientiæ ignorãtia dicitur. Iam illud uidendum eſt, an ſimilibus nominis caſibus ſimiles definitionis caſus reſpondeant. ut ſi id prodeſt, quod efficiens eſt ualetudinis, utiliter, accõmodatè ad ualetudinem efficiẽdam, etiam quod profuit, id ualetudinem effecit. Spectãdum eſt etiam ex idea, ſitne uera & propria quæ data eſt definitio. quandoquidẽ in quibuſdam id non reperire cernitur. Quemadmodum Plato definit, mortale, adiungens animantium definitionibus.

Si e

Si enim idea eſt, certè nō eſt mortalis, ueluti ipſe homo. ita ideæ minime conueniet definitio. Omnino neceſſe eſt ſi addatur id quod efficiens eſt, aut patibile, in idea diſcrepare definitionem. Impatibiles enim & immutabiles uidentur ideæ ijs qui ideas defendunt. Quales definitiones contra eos ualent.

CAP. V.

Vitioſum etiam genus definiēdi eſt, ſi omnium eorum quæ ambigue dicantur, cōmunis una definitio ſtatuatur. Cum enim ſynonyma ſint ea, quorum una eſt nomini congruēs definitio, nullius certè eorū quæ nomen cōplectitur, propria definitio eſt, quandoquidē æquè omnibus homonymum conuenit. Quod etiam uitiū in uitæ definitione reperitur, quā Dionyſius tradidit, Motus generis quod alitur coniunctus comeſq; naturæ. Neque enim id in animātibus magis ineſt, quàm in ijs quæ è terra gignuntur: cum interim uitæ non unum genus ſit, aliudq; uitæ genus aliud ijs quæ è terra gignuntur, tributum eſſe uideatur. Atque fieri poteſt, ut arbitratu noſtro ſic definitionem uitæ explicemus, quaſi ſit ſynonymū uerbū, unumque ſit genus uitæ: ſic nihil etiam prohibet eum qui homonymiam & ambiguum perſpiciat, uelitq; alterius definitionem tradere, ita diſſimulanter facere, ut non propriā, ſed communem utrique ſtatuat definitionē. Sed tamen utrouis genere definiendi utatur, certè aberrabit. Quoniā autē quædā homonyma obſcura ſunt, is quidem qui interrogat, eis pro ſynonymis uti debebit: non enim alteri unius conueniet definitio. Ita alter quodammodo definiſſe nō uidebitur, quoniam in omnia conuenire debet ſynonymum: is autem qui reſpondet, ambiguum debet diſtinguere. Quoniamq; nōnulli eorum qui rem aliquam defendūt in diſputationibus, ſynonymum ambiguum eſſe dicunt, quoties non conuenit in omnia quæ ſtatuta eſt definitio, & ambiguum in ſynonymis ducunt, ſi utriſque conueniat, ante conuenire debet quæ illa ſint: aut antè ratiocinandū eſt



eſt & concludendum ambiguum eſſe, aut ſynonymum, aut utrumlibet. Facilius enim concedunt ij qui quid ſequatur non prouident. Quòd ſi non cōuenerit inter eos qui diſſerunt, & aliquis ſynonymum ambiguum eſſe dicat, propterea quòd ea definitio, quæ data eſt in hoc uel illo minimè intelligatur: tum uidendum eſt, an huius uel illius in cætera conueniat definitio. Perſpicuum eſt enim id reliqua omnia communi quadam nominis ſocietate complecti. Sin minus, plures certe erunt reliquorum definitiones. duæ enim nominis definitiones ad ea accommodabuntur, & prior quæ data eſt, & poſterior. Rurſus ſi quis quid eorum quæ multis modis dicūtur definiat, neque in ea omnia quæ uerbum ambiguum complectitur, definitio conueniat, quòd ambiguum non dicat, & nomē nec omnibus conuenire, quoniam ne definitio quidem in omnibus reperiatur, contra eum afferre debemus, appellatione utendū eſſe ea quæ & tradita ſit, & conſequatur, nec illam æquum eſſe infirmare: quædam autem eſſe, in quibus à uulgi cōſuetudine diſcedēdum eſſe uideatur. Si autem alicuius eorum uerborum quæ coniuncta ſunt, definitio ſtatuatur, detracta alterius eorum quæ copulata ſunt oratione, an reliqua ei quod reliquum eſt conueniat uidendum eſt. Si enim ſecus, profectò ne tota quidem toti cōueniet. ut ſi quis hoc totum lineam finitam rectam definiat, extremitatem plani habētis extremitates. cuius medium extremitatibus adiungitur: ſi finitæ lineæ hæc definitio eſt, extremitas plani quod habet extremitates, hæc reliqua debet eſſe recti definitio, Cuius mediū extremitatibus addatur. Atqui linea infinita nec medium habet nec extremitates, cum interim recta ſit. Ita nō eſt eius quod reliquum eſt, reliqua definitio. Vitioſum etiam definiendi genus eſt, cum id quod definitur copulatum eſt, eiq; attribuitur definitio eiuſmodi quæ æqualibus & paribus quaſi membris reſpondeat. Definitio autem paribus membris refertur, cùm quot ſunt coniuncta,

totid

totidem etiam ſunt & nomina & uerba in definitione. In his enim talibus ipſorum nominum aut omnium aut aliquorum mutatio faciẽda eſt neceſſario, quandoquidem non plura ſunt hoc tempore quàm ſuperiore nomina. debétque is qui definit, pro nominibus omnibus maxime, ſin minus pluribus, explicare definitionem. Sic enim ſimplicia uerba nũquam definiat is qui uerba commutat. ut ſi pro ueſte tunicam. Vehementius etiam in definiendo errabit, ſi uerba magis dubia aſſumat. ut ſi pro homine albo, terrigenam & mortalem candidum. Neque enim definiuit: cum minus apertum & perſpicuum ſit, quod ita dictum eſt. Atque etiam in commutandis uerbis illud uidendum eſt, an definiendo non idem eſſe declararit. ut ſi quis artem quæ rem animo cernit definiat, opinionem quæ rem animo cernit & contemplatur. Opinio enim non eſt idem quod ars & ſcientia: quod quidem deberet, ſi modo totum idem ſit futurum. Nam quod animo rem cernit & contemplatur, in utraque oratione eſt: quod reliquum eſt, ab his abhorret. Iam ſi quis alterum uerbum commutet, neque differentiam, ſed genus commutet, uitioſa erit definitio. Quod in exemplo quod modo protuli cernere licet. hoc enim totum, quod rem non cernit & contemplatur, uerbo artis obſcurius eſt, quoniam hoc genus eſt, illud differentia. & genus, quoniam latiſsimè patet, omnium eſt clariſsimum & planiſsimum. Ergo non genus mutandum fuit, ſed differentia: quandoquidem obſcurior eſt. Niſi forte ridicula hæc reprehenſio eſt: præſertim cum nihil prohibeat differentiam notiſsimo uerbo ſignificari, genus non item. Quæ cum ita erunt, certe generis, non differentiæ nomen mutandum erit. Quòd ſi quis non nomen pro nomine, ſed orationem pro nomine mutet, profectò magis differentiæ quàm generis explicanda definitio eſt: quandoquidem rei illuſtrandæ & cognoſcendæ gratia definitio traditur: & minus nota differentia

quàm



quàm genus eſt. Si uero differentiæ definitionem explanarit, an ad aliquid aliud definitio transferatur, uidendum eſt. ut ſi numerũ imparem dicat, numerũ qui medium aliquid habet, exponendum eſt, quemadmodũ mediũ habeat. Nam & numerus in utraque oratione eſt, & imparis uerbum in definitione mutatum. Atqui mediũ aliquid & linea & corpus habẽt, cum non ſint imparia. Non igitur propria eſt illa imparis definitio. Quòd ſi multis modis dicatur id quod mediũ aliquid habet, diſtinguendum eſt quemadmodum medium complectatur. ita aut refelletur reprehendetúrque definitio, aut uitioſa eſſe concludetur. Præterea uitioſa etiam erit, ſi id cuius definitio ſtatuitur, in ijs quæ ſunt numeretur: quod autem definitioni ſubijcitur, non numeretur. ut ſi quis exempli gratia rem albam eſſe dicat, colorem cum igne permixtum. Neque enim quod expers eſt corporis, permiſceri poteſt cum corpore. Ita color permixtus & confuſus cum corpore nullus eſt, & aliquod album eſt. Iam ij omnes qui non diſtinguunt in ijs quæ cum aliquo conferuntur, id cum quo conferuntur, pluráque complectuntur, dicendo, aut omnino, aut quadam ex parte, uitioſe definiunt. ut ſi quis exempli cauſa, medicinam dicat artem eſſe eius quod eſt. Nam ſi nullius eorum quæ ſunt medicina ars eſt, certe uitioſa falſáque eſt omnino definitio. Sin alicuius eſt, alicuius non eſt ars, quadam ex parte falſa eſt. debet enim eſſe omnium, ſiquidem per ſe non temere & caſu eorum quæ ſunt eſſe dicitur: id quod in cæteris quæ cum aliquo conferuntur, perſpici licet. Quicquid enim ſcientia & arte continetur, cum ſcientia & arte confertur. Eadem eſt cæterorum ratio: quandoquidem quæ cum aliquo conferuntur, reciprocantur omnia. Omne enim quod arte continetur, in ijs eſt quæ cum aliquo conferuntur. Præterea ſi is qui non per ſe, uerùm fortuitò & caſu rem explicat, recte explicet & aperiat definiendo: non cum uno, ſed cum

plurib

pluribus unumquodque eorum quæ cum aliquo conferuntur, comparabit. Nihil enim prohibet eandem rem, & eſſe, & albam & bonam eſſe. Itaque ut cum quouis eorũ collatum quid definiat, recte definierit, ſi modo is qui re aduentitia temere rem aliquam explanat, recte explanat. Poſtremo hæc talis definitio propria rei quæ explicata eſt & data, eſſe non poteſt. Neque enim medicina ſola, ſed pleræq; etiam aliæ artes in rebus quæ ſunt uerſantur. Ita unaquæque ars in eo quod eſt uerſabitur. ex quo perſpicuum eſt, hãc ipſam nullius artis eſſe definitionem: præſertim cùm propria, non communis definitio eſſe debeat. Sed interdum non rem nudam, uerum rem quæ in laude uerſatur, benéque affecta & perfecta eſt definiunt. quo ex genere oratoris & furis definitio eſt. Si enim orator is eſt qui, quod in quaque re ad faciendam fidem ualet, perſpicere poteſt, neque quicquam eorum prætermittit: & fur, is qui clam accipit: certe uterque bonus erit, qui ſit eiuſmodi, & orator bonus, & fur bonus. Neque enim fur eſt qui clam ſumit, ſed qui uult clam ſumere. Rurſus uitioſa erit definitio, ſi id quod per ſe expetendum eſt, ut ad agendum faciendúmue impellens, aut quiduis propter aliud expetendum, explicetur. Vt ſi iuſtitia, legum cuſtos, uel ſapientia beatæ uitæ effectrix definiatur. Efficientia enim & conſeruantia in rebus ſunt, quæ propter aliud expetuntur. Et quanquam nihil prohibet, id quod propter ſe expetitur, etiam propter aliud expetendum: tamen in eo peccatur, ſi quis ita id quod propter ſe expetendum eſt, definiat. Nam cum in cuiuſque rei ui & natura explicanda optimum quicque adhibendum ſit: id autem quod propter ſe expetitur, ei quod propter aliud anteponatur, fit, ut illud ipſum potius ſignificare debeat definitio.

### CAP. VI.

ATque etiam illud conſyderandum eſt, iſne qui aliquid definit, hoc & illud eſſe, an ex hoc & illo eſſe, an hoc cum illo



illo eſſe definiat. Nam ſi hoc & illud eſſe definiat, fiet ut & utrique conueniat, & neutri. Vt ſi quis, exempli gratia, iuſtitiam definiat temperantiam eſſe & fortitudinem. Nam ſi duo ſint, quorum uterque altero ſit præditus, uterque & neuter iuſtus erit, quandoquidem ambo iuſtitiam habent, & uterq; non habet. Quòd ſi hoc non uidetur admodum abſurdum eſſe, propterea quòd in alijs quibuſdam hoc contingit, (nihil enim prohibet duos habere minam, & neutrum habere.) at illud certe perabſurdum uidebitur, eiſdem contraria conuenire. Quod fiet ſi eorum unus temperantia & ignauia ſit præditus, in altero fortitudo & intemperantia inſit. Vterq; enim iuſtitiam & iniuſtitiam habebit. Si enim iuſtitia eſt fortitudo & temperantia, iniuſtitia etiam ignauia erit & intemperantia. Omninóque omnia argumenta quæ ſumi poſſunt ad demonſtrandum totum non eſſe idem quod partes, ad efficiendum id quod dictum eſt, ualebunt. quippe cum is qui eiuſmodi definitionem ſtatuit & inducit, idem eſſe partes & totum confirmare uideatur. Aptiſſima autem omnium in hoc genere argumenta ducentur ab ijs, in quibus aperta & perſpicua partium compoſitio eſt, cuius generis eſt domus, & ſi qua ſunt ſimilia. Perſpicuum eſt enim, ſi partes ſint, nihil prohibere non eſſe totum. Ita non ſunt idem totum & partes. Si uerò res quæ definiatur non eſſe hoc & illud, ſed ex hoc & illo conſtare dicatur: primùm uidendum erit, an unum aliquid ex his ipſis minimè natura conſtare queat. Quædam enim ueluti linea & numerus ita affecta ſunt inter ſe, ut nihil ex eis effici poſſit. Deinde ídne quod definitione apertum eſt, in una re aliqua prima ſitum eſſe ſoleat, ea autẽ ex quibus ipſum conſtare ille dixerit, non in una re prima ineſſe ſoleat: uerum utrunque in altero. Perſpicuum eſt enim ex ijs, nunquam illud ex his conſtare poſſe, præſertim cum in quo partes, etiam totum neceſſe ſit exiſtere. ita non in una re prima totum, ſed

*in pluribus inerit. Quòd ſi & partes & totum in una re prima inſint, illud conſyderandum eſt, an non in eadem re, ſed in alia partes, in alia totum. Tum ſublato toto, an unà etiam partes tollantur & intereant, uidendum eſt. Contrà enim effici debet, ut interemptis partibus: totum intereat, interempto uerò toto, non neceſſe eſt partes interire. Aut illud, an totum bonum uel malum eſt, & partes neutrum, uel contrà, partes in bonis aut in malis ſint, & totum in neutro. Neq; enim ex re ulla quæ nec bona nec mala eſt aliquid quod bonum ſit, aut malum effici poteſt: neq; ex ijs quæ ipſa mala ſunt, uel bona, fieri aliquid poteſt, quod ſit in malis, uel bonis. Aut, maiúſne altera pars bonum ſit, quàm altera malũ. quod autem ex eis conſtare dixerit, non ſit maius bonũ, quàm malum. Vt ſi exempli gratia, impudentia ex fortitudine & falſa opinione conſtare dicatur, quorum fortitudo maius bonum eſt, quàm malum falſa opinio. Debuit igitur etiam id quod ex illis eſt, ex maiore eſſe conſequens, & eſſe aut bonum omnino, aut maius bonum quàm malum. Quod non neceſſe eſt niſi utrunque per ſe in bonis maliſue ducatur, quippe cum multa efficientia per ſe non ſint illa quidem bona, coniuncta autem & commixta cum qubuſdam, in bonis numerentur. Alia ſunt contrà, quorum utrunque bonum eſt, quæ ſi coniungantur, uel mala erunt, uel indifferentia. Quod autem poſterius dictum eſt, facillimè in rebus ſalubribus uel peſtilentibus perſpici poteſt. Quædam enim medicinæ eam uim habent, ut & utraq; per ſe proſit: & ſi cõiunctæ mixtæq; adhibeãtur, ſint obfuturæ. Iã illud quoq; uidendũ eſt, an ex meliore & deteriore parte aliquid cõſtare dicatur, quorũ meliore totũ nõ ſit deterius, & deteriore præſtantius. Quanquã autem hoc non neceſſariũ eſt, niſi per ſe ſint ea ex quibus illud concretũ eſt, in bonis tamen nihil prohibet totum in bonis non numerari: quod in ijs quæ modò commemoraui, perſpici licet. Illud etiam, eodémne*

*démne*



*nomine totum, & pars altera appellentur. Non enim debent, ſicuti nec ſyllabæ quidem. quoniam nec ſyllaba, nec quicquam eorum elementorum ex quibus conſtat, eodem appellantur nomine. Vitioſum etiam eſt rationem concretionis non exponere. Non enim ſatis eſt ad aperiendum declarandúmque aliquid, id ex his uel illis conſtare dicere. præſertim quum eorum omnium quæ concreta ſunt, uis & natura non ſit, ex his uel illis cõſtare, ſed hoc uel illo modo ex his uel illis effici. Id quod animaduerti licet in domo. Neque enim ſi quæ res quouis modo diſponatur, continuò domus erit. Quòd ſi quid eſſe hoc cum illo definiat, primùm admonendus eſt hoc cum illo aliquid eſſe, idem quod hoc & illud, aut quod eſſe ex hoc & illo ualere. Qui enim dicit aliquid, mel cum aqua eſſe, is uel mel & aquam dicit eſſe, uel ex melle & aqua conſtare. Ita ſi utrumuis horum idem eſſe concedat quod eſſe hoc cum illo aliquid, eadem omnino ſumenda erunt argumenta, quæ ad utrunque refellendum ſuprà expoſuimus. Deinde diuiſione adhibita, quot modis aliquid cum alio dicatur eſſe, nullóne modo hoc cum illo ſit, uidendum erit. ut ſi dicatur aliquid eſſe cum alio, uel ut in aliquo eodem, quod ea capiat: ueluti iuſtitia & fortitudo in animo inſunt: uel in eodem loco, uel in eodem tempore, & nullo modo id quod quæritur de his uerè dicatur, profectò nullius erit propria, & uera ea quæ ſtatuta eſt definitio: quandoquidem nullo modo hoc cum illo eſt. Sin diuiſione adhibita, quot modis aliquid cum altero eſſe dicatur, uerè ſit in eodem tempore utrunque, uidendum eſt, an utrunque minus ad eundem finem pertinere poßit. ut ſi quis fortitudinem definiat audaciam cum recta ratione. fieri enim poteſt, ut audacia prouectus ſit aliquis ſpoliandi, cum recta ratione ac intelligentia de rebus ſalubribus, ſit præditus. Atqui non habebitur fortis is, qui eodem tempore hac re cum illa ualebit. Iam uerò illud etiam, an ad idem utrunque refera-*

tur,ut ad res medicas. nihil enim prohibet aliquam audaciam & rectam intelligentiam ad medicinam afferre: cũ interim fortis non erit is, qui hoc cum illo coniunxerit. Neque enim ad illud & aliud utrunque eorum referri debet, neque ad quamuis eandem rem, ſed ad finem fortitudinis, qualia ſunt martis & belli pericula. aut ſi quis alius magis ei propoſitus eſt finis. Sunt autem quædam, quæ non in eam, quam expoſui, cadant diuiſionem. ut ſi ira, ægritudo eſt cum contemptus opinione. hoc enim declarat, ex opinione eiuſmodi naſci ægritudinem. hoc autem ex illo naſci, non idem eſt quod hoc cum illo eſſe, ullo genere eorum quæ expoſita ſunt à nobis. Rurſus ſi quis definiendo aliquarum rerum concretionem, totum eſſe dixerit, ut corporis & animi concretionem eſſe animal, illud uidendum eſt, an qualis ſit cõcretio explicarit. ut ſi quis definiendo carnem uel os dixerit eſſe ignis, terræ, aëriſque concretionem. Neque enim ſatis eſt concretionem dicere, ſed qualis ea ſit exponendum eſt: quandoquidem non ſi quouis modo hæc ipſa coaleſcant, continuò caro naſcitur: ſed ſi hoc modo coaleſcent, caro: ſin illo modo, os gignitur. Quanquam neutrum eorum idem uidetur eſſe quod concretio, præſertim cum omni concretioni diremptio & diſſolutio contraria ſit, neque ſit ulli eorum quæ expoſuimus. Iam ſi æquè probabile eſt quod concretum eſt concretionem eſſe aut nihil: nullum autem animal, quorum unũquodque concretum eſt, concretio eſt, ne ullum quidem eorum quæ concreta ſunt, concretio erit. Præterea ſi pari ratione alicui conuenire natura ſua ſolent contraria, & altero rem definiendo aperuerit aliquis, certè non uera erit definitio. Sin ſecus, profectò plures eiuſdem rei definitiones erunt. Quî enim hoc potius quàm altero rem definierit, quandoquidem æquè in eodem utrunque reperiri ſolet? Ex quo genere eſt illa animi definitio, natura capax ſcientiæ. Pari enim ratione ignorationis eſt cap



eſt capax. Quòd ſi cui ad totam definitionem euertendam nullum ſuppetat argumentum, propterea quòd totum obſcurum eſt & abſtruſum, is ad partem aliquam, quæ nota erit, & non rectè explicata uideatur, omnem argumentationem dirigere debebit. Euerſa enim parte, tota etiam euertetur definitio. Quæq; obſcuræ ſunt definitiones, eas ita ut expoſui, omnes exquirere ac conſyderare debemus, corrigendo & reſtituendo, ut & aliquid lucis, & argumentorum copiam afferamus. Neceſſe eſt enim eũ qui audire uult, aut quod ab eo qui interrogat aſſumitur approbare, aut certè ipſum quod tandem definitione aperiatur, exponere. Iam uerò quemadmodum in concionibus legem ſoliti ſunt ferre, quæ ſi melior ſit, ſuperiorem abrogant: ſic in definitionibus faciendum eſt, aliáque inducenda eſt definitio. Si enim uerior uideatur, magíſque id quod definitur declarare, certè euerſa erit prior: quandoquidem non ſunt eiuſdem rei plures definitiones. Ad omnes autem definitiones non minima in eo uis eſt, ſi id de quo agitur ipſe tecum conſyderatè definias, aut definitionem, quæ rectè tradita & explicata ſit, aſſumas. Nam ut maior quædam nobis argumentorum copia ſuppetat, neceſſe eſt quaſi exemplar, & quid in definitionibus prætermiſſum ſit, & quid redundet intueri. Ac de definitionum quidem locis hactenus.

***

# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER SEPTIMVS.

## CAP. I.

NVNC utrum id de quo agitur idem ſit, an alterum eo genere quod de eodẽ maximè proprium expoſui, dicendum eſt. Idẽ autem maximè propriè dixi, quod unum eſt numero. Ac primus locus ſumitur ex caſibus, coniugatis, & cõtrarijs. Si enim iuſtitia & fortitudo idem ſunt, iuſtus & fortis idem erũt, & iuſtè idem quod fortiter. Eadem eſt contrariorum ratio. Nam ſi qua eadem ſunt, eorum etiam contraria eadẽ erunt in quauis repugnãtia earum quas expoſui. Nihil enim intereſt huic an illi contrariũ ſumatur, quandoquidẽ eadem ſunt. Alter locus ex ijs ducitur quæ uim habẽt efficiendi quid uel interimẽdi: itémq; ex ortu & interitu, & uno nomine ex ijs quæ ad utrunque eodem modo affecta ſunt. Quæ enim omnino eadem ſunt, eorum etiam origines, & interitus ijdem ſunt: & ea quæ uim habent efficiendi, & ea quæ interimendi. Atque etiam illud uidendum eſt, an quorum alterum maximè quidquis dicitur, eorum etiam alterum eodem modo dicatur maximè. Quemadmodum Zenocrates beatam uitam & rectam eandem eſſe docet: quandoquidem recta & integra uita, & beata maximè una ex omnibus expetenda eſt: unũ enim eſſe quod maximè expetatur: & quod maximũ ſit. Quod idẽ in

cæte



cæteris eiuſdẽ generis contingit. Sed illud intelligendum eſt, utrũq; eorũ quæ maximè expetenda eſſe, aut etiã maxima dicentur, unum numero eſſe oportere. Sin ſecus, eſſe idẽ non docebimus. Non enim, ſi Græcorũ fortiſſimi ſint Peloponeſij & Lacedæmonij, cõtinuò Pelopõneſios & Lacedæmonios eoſdẽ eſſe neceſſe eſt. quandoquidẽ non unus numero eſt Pelopõneſius & Lacedæmonius. Sed unũ alterum cõplectatur neceſſe eſt, quemadmodũ Lacedæmonios Peloponneſij. Aliter enim fiet ut ſi alteri alteros non cõplectantur, ipſi inter ſe meliores ſint. Nã neceſſe eſt Lacedæmonijs meliores eſſe Peloponneſios, ſi alteri alteros non cõplectantur, ſunt enim cæteris omnibus præſtantiores. Itemq; Peloponneſijs anteponũtur Lacedæmonij, quoniam ipſi cæteros uincunt. Ita fiet, ut alteri alteris præſtantiores ſint. Perſpicuum eſt igitur, unum numero eſſe oportere id quod optimum & maximum dicitur, ſi futurum eſt, ut idem eſſe doceatur. Itaque Zenocrates non demonſtrauit, quãdoquidem non eodem numero eſt beata & recta uita. Nõ igitur neceſſe eſt eandẽ eſſe uitam, quòd utraq; expetenda ſit maximè, ſed alterã ab altera contineri. Rurſus uidendũ eſt duobus propoſitis, ſi quid & unum eorũ idem ſunt, an etiam id & alterũ idem ſunt: Si enim ambo non idem ualent quod aliquid, quod idem eſt, profectò eadem ipſa non erunt. Iam ex attributis rerum, & ijs rebus quibus hæc ipſa attributa ſunt, ducenda ſunt argumenta, hoc modo: Duobus propoſitis, quæ uni attributa ſunt, eadem omnia alteri etiam attribui debent: ut quibus unum eorum attributum eſt, etiam alterum attribui debet. Et ſi quid horum abſit, profectò ea quæ propoſita ſunt, non ſunt eadem. Videndum eſt etiam, an in uno genere categoriæ minus utrunque numeretur, uniumque qualitatem, alterum quantitatẽ, aliud relationem indicet. Illud etiam, an utriuſque minimè ſit idem genus, ſed unum bonum, alterũ malũ: aut hoc uirtus, illud ſciẽtia. Aut ſi

genus idem,eædémne minus ſint differentiæ, quæ de utroque
dicantur:ſed de hoc,quæ rem animo cernit ſcientia, de illo, ea
cuius opus eſt in agendo. Quod idem in cæteris omnibus ui-
dendum eſt diligẽter. Ex maiore hoc modo ducentur. Si unũ
elationẽ habet,alterum non habet:aut ſi utrunque habet,ſed
non ſimul. Quemadmodũ qui uehementius amat,non magis
concubitũ appetit. Ita non idem eſt amor,quod cõcubitus ap-
petitio. Ex adiunctione hoc modo, Si utrunq; ad idem additũ,
item totum non faciat & reddat. Aut ſi eadem re ab utroque
detracta,quod reliquũ eſt aliud manet. ut ſi quis duplum ſim-
pli,& multiplum ſimpli idem eſſe dicat. Deiuncto enim ab
utroque ſimplo,quæ reliqua ſunt idem declarare debent:neq;
declarant,cùm præſertim duplum & multiplũ non idem effi
ciant. Neq; uerò id modò uidendum eſt an ex propoſito iam
aliquod incõmodum efficiatur:ſed illud etiam, an ex fictione
poßit aliquid tale effici. Quod ij ſuſcipere coguntur,qui ina-
ne aliquid & plenum aëris idem eſſe dicunt. Perſpicuum eſt
enim,ſi aër euadat & abeat,nõ minus inane, quin etiam ma
gis futurum eſſe,plenum aëris quid non futurum. Ergo poſito
aliquo ſiue quod falſum,ſiue quod uerũ ſit, nihil enim refert,
ſi alterum tollatur eorum, alterum non item, eadem illa non
erunt. Atque ut ſummatim complectar, in ijs quæ de utroque
quouis modo dicuntur, & in quibus hæc ipſa dicuntur, illud
conſyderandum eſt,aliquóne loco hæc diſcrepent. Quæ enim
de uno eorum quæ eadẽ ſunt dicuntur,ea de altero etiam dici
debent omnia:& in quibus unũ dicitur,alterum etiã dici de-
bet. Et quoniam multis modis idem dicitur, an alio genere,
aliáque ratione eadem ſint,uidendum eſt. Quæ enim eiuſdẽ
generis uel ſpeciei ſunt, ea non eadem numero ſunt neceſſa-
riò. In quo an genere nécne,eadem aliqua ſint, conſyderabi-
mus. Poſtremò ſi unum ſine altero cohærere poteſt,certè non
idẽ ualebunt. Ac loci qui ex eodem ducũtur,expoſiti ſunt. Ex





ijs autem quæ adhuc expoſita ſunt, intelligi poteſt,omnes lo-
cos qui ex eodem ſumuntur,ad refellendum ualere, & in eis,
quemadmodũ ſuprà dixi,magnam uim eſſe ad euertendã de-
finitionem. Nam ſi nomen & definitio non idem declarent,
certè non uera erit quæ conſtituta definitio eſt. Eorum autem
locorum qui ad confirmandũ quid ſumuntur nullus ad defini-
tionem probandam ualet. Non enim ſatis eſt ad confirmãdam
definitionem idem eſſe id quod definitioni nominiq; quod de-
finitur ſubiectum eſſe docere, ſed cætera omnia quæ præpo-
ſuimus cõplecti debet definitio. Sic igitur definitionẽ, ex iiſq;
locis euertere debemus. Quòd ſi probare eam & conſtituere
uelimus,primùm intelligẽdum eſt,neminem aut paucos certè
eorum qui diſputant, definitionem per ratiocinationem tra-
ctare & concludere ſolere,eámque omnes principiò initióq;
ſumere. Cuiuſmodi ſunt geometræ, & ij qui in numerorum
ratione uerſantur,cæteriſque diſciplinis generis eiuſdem. De-
inde illud intelligendum eſt,non eſſe huius diſputationis ſubti-
liter explicare,quid ſit definitio, & quemadmodum ſit defi-
niẽdum. Nunc quidem quoad hic locus poſtulare uidetur,ea-
tenus hoc ſolùm dicendũ eſt,& definitionẽ & uim naturám-
que rei per ratiocinationem poſſe concludi. Nam quum defi-
nitio oratio ſit quæ quid ſit res explicat, eáq; ſola quæ in defi
nitione dicuntur,in natura rei dici debeant: (dicuntur autem
de natura rei genera & differentiæ) profectò ſi quis ea ſolùm
ſumat quæ de natura rei dici debẽt, quæ hæc ipſa complecte-
tur oratio, definitio ſit neceſſe eſt. Non enim aliud definitio
eſſe poteſt:quandoquidẽ nihil aliud in rei natura dicitur. Er-
go illud quidem perſpicuũ eſt, definitionem per ratiocinatio-
nem poſſe concludi. Quibus autem ex locis ſumenda ſint ar-
gumenta ad probandam definitionem, alijs libris accuratius
expoſuimus, qui ijdem ad hunc locum pertinent. Ex ijs enim
cõtrarijs quæ aduerſa dicimus, & cæteris cõtrarijs elicienda

ſunt argumenta, ſiue totam definitionem, ſiue ſingulas partes ſpectemus. Nam ſi oppoſita & contraria, oppoſiti definitio eſt, ea etiã quæ ſtatuta & poſita eſt eius ſit de quo agitur neceſſe eſt. Quoniã autem aduerſorum plures ſunt coniunctiones, ſumenda eſt ex aduerſis quæ cõtraria definitio uideatur maximè. Ac ex tota quidem definitione argumenta, quemadmodum expoſui, trahẽda ſunt. Ex partibus autem hoc modo, & primùm ex genere: Si contrarium in contrario eſt, id autem de quo agitur, non eſt in eodẽ, certè in contrario genere erit: quandoquidẽ neceſſe eſt cõtraria aut in eodẽ genere eſſe, aut in contrarijs. Atq; etiam contrarias differentias de contrarijs dici æquum putamus. ut exempli cauſa, de albis & nigris: quorum de his quod uim habet cõparandi, de illis quod uim habet diſsipandi aſpectus dicitur. Ita ſi de contrario contrariæ dicuntur, profectò de eo quod propoſitum eſt, eæ etiam differentiæ quæ ſtatutæ ſunt, dicentur. Ex quo fit ut quoniam & genus & differentiæ rectè explicatæ ſunt, definitio uera ſit quæ data eſt. Aut non neceſſe eſt in contrarijs contrarias dici differentias, niſi in genere eodem contraria reperiantur. Quorum autem contraria ſunt genera, nihil prohibet eandem differentiam de utriſque dici, ut de iuſtitia iniuſtitia: quorum illa uirtus, hæc uitium de animo dicitur. Ita animi differentia in utroque dicitur, quoniam corporis etiam ſua uirtus eſt, & uitium. Hoc igitur uerum eſt quidem certè, contrariorum aut contrarias, aut eaſdem eſſe differentias. Si ergo de contrario contraria dicitur, de hoc autem non item: profectò in hoc ipſo ea quæ ſtatuta eſt intelligetur. Cum autem ex genere & differentijs definitio ſit, ſi contrarij perſpicua & clara ſit definitio, eius etiam de quo agitur, perſpicua claráque erit definitio. Quoniam enim contrarium in eodem genere eſt in quo alterum contrarium, aut in contrario, quandoque item differentiæ aut contrariæ de cõtrarijs aut eædem

dicun



dicuntur: certè de eo quod in controuerſiam incidit, aut idem genus quod etiã de contrario dicetur, & differẽtiæ contrariæ uel omnes, uel nonnullæ & cæteræ eædem: uel contrà differentiæ eædem, & genera contraria, uel utraque contraria & genera & differentiæ, quoniam eadem eſſe utraque non poſſunt. Sin ſecus, ex contrarijs eadem erit definitio. Ex caſibus etiam & coniugatis ducuntur argumenta. Genera enim alia, alia ſequuntur, & definitiones aliæ alias, hoc modo: Si obliuio eſt depulſio ſcientiæ, etiam obliuiſci depellere ſcientiam erit, & oblitum eſſe idem quod depuliſſe ſcientiam. Si igitur unum eorum quæ dixi, conceſſum ſit, cæteræ etiam concedantur neceſſe eſt. Itemq; ſi interitus diſſolutio eſt naturæ, interimere etiam erit diſſoluere naturam, & accommodatè ad interimendum idem quod accommodatè ad diſſoluendum. Et ſi id quod uim habet ad interimendum, idem eſt quod id quod uim habet ad dirimendam naturam, interitus etiam diremptio erit naturæ. Eadem eſt cæterorum ratio. Ita fit ut ſi unũquodlibet ſumptum ſit, etiam reliqua omnia cõcedantur. Ex ijs quæ eodem modo inter ſe affecta ſunt, hoc modo: Si id quod ſalubre eſt efficiens eſt ualetudinis, id etiam quod ualet ad firmam conſtitutionem corporis efficiens erit firmæ corporis conſtitutionis, & quod prodeſt, ad bonum efficiendum pertinebit. Eodem enim modo ad ſuum quicq; eorum finem affectum eſt. Ita ſi unius eorum definitio eſt, uim habere ad efficiendum finem, uniuſcuiuſque etiam cæterorum hæc propria erit definitio. Ex maiore etiam, & ex ſimilitudine quot modis licet confirmare, duo cum duobus comparantur, hoc modo: Si hæc magis huius rei, quàm illa illius rei definitio eſt, quæ autem minus uidetur, definitio eſt, etiam quæ magis uidetur definitio erit. Et ſi pari ratione hæc huius rei & illa illius rei definitio eſt, & una alterius rei eſt, reliqua etiam reliquæ rei erit. Quòd ſi una definitio cum duabus

rebus

rebus,aut res una cum duabus definitionibus conferantur,nullus huius loci uſus erit.Neque enim duarum rerum una definitio,neque duæ unius rei definitiones eſſe poſſunt. Maximè autem apti & accõmodati ſunt ex omnibus loci ij qui modo expoſiti ſunt,& qui ex caſibus coniugatíſque ſumuntur.Itaque ij maximè in mente & cogitatione defixi atque parati eſſe debent.(Maximè enim apti ſunt ad multas quæſtiones)atque etiam ex cæteris omnibus ij qui latiſsimè patent: quoniam ex cæteris omnibus ualent plurimùm.ut ſi propoſitis rebus ſingulis & formis uideas,an in ea omnia conueniat definitio,quandoquidem ſynonyma eſt ſpecies.Qui quidem locus contra eos etiam ualet, ut ſuprà dixi, qui ideas eſſe ponunt. Iam ſi per translationem nomen quod definitur dixit,aut idem de ſe dixit ut alterum, & ſi quis alius locus latè pateat, firmúſque ſit, is adhibendus eſt.

## CAP. III.

Difficilius autẽ eſſe cõfirmare & probare quàm refellere definitionẽ,ex ijs quæ deinceps dicemus,perſpici poterit. Neq; enim facilis eſt cognitu definitio, neq; ij quos interrogamus,libenter dãt propoſitiones eiuſmodi. Eorũ quæ data definitio cõplectitur,unum genus eſſe, alterũ differentiam,& in natura rei genus differentiáſq; dici: ſine quibus ratiocinatione concludi non poteſt definitio.Nam ſi quædam etiam alia in rei natura dicatur,certè dubiũ eſt eáne quæ ſtatuta eſt an alia eius definitio ſit, quandoquidẽ definitio oratio eſt, quæ quid res ſit explicat. Quod etiam ex his intelligi poteſt, quia facilius eſt unum quàm plura concludere. Ac ei quidẽ qui euertit, ſatis eſt in unum dirigere argumentationem. quippe quum ſi unum qualecunque, refellamus, euerterimus definitionem. At uerò ei qui confirmat, omnium eorum quæ definitio complectitur, neceſſaria concurſio eſt. Præterea ei qui probat definitionem, de toto genere tractãda eſt ratiocinatio. Debet enim de omnibus definitio dici quæ nomen complectitur: & præterea uiciſsim,de quibus definitio,nomen etiã dici debet, ſi futura ſit propria,quæ eſt ſtatuta definitio. At ei qui refellit,nõ eſt neceſſe de toto genere mõſtrare. Satis eſt enim docere,non uerè dici de aliquo eorum quæ nomini ſubiecta ſunt definitionem. Quòd ſi totum & omnino refellendum ſit,certè non neceſſe eſt reprehendendo reciprocari argumentationem. Satis enim eſt eum qui refellit omnino oſtendere, in aliquo eorum quæ nomen complectitur,definitionem non intelligi: cõtraq; non neceſſe eſt docere, de quibus oratio non dicatur, nomen quidem dici quod definiatur. Iam ſi omnibus etiã quæ nomen complectitur conueniat,non ſolis autẽ ijs definitio euerſa erit. Similis eſt ratio proprij & generis. Vtrumque enim eorum facilius refellitur,quàm probatur. Atque id quidem de proprio, ex ijs quæ dicta ſunt perſpici poteſt. ferè enim in coniunctione explicatur proprium. Ita uno uerbo reprehenſo licet refellere: at ei qui probat proprium,omnia concludenda ſunt neceſſariò. Cætera autem omnia ferè quæ ad definitionem, ad proprium etiam conueniet aſſumere. Eum enim oportet qui probat, omnibus ijs quæ ſubiecta ſunt nomini docere conuenire. At eum qui refellit ſatis eſt uni docere non conuenire: ſin conueniat omnibus,at non ſolis,hoc etiã pacto reprehenſum erit, quemadmodum in definitione diximus. Genus autem uno modo licet probare, ſi omnibus cõuenire doceamus,refelli autem duobus. Nam & ſi nulli, & ſi cui doceatur non conuenire, euerſum erit. Iam eum qui probat, non ſatis eſt ipſum ineſſe monſtrare,ſed eum etiam oportet,quare ut genus inſit, oſtendere. At eum qui refellit ſatis eſt non ineſſe docere in aliquo, uel in nullo. Videtur autem,ut in cæteris rebus facilius eſt diſsipare, quàm diſsipata & diſperſa connectere: ſic in his refellere,quàm probare. Accidentis porrò generalis facilior eſt refutatio, quàm confirmatio. Confirmando enim docẽdum eſt conuen

conuenire omnibus: in refutatione ſatis eſt uni oſtendere non conuenire. Contrà id quod tanquam pars ſubiectum eſt generali, facilius confirmatur quàm reprehenditur. Ad probandum enim ſatis eſt alicui docere conuenire: refutando autem nulli conuenire docendum eſt. Atque etiam illud perſpicuum eſt, quid ita facillima ſit una ex omnibus refutatio definitionis, plura enim quàm pleraque eorum quæ expoſuimus complectitur, atque ex pluribus facilius efficitur concluſio, quoniam in multis ſæpius quàm in paucioribus error uerſari ſolet. Præterea ad definitionem euertendam ex alijs argumenta ſumi poſſunt. Siue enim oratio non eſt propria, ſiue non eſt genus quod datum eſt, ſiue aliquid eorum quæ complectitur non conueniat, euerſa erit definitio. At uerò ad cætera refutanda neque ea quæ ex definitionibus exiſtunt, neque alia ſumi poſſunt. Sola enim ea quæ ad accidens ſumuntur, ei ſunt cum cæteris omnibus communia: quippè cum ineſſe & conuenire omnia debeant. Si uerò genus non ut proprium conueniat, idcirco genus euerſum erit. Itemq́; non neceſſe eſt proprium, ut genus, neque accidens ut genus, uel proprium conuenire, ſed ſolùm conuenire. Ita fieri non poteſt, ut ex cæteris ad alia, niſi ad definitiones argumenta ducantur. Perſpicuum eſt igitur definitionis unius ex omnibus & refutationẽ facillimam eſſe, & difficillimam probationem. Nam effici & illa cõcludi debent omnia. Siquidem & conuenire illa ipſa docendum eſt, & genus eſſe id quod affertur, & propriam eſſe orationem, & præterea rei naturam declarari oratione. atqui id præclarè obeundum eſt. Ad definitionis hanc naturam proximè ex reliquis accedit proprium. Nam & facillimum eſt ad refutandum, quòd ferè conſtet ex multis uerbis, & ad probandum difficillimum, quòd multa concurrere & quaſi conuenire debeãt, quódque ſoli rei inſit, & cum ea reciprocetur. Omnium autem accidens facillimum eſt ad probandum. Quum enim

cætera



cætera non ſolùm conuenire, ſed etiam hoc uel illo modo conuenire docendum ſit: tamen ſatis eſt oſtendere conuenire & ineſſe accidens: difficillimé que accidens refellitur, propterea quòd perpauca complectitur. neque enim declaratur in accidente quomodo conueniat. Itaque cætera omnia duobus modis refelli poſſunt, & docendo non conuenire ea, & non hoc uel illo modo conuenire. Accidens autem refutari non poteſt, niſi oſtendatur non conuenire. Ac loci quidem ferè expoſiti ſunt, ex quibus nobis ad quanque quæſtionem magna argumentorum ſuppetet copia.

# ARISTOTELIS TOPICORVM LIBER OCTAVVS.

## CAP. I.

SEQVITVR ut de diſpoſitione & ordine argumentorum, interrogandiq́; ratione dicendum eſſe uideatur. Primùm quidem, locum ex quo argumentum ſumat, inuenire debet is qui quæſtionẽ poſiturus eſt: deinde quærere ipſe per ſe, & diſponere omnia. Poſtremò hæc omnia apud alios tractare & eloqui. Ac loci quidẽ Philoſopho cũ Dialectico cõmunis inuẽtio eſt: argumentorũ autem diſpoſitio & interrogatio, quoniã hoc totũ alterũ qui contrà diſputet, requirit, propria ſunt Dialectici. Philoſophus enim, quiq́; per ſe & ſolus exquirit omnia, uerâne ſint & nota ea ex quibus efficitur

concl

concluſio, neque ipſa concedat is qui contrà diſputat; minus laborat: quòd finitima ſint & coniuncta iis quæ à principio propoſita ſunt: & quod prouideat, quid effici, concludíque oporteat. In quo profectò dabit operam ut quàm clariſsimæ ſint maximéque coniūctæ cum re enuntiationes, quippe quum ex his talibus conficiantur quæ ſcientiam gignunt ratiocinationes. Loci quidem ex quibus ducenda ſunt argumenta, ſuperioribus libris expoſiti ſunt à nobis. Nunc de eorum diſpoſitione quærendíque ratione ita dicemus, ſi antè eas propoſitiones, quæ præter neceſſarias reliquæ ſunt, partiamur. Neceſſariæ autem dicuntur eæ, ex quibus ratiocinatio conſtat. Quatuor autem genera ſunt earum quæ præter has aſſumuntur. Aut enim inductionis gratia, ut quod uniuerſum eſt detur: aut augendæ & amplificandæ argumentationis: aut occulendæ celandæq; concluſionis: aut illuſtrandæ aperiendæq; orationis cauſa, omnis propoſitio ſumitur: præterea nulla. Sed eò omnis diligentia conferenda eſt, ut his ipſis uel argumentationem amplificemus, uel in interrogando utamur. Quanquam autem eas quæ occultandæ concluſionis cauſa aſsumuntur, certandi ſtudio adhibemus: eis tamen, quoniam hoc totum cum altero tranſigendum eſt, uti neceſſe eſt. Neceſſarias igitur ex quibus conficitur ratiocinatio, non ſtatim proponere, ſed ad ſummas proficiſci debemus. Non enim debet aliquis, exempli cauſa, contrariorū quæ aduerſa dicuntur, eandem artem eſſe ſumere, etiamſi id uelit, ſed contrariorū. Hoc enim conceſſo & poſito, etiam aduerſorū eandem artem eſſe concludet: ſiquidem aduerſa ſubiecta ſunt contrariis. Quod ſi non concedat, tum per aduerſorum ſingulorum inductionem tractanda erit argumentatio. Nam aut in ratiocinatione, aut in inductione ſumendæ ſunt neceſſariæ propoſitiones, aut quædam in ratiocinatione, quædam in inductione. Quæq; ualde perſpicuæ & claræ ſunt, eas præponere



nere debemus: propterea quòd obſcurior eſt ſemper magisq; dubia in receſſu, & in inductione concluſio: & quòd facilè eſt eas proponere quæ uſui eſſe poſſunt, ei etiam qui illo modo ſumere non poſsit. Quæ autem præter neceſſarias enumeratæ ſunt, & illarum ipſarum cauſa ſumi debent, & ita adhiberi, ut à ſingulis ad uniuerſas & generales, à non dubiis clariſque ad obſcuras dubiáſque perueniamus inducendo. Clariora autem ſunt ea quæ ſenſui ſubiecta ſunt, aut per ſe, aut certè pleriſque. Qui autem concluſionē occulere inſtituit, is antè ratiocinari debet ferè, ex quibus id quod initio propoſitum eſt, concludi efficiq; poſsit. Quod ita fiet, ſi quis non ſolùm neceſſarias, ſed aliquam etiam earum quæ ad illas utiles erunt, concludat. Illud etiam proderit, concluſiones tacere, eáſq; pòſt uniuerſas enumerare. Sic enim à primo propoſito aberrabit longiſsimè. Atque etiā eum oportet qui obſcurè uult interrogare, ita hoc præſtare, ut quæſita tota oratione, effectáq; concluſione alter cauſa quæ ſit requirat. Idq; ex ſuperiore loco efficietur facillimè. Si enim ſola concluſio pronuntietur, incertum erit, quemadmodum efficiatur: quòd is qui contrà diſputat, unde efficeretur non prouideret, quum priores ratiocinationes in membra digeſtæ non eſſent. Minimè autem digeritur in membra ratiocinatio cōcluſionis tum, cum eius ſumptiones non enumerantur, & diſponuntur, ſed illa ex quibus conficitur ratiocinatio. Vtile erit etiā, non crebras enuntiationes ſumere, ex quibus ratiocinationes cōſtant, uiciſsimq; aliam, & aliā efficere concluſionem. Collatis enim unum in locum iis omnibus quæ apta ſunt & coniuncta, facilius quid ex eis efficiatur intelligi poteſt. Atque etiam generalis quædam ex definitione non eorum de quibus agitur, ſed coniugatorum, ſumenda propoſitio eſt. Falſa enim concluſione ſe ipſi capiunt ii qui reſpondent, cū coniugati ſumitur definitio, quaſi uniuerſalem generalemq; minimè concedant pro=

poſitionem.ut ſi hoc ſumendum ſit, eum qui iraſcatur, appetentem eſſe ultionis, ſumatúrque ira libido eſſe puniendi eum qui contempſiſſe uideatur: certè ſumpto hoc omnino quod uolumus habebimus. At ſi quis definitionem afferat eorum de quibus agitur, ferè fit, ut is qui reſpondet ei reſiſtat, quòd facilior ſit in his occurrendi ratio. Cuius generis illud eſt: Non omnes qui iraſcuntur, pœnam appetere: nos enim parentibus iraſci, neque eos ſupplicio affici optare. Et quanquam non uidetur uerè hoc loco occurri, propterea quòd nonnullis ſatis grauis pœna eſt aliorum moleſtia & pœnitentia, habet tamen aliquid probabilitatis & authoritatis, ut non ſine cauſa propoſitum negatum eſſe uideatur. Definitioni autẽ iræ tam facilè reſiſti non poteſt. Præterea is qui quæſtionem ponit, ita proponere debet, ut non ad id de quo agitur, ſed aliò quod affert, pertinere uideatur. Declinant enim omnes qui poſcũt quæſtionem, ea omnia quæ ad propoſitum pertinent. Dare etiam operam debet, ut quammaximè incertum ſit, utrum id de quo agitur, an eius contrarium uelit ſumere. Cùm enim id quod ad propoſitum pertinet, obſcurum eſt neque apparet, tum facilius concedunt quod illis probatur. Iam uerò ex ſimilitudinis collatione interrogandi erunt: quoniam quod ueriſimile eſt, uniuerſa re & toto genere obſcurius & occultius eſt. uelut quemadmodũ ars & inertia eadem eſt contrariorum, ſic ſenſum eũdem uerſari in contrarijs: aut contrà, quãdo ſenſus in contrarijs rebus cernitur, etiã artem. Quod quidem genus finitimum eſt inductioni, nõ idem ualet. Illuc enim ex rebus ſingulis ad uniuerſas peruenitur: in ſimilitudine autem non peruenitur ad uniuerſas, in quibus ſimilia omnia continentur. Ipſe etiam ſibi interdum debet reſiſtere. Suſpectos enim non habent eos, qui æqui in diſputando uidentur. Vtile eſt etiã ea proponere quæ uſitata & trita ſunt, in omniumq́; ore uerſantur. Neq; enim audẽt uſitata repudiare & tollere, quòd



quòd unde reſiſtant non habent, & quia hæc illis uſitata ſunt, haud periculũ eſt, ne ea reprehẽdant. Iam & ſtudiũ noſtrum in aliqua re ſumẽda diſſimulare, etiam ſi utile ſit debemus. ijs enim qui magnum ſtudiũ in aliqua re ponunt, reſiſtunt libentius. Et ſimilitudinum collatione proponere. quia facilius concedunt id quod alterius cauſa, quàm quod ipſum per ſe ſumitur. Magna etiã uis in eo eſt ad probandum obſcurè quod uolumus, ſi id non proponamus quod ſumendum eſt, ſed id quod illud conſequitur neceſſariò. Facilius enim dant & concedũt illud ipſum, quod non æquè ex eo perſpici poteſt quid ſit efficiendum. quo quidem ſumpto, etiam illud ſumptum erit. Illud etiam plurimũ ualet, extremo loco id proponere, quod in primis efficere uelimus. Solent enim omnes primæ diſputationi reſiſtere acrius & diligẽtius: propterea quòd omnes qui diſputãt, ea in primis proferre ſolent, in quibus maius ſtudiũ curamq́; poſuerunt. Quanquã apud nonnullos hæc prima dici debent: cuiuſmodi ſunt difficiles, qui quidẽ ea concedunt facilius quæ prima diſputatione afferuntur, ſi modo quid ſequatur nõ omnino appareat: ad extrema autem difficiles ſe proteruóſque præbent. Quod idẽ de ijs iudicandum eſt, qui acutos ſe putant in reſpondendo. poſitis enim conceſſiſq́; permultis captionibus, & quaſi præſtigijs quibuſdã utuntur in concluſione, quaſi ex ijs quæ poſita ſunt, minime ſequatur. Illi facilè concedunt, & freti ingenio ſuo, & rati nullum ſe incommodum conſecuturos. Poſtremò producenda erunt & amplificanda interijciendáque in argumentatione ea omnia, quæ nihil ad rem pertinere uidebuntur. Id quod ij ſoliti ſunt facere qui falſo aliquid deſcribunt & delineant. Nam cùm multa ſunt, difficilis eſt falſi dijudicatio. Itaque celant & obſcurant rem interdum ij, qui obſcurè utuntur interrogationibus ea proponentes ſumentéſque omnia, quæ nunquã per ſe ac ſingula darentur. Atque ex ijs locis argumenta ducenda erunt,

ad celandam diſsimulandamq́; concluſionem. In ornanda autem amplificandaq́; diſputatione, rerum finitimarũ & coniunctarum adhibenda inductio atq; diuiſio eſt. Inductio quidem quid ſit facile perſpicitur. Diuiſio autem talis eſt, ut artẽ arte præſtantiorem eſſe: aut quia certior ſit, aut quia in rebus melioribus uerſetur. Et artium, alias eſſe quarum omne opus eſt in cognoſcendo, alias quarum in agendo, alias quarum in faciendo. Hæc enim & ornatum afferunt orationi, nec neceſſaria ſunt ad efficiendam concluſionem. Dilucidam autem & perſpicuam argumentationem facient exemplum, ſimilitudiniſque collatio. Exempla autem propria & ad rem apta eſſe debẽt, & eiuſmodi, ex quibus res intelligatur. Cuiuſmodi illa ſunt quæ Homerus, non quæ Chœrillus cõmemorat. Sic enim notius erit & clarius id quod proponitur. In diſſerendo autẽ, ratiocinatione utendum erit apud Dialecticos potius, quàm apud multitudinem: inductio cõtrà magis multitudinem cõmouet. Sed de his generibus iam dixi. In quibuſdam rebus facilè poteſt is qui inductione utitur, quærere & inuenire id quod totum dicitur, in alijs non facilè poteſt, quòd omnibus ſimilitudinibus non eſt commune nomen impoſitum. Quinetiam cum genus uniuerſum concludi debet, eandemq́; cæterorum ſimilium rationem aiunt eſſe, tum id profectò difficillimum eſt, quænam eorum quæ commemorata ſunt, eiuſdem ſint generis, quæ non ſint, explicare dicendo. Ob eamq́; cauſam ſæpe diſputantes inter ſe diſsident & hærent, dum alij diſsimilia eſſe confirmant, quæ non ſunt ſimilia: alij ſimilia nũ ſimilia ſint, ambigunt. Quocirca in his omnibus omni ratione efficiendum eſt, ut nomina fabricentur, ut nec ei qui poſcit quæſtionem, num eius quod affertur non ſit ſimilis ratio, hærere liceat: nec ei qui rogat, calumniari eandem eſſe rationẽ, quòd multa eorum quorum ſimilis ratio non eſt, eodem modo dici uideantur. Cùm autem inductione multarum rerum

adhib



adhibita, non dat alter id de toto genere, tum æquum eſt, ut reſiſtat & refellat, poſtulare. Quòd ſi in aliquibus non doceat hoc modo contingere, non erit æquum rogare, quorum tandem non ſit ſimilis ratio. Primùm enim argumentatio per inductionem tractanda eſt, tum poſtulandũ, ut reſiſtatur. Sed poſtulandũ eſt, ut occurratur nobis, non in eo ipſo quod proponitur, niſi fortè unum eſt ſolum eius generis. ut duo ſunt tantummodo parium numerorum primus. Debet enim is qui reſiſtit, in alio genere reſiſtere: aut certè dicere, hoc uel illud ſolùm eſſe ex eo genere. Quod autem ad eos attinet, qui in toto genere occurrunt nobis, nec in eodem genere occurrunt, ſed in eo quod eodem nomine, ſed ambiguo continetur (ueluti habere aliquem non ſuum colorẽ, aut pedem, aut manũ, quoniam & pictor habeat non ſuum colorem, & cocus non ſuum pedem) in his omnibus, diuiſione adhibita, interrogare debemus. Nam ſi ambiguum lateat neque aperiatur, rectè in propoſitione nobis uidebitur reſiſtere. Quòd ſi in ſimili genere, non in ambiguo reſiſtens, noſtrum labefactet rogatum, detracto eo in quo reſiſtit nobis, quod reliquum eſt in toto genere ualere docebimus, dum quod cõmodum eſt, effecerimus. Quod in obliuionis uerbo & oblitum eſſe animaduerti poteſt. Non enim concedunt eum oblitum eſſe, qui cõmutatione aliqua artem amiſerit, quòd caſu & interitu eius eam amiſit, non obliuione obruit. Quod ergo reliquum eſt, dempto eo in quo occurſum eſt nobis, commemorari debet, ut ſi quis remanẽte re, artem amiſit, eum oblitum eſſe. Eodemq́; modo de ijs iudicandum eſt, qui hoc loco nobis occurrunt: Maiori bono maius malum eſſe contrarium. Proferunt enim ualetudinem, quæ cũ minus ſit bonum quàm firma corporis conſtitutio, tamen ei maius bonum cõtrarium eſt. morbum enim maius malum eſſe infirma affectione corporis. Ex his etiam id detrahendum eſt in quo occurritur. eo enim ſublato, facilius licebit propone=

re:ut maiori bono maius malum, contrarium eſſe, niſi unum alterum unà ſecum inferat, ut firma corporis affectio ualetudinem. Quod idem faciendum erit non ſolum ſi quis nobis occurret, ſed etiam ſi non occurret, & tamen id negabit, & abnuet, quòd aliquid tale prouideat futurum. Sublato enim eo in quo nobis reſiſtit, dare & concedere cogetur id quod reliquum eſt, quòd in eo quod reliquum eſt, aliquid contineri, quod non ſit ita minime animaduertat. Quod ſi dare nolit, etiam tum cùm petitum eſt, ut reſiſteret, certe quo reſiſtat nobis, non habebit. Sunt autem propoſitiones eiuſmodi, quæ quadam ex parte falſæ ſunt, quadam ex parte ueræ. in quibus eo quod ex parte eſt. ſublato, reliquum licebit uerum relinquere. Si uerò multa proponamus, in quibus nobis minime reſiſtat, tum ut concedat omnino, petere debemus. Propoſitio enim Dialectica eſt, quæ magna ex parte rem ita habere declarat, neque refellitur. Cùm autem eadem res & ſine incõmodo, & cum incommodo per ratiocinationem concludi poteſt, hoc an illo modo efficiatur, nihil ad eũ qui neceſſaria ratione non probabili concludit. is autem qui probabili ratione utitur, non debet argumentationẽ tractare per ratiocinationem, per quam alter incõmodo urgeatur. Nã & cũ nullo incommodo urgent concludendo, nihil controuerſiæ loci relinquunt: & cum incõmodo urgent, tum niſi ſit euidens & perſpicuum id falſum eſſe, alij incõmodum id negant eſſe. Ita non habent quod uolunt ij qui quæſtionem ponunt. Proponẽda autem ſunt ea quæ magna ex parte ita ſe habent, & refelli aut non poſſunt omnino, aut certe id facile quaſi prima facie perſpici non poteſt. Cùm enim in rebus quibuſdam non ita eſſe ſpicere nequeunt, tum id quod propoſitum ſumptumq; eſt, quaſi uerum ſit ſolent concedere. Nunquam autem quæri debet concluſio: ſin ſecus, cùm alter reſiſtet, ratiocinatio nunquam ad exitum perduci poterit. Sæpe enim etiam cum nulla





interrogatio & quæſtio ponitur, ſed ut conſequens concluditur, id negatur effici: quod cùm faciunt illi, certe ab ijs qui non uident quid ex conceſſis ſequatur, minime reprehẽdi uidentur. Cùm igitur unus rogat neque id ait effici, alter autem negat omnino, tum ratiocinationi nihil omnino loci relinqui uidetur. Neque uerò quicquid de toto genere dicitur, Dialectica propoſitio eſt. ex quo genere illud eſt, Quid eſt homo? aut hoc, Quot modis bonum dicitur? Propoſitio enim Dialectica eſt, ad quam reſpondere licet, etiam, aut non: quod non licet ad ſuperiores. Ita non eſt Dialectica quæſtio ulla, niſi is qui proponit, eam explicet aut diſtinguat, hoc modo: An bonum hoc uel illo modo dicatur? Quam quidem quæſtionem licet uel negare uel concedere. Quocirca enitendum eſt, ut ita, ut dixi, omnes hæ ponantur quæſtiones. Quin illud etiam par eſt ab illo requirere, quot ſint bonorum genera, quando explicatione & diuiſione adhibita à nobis, ille nullo modo cõcedet. Qui autem unam orationem in multas quæſtiones rogando diſtribuit, is inſcienter quærit. Nam ſi is qui rogatur, ad rogatum reſpondeat, profectò ille aut multas quæſtiones ponere, aut ſæpe idẽ quærere uideatur neceſſe eſt. Ita aut nugatur, nihilque agit: aut ratiocinationem per quam argumentationem tractet, non habet: quandoquidẽ ex paucis quibuſdam omnis conſtat ratiocinatio. Quòd ſi minus reſpondeat, hic illum coarguere nõ poteſt, aut certè eum relinquit. Illud autem intelligendum eſt omnia propoſita quæ argumẽtis perdifficiliter probantur, eadem facilia eſſe ad defendendum. cuius generis ea ſunt quæ & prima ſunt, & ultima ordine naturæ. Nam & prima ac perſpicua certũ modum definitionémque requirunt, & ultima multis concludantur neceſſe eſt ab eo qui iam inde à perſpicuis & primis continuatam ſeriem argumentorum perſequi uelit. Aliter enim fallaces ac captioſæ argumentationes uidebuntur: præſertim cùm

aliquid doceri non poßit nec demonſtrari, niſi à proprijs initijs & principijs capto exordio, uſque ad ultima perueniatur. Ac conſtitui explicarique rem definiendo nolunt ij qui reſpondent, nec ſi explicemus attendunt. Sed profectò facilis non eſt diſſerendi ratio, niſi quid ſit aut quale id de quo inſtituitur diſputatio, intelligatur. quod in principijs & perſpicuis contingit maximè, quibus cætera probantur, ipſa alijs nõ poſſunt, definitionéque aperienda ſunt & cognoſcenda neceſſariò. Difficilia etiam probatu ea ſunt omnia, quæ principiorum uicinitatem ſequuntur. Neque enim multa ad ea probanda argumenta poſſunt ſuppetere, cùm pauca interiecta ſint inter ipſa & initium, quibus neceſſe eſt conſequentia omnia monſtrari. Definitiones autem eæ ex omnibus euerti poſſunt difficillimè, quæ uerbis eiuſmodi explicatæ ſunt, ut primũ dubium ſit, uno modo, an pluribus dicãtur: deinde incertum, utrum propriè de re quæ definitur dicantur, an per traslationem. Nam quia dubium eſt illud, non perſpicuũ, inde nulla argumentorum copia ſuppetit: quia hoc incertum, an per translationem dicantur, nõ poſſunt refelli. Omnino quæſtio omnis ſi difficilis eſt probatu, uel definitionem requirit, uel in ijs eſt quæ multis modis, aut quæ per translationem dicuntur, aut non longè abeſt à principijs, aut eo certè difficilis eſt, quia non eſt prima facie perſpicuum, quo ſit ex genere eorum quæ expoſita ſunt, id quod in cõtrouerſiã uenit, affertq; dubitationem. Nam ſi quo ex genere ſit intelligatur, illud etiam intelligitur, aut definitione explicandum id eſſe, aut diuiſionem adhibendam, aut definiendas eſſe medias propoſitiones, quibus ultimæ probantur. Pleraque etiam propoſita, niſi rectè tradita & explicata definitione, neque diſputari facilè, neque probari argumentando poſſunt. quo ex genere illud eſt. Sitne unum uni contrarium, an multa? Quòd ſi contraria definiãtur, certè illud facile erit explicare. Sint, nécne

ſint



ſint plura eorundem contraria. Quod eodem modo iudicandum eſt de ijs quæ definitionem requirunt. Atque etiam in mathematicis uidẽtur quædam non facilè deſcribi poſſe prætermißione definitionis. quale eſt illud, Eam lineam quæ ad latus planum ſecat, ſimili ratione & lineam ſecare & locum: quod definitione adhibita facilè intelligitur, quoniam & loco & lineæ eadem reſpondet, quaſi ex altera parte diuiſio: quæ quidem analogi definitio eſt. Omnino prima elemẽta & initia, definitionibus expoſitis, ut quid ſit linea, quid orbis, facilè probari demonſtrarique poſſunt: uerum ad ſingula eorum probanda non multis argumentis uti poſſumus, propterea quòd non multa ſunt in medio eorum collocata. Definitionibus autem initiorum prætermißis uix, aut ne uix quidem probari poſſunt. Quod idem fit in ijs principijs quæ diſſerendo adhibentur. Hoc igitur intelligendum eſt, cum propoſitum aliquod difficile eſt probatu, id aliqua de cauſa earum quas expoſui, euenire. Cum autem propoſitio & enunciatio difficiliorem habebunt probationem, quàm propoſitum, dubitare liceat, ſint nécne ſint probandæ. Nam ſi eas non probet, ſed ijs etiam ad rem propoſitam concludendam uti uelit, maius ſibi quidem opus quàm quod initio præſcripſerit. Sin eas probet, ijs certè quæ minus ualent ad faciendam fidem alter adducetur ut credat. Ac ſi quæſtio difficilior non reddetur, proponenda eſt: ſi non dubijs & perſpicuis dubia concludenda erunt, non eſt probanda. Aut ei qui ſe dat in diſciplinam ponenda non eſt, niſi ſit notior: ei autem qui exercitationis gratia diſputat, ponenda, ſi modo uera eſſe uideatur. Ex quo perſpicuum eſt, non eodem modo ab eo qui probabili ratione, & eo qui neceſſaria includit, propoſitiones eſſe afferendas. Quemadmodum ponenda & diſponenda ſit quæſtio, ſatis ferè dictum eſt.

## CAP. II.

NVnc de ratione reſpondẽdi ita diſſeremus, ſi antè quod eius ſit officiũ, qui & rectè poſcit, & rectè ponit quæſtionem, dixerimus. Eſt autem eius qui ponit quæſtionem, ita argumentationẽ tractare, ut eum qui cum diſputet, abſurdiſſima quæ ex propoſito efficiuntur neceſſariò, cogat concedere. Eius uerò qui quæſtionem poſcit, dare operam, ne quod incommodum ſua culpa, ſed ex propoſito ſequi efficiq; uideatur, nec quicquam quod ſit cõtra opinionẽ omnium. Aliter enim peccatur, cum quis proponit primus quod non debet, aliter cum eius quod proponitur ea uis & natura eſt, ut defendi nullo modo queat. Non ſunt autem certa neque conſtituta adhuc à quoquam officia eorum, qui exercitationis & periculi faciendi gratia diſputant. Neq; enim idem propoſitum eſt doctoribus aut diſcipulis, quod ijs qui certandi ſtudio diſputant, neq; idem his ipſis & ijs quorum ad cognitionem & ſcientiam omnis dirigitur exercitatio. Nam & diſcipulis ea ſemper tradenda ſunt quæ probantur omnibus: quoniam nemo eò operam confert, ut falſa doceat: & eorum qui certandi ſtudio diſputant, is qui quæſtionem ponit ſemper aliquid facere uideri debet, & is quicum diſputat nulla in re illi concedere. Quoniam autem in conuentu & congreſſu dialecticorum, ijs qui non certandi ſtudio, ſed uel tentandi uel cognitionis gratia inter ſe diſſerunt, non eſt adhuc à quoquam, ut dixi, expoſitum & traditum, quid inueſtigare, quid dare aut non dare oporteat eum qui poſcit quæſtionem, ut gnauiter aut non gnauiter ac præclare decreta ſua defendat: nos hoc loco inſtituimus dicere. Qui igitur reſpondendi munere fungitur, is conſultationem defendat neceſſe eſt, uel probabilem uel non probabilem, uel neutram: ita tamen, ut aut probetur, aut non probetur omnino uel cum adiunctione, ut alicui uel eidem, uel alij. Quo autem modo probabilis, uel non probabilis ſit, nihil intereſt



intereſt: quandoquidem idem genus retinendum erit præclarè reſpondendi ad rogatum, aut dandi aut non dandi rogatum. Ac non probabile quidem ſi ſit propoſitum, probabilem: ſin probabile, non probabilem neceſſe eſt cõcluſionem effici. Contrarium enim propoſiti ſemper concludit is qui interrogat. Quòd ſi id de quo agitur ſit eiuſmodi, ut nec probetur, nec improbetur, eiuſdem generis efficietur concluſio. Quoniam autem is qui ſcite ratiocinatur & cõcludit, rebus non dubijs & perſpicuis id quod dubium eſt aperit & oſtendit, profectò id de quo quæritur non ſit probabile omnino, non debet is qui poſcit quæſtionem, neque id dare quod non probetur omnino, neque id quod illud quidem probetur, ſed minus quàm concluſio: quippe cum propoſitum, ſi non probabile ſit, concluſio probabilis ſit futura. Ita fit ut ea quæ ſumuntur, omnia probabilia eſſe debeant, ac magis probabilia quàm id de quo quæritur: ſi quidem magis perſpicuis minus probabilia uelit concludere. Ita ſi non ſit ex eo genere id quod quæritur, non id debet qui reſpondet concedere. Sin autem probabile omnino ſit propoſitum, improbabilis etiam omnino concluſio erit. Itaque danda erunt quæ probantur omnia, & eorum quæ non probantur, ſiqua magis probabilia ſunt concluſione: ſic enim ſatis abunde diſputatum fuiſſe uidebitur. Quod idem faciundum erit, ſi nec minus ſit probabilis, nec probabilis quæſtio. Sic enim & quæ probantur, danda ſunt omnia, & quæ non probantur, ſi qua magis probabilia, quàm concluſio erunt. Sic enim fiet, ut probetur magis oratio. Ac ſi id de quo agitur omnino probabile ſit aut non probabile, tum cum ijs comparandum erit, quæ omnino probantur. Sin autem non omnino probabile, aut non probabile, ſed ei modò qui reſpondet, tum ijs quæ ei probantur aut minus probantur iudicare debet, quid concedendum aut non concedendum eſſe uideatur. Quòd ſi alterius ſententiam defend

defendat is qui reſpondet, certè eius mentem & ſententiam ſpectare debebit, ut quid concedendum ſit aut negandũ, intelligat. Itaq; qui alienas ſententias introducunt, ut bonum & malum eſſe idem, ut placet Heraclito, ij non dant in eodem ſimul non ineſſe contraria. non quòd non probetur hoc eis, ſed quòd Heracliti ſentẽtia ita dicendũ ſit. Quod etiam ij faciũt, qui alij ab alijs propoſita accipiunt. Exquirũt enim illi, quid ſit reſponſurus is, qui rem proponit. Hoc igitur perſpicuũ eſt, quæ exquirere is debeat qui reſpondet, ſiue omnino probabile, ſiue alicui ſit id quod quæritur. Quando autem neceſſe eſt omne rogatum aut probabile eſſe, aut non probabile, aut neutrum, & uel ad concluſionem efficiendam ualere uel non ualere, rogatum: ſi probetur, neque ad concluſionem efficiendã ualeat id & dare, & probabile dicere debemus. Eo enim poſito & conceſſo, propoſitum primum non euertitur. Si autem neq; probetur ipſum, neq; ad concluſionem efficiendam ualeat, id quidem dandum eſt, ſed ita tamen, ut non probari ſignificemus uitandæ amentiæ gratia. Si uerò & probabile ſit, & ad rem pertineat, reſpondendum erit id quidem uideri & probari, ſed propoſitum adeò finitimum eſſe, ut eo conceſſo, propoſitum tollatur neceſſariò. Si ad concluſionem efficiendam ualeat, & admodum ſit improbabile, reſpondendum erit concluſionem eo poſito & conceſſo effici, ſed ſtultum id eſſe quod efferatur. Cum autem nec probabile quid, nec minus probabile rogabitur, tum ſi ad concluſionem efficiendam nihil ualeat, id dandum erit nulla facta diſtinctione: ſin ualeat, exponendũ eſt, eo poſito, ſublatum iri id de quo agatur. Sic enim & eo qui poſcit quæſtionẽ, nihil eius culpa futurum eſt, ſi quid concedere & dare debeat prouidebit: & is qui quæſtionem ponit, concluſionem efficiet, cum ei ea dabuntur omnia quæ magis quàm concluſio probentur. Qui autem inſtituunt argumẽtationem tractare per ratiocinationem, ſum-

ptis



ptis ijs quæ minus quàm concluſio, approbantur, ijs quoniam inſcienter ratiocinantur, quæ rogant, dari concediq; non debent. Eodem modo eis occurrendum erit, cum res dubias & obſcuras, & quæ multis modis dicuntur, afferent. Nam quoniam ei qui poſcit quæſtionem, ſi minus intelligat, licet dicere, Non intelligo: & quod multis modis dicitur, non neceſſariò id aut concedere, aut negare debet: profectò ſi quid afferatur quod obſcurum ſit, ſine ulla dubitatione & mora ſe id non intelligere fatebitur. Sæpe enim ex eo quod dant & concedunt ij quibus obſcura nec aperta quæſtio ponitur, abſurdum aliquid incidit. Cum autem cognitum apertúmque erit id quod multis modis dicitur, ſi omni ex parte & omnino uerum ſit aut falſum quod affertur, id omnino concedi negaríue debebit: ſin quadam ex parte falſum ſit, & quadam ex parte uerum, id ambiguè dici, & in illo uerè & in hoc falſo dici indicabit. Nam ſi id poſterius diſtinguat, dubium erit, an in prima diſputatione ambiguum perſpexerit. Quòd ſi ambiguum uerbum non attẽdat, idque tum cum alterius habet rationem, concedat: ſi ad alterum impellatur, fateri debet ſe id conceſſiſſe, cum non ipſum illud ad quod uocatur, ſed alterum ipſe ſpectaret, & attenderet. Cum enim plura eidem nomini & orationi ſubiecta ſunt, tum facilè exiſtit controuerſia. Sin rogatum & planum ſit & ſimplex, aut etiam, aut non, reſpondendum eſt. Quoniámque omnis propoſitio quæ ualet ad concluſionem efficiendam, aut aliqua earum eſt ex quibus ratiocinatio conficitur, aut ad aliquam earum refertur, (perſpicuum eſt autem cum alterius probandæ gratia aſſumitur eo ſumi quòd multa ſimilia requirantur, quippè cùm ferè per inductionem uel ſimilitudinem id quod de toto genere & omnino dicitur, concludatur) ſingula omnia concedenda ſunt ſi uera ſint & probabilia, uniuerſa tamen refelli debent. Impedire enim curſum orationis, niſi reſiſtas uerè, aut ſaltem

uidea

uideare, hoc eſt iniquum ſe in diſputando difficilémque præbere. Ita ſi multa ſimilia exiſtant, neque det in toto genere dici, tum cum refellere nequeat, profectò difficilem ſe proteruúmque præbebit. Iam ſi non habeat contra argumentum ſumere ad refellendum, tum multo etiam magis difficilis proteruúſque uidebitur. Quanquam ne hoc quidem ſatis eſt. Multæ enim rationes extant, ſententijs omnium contrariæ, quarum difficilis eſt explicatio. cuius generis eſt Zenonis ratio, qua tollit motum, & ſtadij traiectionem: nec uerò propterea eorum contraria minus defendi concedíque debent. Ergo ſi quis nec contrà dicere poßit, nec reſiſtere, & tamen non concedat, is profecto iniquum ſe præbebit in diſputando. eſt enim in diſputationibus iniquitas & proteruia, reſponſio quæ præter modos quos expoſuimus, uim habet ad interimẽdam tollendámque concluſionem. Defendere autem & propoſitum & definitionem ita par eſt, ſi antè argumenta ipſi in nos quaſi aduerſariorum tela iaciamus. Quibus enim rationibus infirmant noſtra decreta ij qui ponunt quæſtionem, ijs ipſis reſiſtere debemus. Propoſitum autem non probabile timide defendendum eſt. Multis autem modis non probabile eſſe poteſt. Nam & id non probabile eſt ex quo efficitur, ut incommoda, & abſurda quædam fateamur. ut ſi quis uel omnia, uel nihil moueri dicat, & ea omnia quæ deterior ſtatus & conſtitutio ſequi ſolet, & quæ hominum uoluntatibus repugnant, quale illud eſt, Voluptas eſt bonum: &, facere quàm accipere præſtat iniuriam. Non enim quaſi diſputationis gratia defendat, ſed tanquam ea dicat quæ probet & ſentiat, ita eum oderunt. Argumenta autem quibus falſum concluditur, diſſoluenda ſunt, infirmando euertendóque eo, ex quo falſum effectum eſt. Neque enim quouis ſublato argumentum explicatur, ne ſi falſum quidem ſit id quod ſit euerſum. Multa enim falſa in argumentatione contineri poſſunt. ut ſi

quis



quis ſumat, eum qui ſedeat ſcribere, & Socratem ſedere: ex his efficitur, ſcribere Socratem. Euerſa igitur hac enunciatione, Socrates ſedet, non tamen diſſoluta & explicata argumentatio eſt. Et quanquam falſa enunciatio eſt, non tamen falſa eſt oratio. Si quis enim ſedeat, neque ſcribat, non iam in hac tali cauſa hæc ipſa accommodata explicatio eſt. Non igitur hoc refellendum eſt, ſed illud, eum qui ſedeat ſcribere, cùm præſertim non omnis ſcribat qui ſedet. Ita fit ut diſſoluat argumentum is qui falſi cauſam tollit, & explicationem intelligit is qui cauſam argumẽtationis cognouerit. quẽadmodum in ijs quæ falsò & uitioſe deſcribuntur, contingit. Neq; enim ſatis eſt reſiſtere, etiã ſi falſum ſit quod refellitur, ſed etiam cur falſum ſit docendum eſt. Sic enim utrum occurrendo ratione & conſilio ductus nécne ſit, intelligetur.

## CAP. III.

IMpediri autem argumentatio poteſt ne concludatur, quatuor modis. Primũ id ex quo falſum eſt, refellendo. Secundo, occurrendo ei qui quæſtionem ponit. Sæpe enim non explicato & diſſoluto argumento, tamen is qui rogat, progredi non poteſt longius. Tertio refellendo rogatum. Fit enim interdum, ut ex ijs quæ quærũtur non quod uolumus cõſequamur, propterea quòd uitioſe quæſtio ponitur: quibuſdam autem poſitis & conceßis efficiatur cõcluſio. Ac ſi ultra progredi is qui rogat non poteſt, occurſum erit roganti: ſin poteſt, rogato. Quartum genus reſiſtendi, & deterrimũ id eſt, quod ad tempus refertur. Nonnulli enim in refellendo ea afferunt quæ ad differendum plus temporis deſyderant, quàm diſputandi conſuetudo. Ac reſiſtendi quidem quatuor, ut dixi genera ſunt. Sed prima una ex omnibus explicatio eſt, cætera impedimenta ſunt quædam concluſionum. Reprehenſio autem argumentationis non eadem ex eius natura & ex interrogandi ratione naſcitur. ferè enim fit culpa eorum qui rogantur,

ut non

ut non recte tractetur argumentatio, quòd non concedant ea quæ magnam facultatẽ ſuggerant ad id efficiendũ quod quæritur. Neque enim in alterutro ſolum poſitum eſt, ut cõmunis res rectè ad finem exitumq́; perducatur. Quapropter interdum qui aliquid reſpõdet, refellẽdus eſt neceſſariò, non ipſum propoſitũ: tum deniq; cum is qui quæſtionẽ poſcit instructus calumnijs, paratus uenit ad cõtradicendũ. Ita iniquos ſe præbentes, diſputationes non dialecticas, ſed cõcertationũ plenas inſtituunt & inuehunt. Et quoniam exercitationis approbationiſq; cauſa, non eruditionis, hæ tales diſputationes cõparatæ ſunt, profectò non modo uera, ſed etiam falſa concludenda ſunt: nec ex ueris ſemper, ſed interdum etiam ex falſis. Nam & plerunq; uero poſito, is qui cõtrà diſputat refellere debet, ut ſint proponenda falſa: & falſum quod poſitum eſt, interdum falſis euerti tollique debet: cum præſertim nihil prohibeat falſa alicui magis quàm uera probari. Ita ſi ex ijs quæ illi probãtur, progrediatur argumẽtatio, facilius aſſentietur, non adiuuabitur. Sed omnes debent, qui aliò diſputationem rectè traducere & trahere uolunt, ut geometra geometricè, ſic dialecticè, non pugnaciter traducere, ſiue falſum, ſiue uerum ſit id quod concluditur. Quæ autem ſint dialecticæ ratiocinationes ſuprà expoſitum eſt. Vt autem in rebus uſuuenit, ut ſocius iniquus & ſceleratus ſit is qui rem communem impedit: ſic in diſputationibus in quibus etiam cõmune quiddam propoſitum eſt utrique, præter quàm ijs qui certandi ſtudio diſputant. Neque enim utrique eorum licet eundem finem conſequi, præſertim cũ plures uno uincere non poſint. Vtrum autem in reſpondendo, an in rogando, id efficiant nihil intereſt. Nam & qui certandi ſtudio rogat, uitioſe & præpoſterè diſſerit: & qui reſpondendo non concedit, neque dat quod uidetur probabile, neque inducit in animum audire quid tandem uelit is qui ponit quæſtionem. Ex quo perſpicuum eſt, non



non eodem modo argumentationem, ſi per ſe conſyderetur, reprehendendam eſſe, & eum qui eam rogando tractat. Nihil enim prohibet, uitioſam argumentationem eſſe, cum interim is qui quæſtionem ponit, quàm poterit accõmodatiſsimè, cum eo qui reſpondet diſputabit. Nam ſi res ſit cum difficilibus & proteruis, non poteſt profectò ſtatim quas quiſque uelit, ſed quas poſsit, tractare per ratiocinationem argumentationes. Quoniam autem incertum eſt, quando contraria homines ſumunt, & quando id quod principio ſumptũ eſt, (ſæpe enim ipſi ſecum & ſoli cum aliquid loquuntur, repugnantia dicunt, negatóque eo quod prius eſt, concedunt poſterius. Itaque cum rogantur, ſæpe repugnantia, & quod primo loco propoſitum eſt concedunt) eo uitioſas argumentationes neceſſe eſt effici. Culpa eſt iſta eorum qui reſpondent, qui quædam non concedunt, alia ei uſdem generis concedunt. Ex quo etiam perſpicuum eſt, non eodem modo refellẽdos eſſe eos qui quæſtionem ponunt, & ipſam argumentationem. Argumentatio autem quinque modis reprehendi ſolet. Primo, cum ex ijs quæ rogata ſunt & quæſita, nihil concluditur omnino, nec quod ad rem pertineat, quòd falſa ſint, uel non probabilia omnia, aut certè plurima eorum ex quibus concluſio efficitur: & quòd nec detractis quibuſdam, nec additis, nec alijs detractis, alijs additis efficitur concluſio. Secundo, ſi tractetur per ratiocinationem, quæ ad rem nõ pertineat, ex ijs argumentatio, & ita ut ſuprà dictum eſt. Tertio, ſi additis quibuſdam conficiatur ratiocinatio, ſed quæ deteriora ſint quàm quæ rogata ſunt, minúſque probabilia concluſione. Quarto, ſi detractis quibuſdam, idem contingat. Interdum enim plura ſumuntur quàm neceſſe eſt, ut non ex eo quia hæc conceſſa ſunt efficiatur concluſio. Poſtremo ſi ex minus probabilibus, & credibilibus efficiatur, quàm ſit concluſio: aut ſi ex ueris, ſed quæ difficilius & maiore negotio, quàm id quod quæritur, oſten

di poſſunt. Neque uerò id poſtulandum eſt, ut omnes quæ de
propoſito inſtituuntur, æquè probabiles ſint ratiocinatio=
nes, & æquè ualeant ad faciendam fidem. Eorum enim quæ
exquiruntur partim prima facie faciliora ſunt natura ſua,
partim difficiliora ut ſi quibuſcunque probabilibus poſſint
concludentur, rectè concluſa uideantur. Perſpicuum eſt igi-
tur, non eodem modo argumentationem refellendam eſſe,
cùm ad quæſtionem refertur, & cùm per ſe exquiritur.
Nihil enim prohibet argumentationem per ſe uitioſam eſſe,
quæ ſi ad quæſtionem referatur. uera erit: uiciſſimque uera
per ſe conſyderata, cum quæſtione collata, uitioſa eſſe po=
teſt: cùm facile eſt ex multis probabilibus & ueris eſſe con=
cluſionem. Fit autem interdum, ut argumentatio etiam quæ
concludit, ea quæ non concludit ſit deterior, cum illa ex ijs
quæ minus probantur concludit, nec ex eo genere quæſtio
eſt: hæc autem talia requirit, quæ probabilia & uera ſint,
nec ex ijs quæ aſſumpta ſunt, argumentatio eſt. Neque ue=
rò ij qui ex falſis uerum concludunt, iure reprehendi poſſunt,
cùm præſertim & neceſſe ſit ſemper falſum ex falſis, & li=
ceat interdum uerum ex falſis cõcludi. quod ex ijs libris quos
de iudicio ſcripſi, perſpici poteſt. Cùm autem argumentatio
quæ expoſita eſt, alicuius rei demonſtratio erit, ſi qua ſit alia
propoſitio quæ cum concluſione nullam habeat coniunctio=
nem, ex ea non efficietur concluſio: Sin ſpeciem præ ſe ferat
coniunctionis, fallax erit concluſio, non neceſſaria. Eſt etiam
φιλοσόφημα, ratiocinatio neceſſaria. Epicherema autem ra=
tiocinatio probabilis. Sophiſma autem ratiocinatio pugnax.
ἀπόρημα ratio in utranque partẽ diſſerendi. Quòd ſi utraq;
propoſitione probabili aliquid oſtendatur, neq; æquè probẽ=
tur, nihil prohibet id quod demonſtratum eſt, magis quàm u=
tranq; probari. At ſi una ſit probabilis, altera neutro modo:
aut ſi hæc probetur, illa non probetur: ſi æquè, tum æquè, &
non



non æqualiter quod demonſtratione concluditur, probabitur:
ſin altera magis probetur, magis etiam probabitur. Atque e=
tiam in tractandis argumentationibus per ratiocinationem
peccatur, cùm aliquid pluribus oſtenditur, quod paucioribus
poteſt, quæ etiam in argumentatione reperiuntur. Cuius ge=
neris illud eſt quod ſumitur ad probandum, opinionem aliam
alia uerius dici opinionem. Si quis uelit & poſcat hanc enun=
ciationem. Ipſæ res ſingulæ ſunt maximè. Sunt autem res opi
nabiles ipſum quod uerè eſt. Sunt igitur illæ res quæ ipſæ
ſunt, aliquibus uerius. Quod autem ex eo nominatur quod
magis & uerius eſt, ipſum magis eſt, & uera eſt etiam ipſa
opinio, quæ quibuſdam certior eſt. Atqui hæc duo placuerũt,
& ipſam opinionẽ ueram eſſe, & ipſas res ſingulas eſſe maxi
mè. Ita ea opinio quæ ueriſſima eſt, certior erit. Sed quod ui=
tium in hac eſt ratiocinatione. An ob eam cauſam quòd facit
ut cauſa ex qua ratiocinatio conficitur ignoretur? Argumen
tatio autẽ perſpicua eſt uno modo, qui maximè in populi ore
uerſatur, cùm ita concluſa eſt, ut iam nulla ſit opus interroga
tione. Altero, qui etiam crebris uſurpatur ſermonibus, cùm
ſumpta ſunt ea, ex quibus eſſe neceſſe eſt quod concludi=
tur, ſint autem ea ex alijs concluſionibus collecta. præterea
ſi quid prætermiſſum ſit quod ualde ſit probabile. Fal=
ſa autem dicitur quatuor modis: & cùm uidetur conclude=
re, neque concludit, quod uocatur concluſio, & ratiocina=
tio ad concertationes ſpectans: & cùm efficit illa quidem
aliquid, ſed quod minus ad rem pertineat: quod ijs contin=
git maximè, quibus incommodo alij urgentur: aut aliquid
concludit, quod ad id quod agitur pertinet, ſed non pro=
pria accommodatáque ratione, id eſt, ſi ea quæ non eſt
medicinæ propria, uideatur medicinæ eſſe: aut geometra=
rum, quæ non eſt: aut Dialecticorum quæ non eſt, ſiue ue=
rũ, ſiue falſum ſit quod efficitur. Alio modo falſa eſt argumẽ=

tatio, cum ex falſis concludit. cuius generis erit alia falſa, alia uera cõcluſio. Nam & falſum ſemper ex falſis, & uerum interdum ex falſis, ut ſuprà dixi, concluditur. Ac oratio quidem quòd falſa ſit, culpa eſt eius qui argumentationem tractat potius, quàm argumentationis. Nec uerò culpa eſt ſemper diſputantis, ſed tum denique cum falſam ſe aliquam argumentationem tractaſſe ignorat. quandoquidem falſam orationem & propoſitionem per ſe quidem magis quàm multas ueras approbamus, dum ijs quæ maximè probãtur, aliquid eorum quæ uera ſunt ipſa refellit. (Nam cùm ſit eiuſmodi, tamen uerorũ neceſſaria concluſio eſt,) quippe cùm aliquid eorum quæ poſita ſunt, abeſſe debeat omnino, ut id demonſtretur. Si uerò falſis & ualde abſurdis uerum concludat argumentatio, multo certe deterior ijs futura eſt quæ falſum concludunt. Cuius generis argumentatio, etiam falſum concludere poteſt. Perſpicuum eſt igitur primum uidendum eſſe, an concludat argumentatio: deinde, uerúmne an falſum: tum ex quibus. Nam ſi ex falſis, ſed quæ probabilia ſint, Dialectica erit: ſin ex ueris, ſed quæ non probentur, uitioſa: ſi & falſa & quæ ualde improbentur, profecto uitioſa erit, aut omnino, aut in re de qua agitur. Quemadmodum autem is qui quæſtionem ponit, id quod initio propoſitum eſt, & contraria petat, ad ueritatem expoſitum eſt in ijs libris quos de iudicio ſcripſimus, quẽadmodum ad opinionem nũc dicendum eſt. Petendi autem id quod initio dictum eſt, quinque ſunt genera. Primum & clariſsimum, ſi quis id petat, quod eget probatione: quod quidem in eadem re non facilè ignoratur: ſynonymis autem iiſque omnibus, quorum nomen & definitio idem declarant, magis. Alterum, cùm id quod ſigillatim demonſtrari debet, omnino & totum aliquis petit. ut ſi quis probans, contrariorum quæ aduerſa dicuntur unam eſſe artem, petat, contrariorum omnino unam eſſe. uidetur enim quod per ſe

prob



probari debeat, id unà cum alijs pluribus petere. Tertium, ſi quis ſigillatim petat, quod propoſitum eſt ad demonſtrandum omnino. ut ſi omnium aduerſorum eſſe propoſitum ſit, aliquorum petat. Nam uidetur hic etiam quod cum multis erat docendum, id petere per ſe ac ſeparatim. Rurſus, ſi quis adhibita diuiſione, id de quo agitur petat. ut ſi demonſtrandum ſit, medicinam eſſe ſalubrium & contrariorum, ſeparatim petat utrunque: aut ſi quis alterum petat eorum, quorum alia alijs conſequuntur neceſſariò. ut latus cum diametro componi nõ poſſe, cùm probandum ſit, diametrum cum latere poſſe. Contraria etiam tot modis, quot ea quæ initio dicta ſunt petuntur. Primum, ſi contraria petat, aientia & negantia. Secundò, ſi contraria ex oppoſitione, ut bonũ & malum eſſe idem. Tertiò, ſi quis omnino & totum ſumpſerit, & in parte petat quod repugnat. ut ſi quis hoc ſumpto, aduerſorum unam eſſe artem, petat ſalubrium & inſalubrium aliam artem: aut ſi hoc poſteriore petito, de toto genere repugnantiam ſumat. Rurſus, ſi quis contrarium petat eius, quod ex poſitis & conceſsis efficitur neceſſariò. Itẽ ſi quis contraria ipſa nõ ſumat, duo autem petat eiuſmodi, ex quibus repugnantia ſequetur. Sumere autem contraria & petere id quod initio poſitum eſt, hoc differunt, quòd huius error in concluſione incidit. (illud enim ſpectantes peti id dicimus quod initio poſitum eſt) contraria autem in propoſitionibus cernuntur, quòd inter ſe quodam modo affectæ ſunt. Vt autem exercitatio & meditatio in argumentationibus eiuſmodi paretur, primum aſſueſcendum eſt argumẽtationes conuertere. Sic enim maior nobis ad diſputandum argumentorum ſuppetet copia, & in paucis multas argumentationes tenebimus. Conuertere enim eſt, unum eorum quæ data ſunt refellere, commutata cum reliquis interrogationibus concluſione. Nam ſi tollatur concluſio, una aliqua propoſitio tollatur neceſſe eſt: ſi quidem

poſitis ijs omnibus neceſſe ſit concluſionem effici. Ad omne uero propoſitum multum ualet, in hanc, an illam partem argumentum firmum ſit uidere, & inuenta eius explicatione, illico quæſtionem ponere. Sic enim fiet, ut ſimul & in quærendo, & in reſpondendo exercitati ſimus, ſi nemo alius ſit quo cum diſputemus conferamusq; hæc ipſa: at certe nobis uiciſsim per nos & nobiſcũ licebit, qua exercitatione ad omnem quæſtionem argumenta deligemus. Hoc enim & ad cogendum, & ad refellendum multum ualet, cũ alicui magna argumentorum copia in utranq; partem diſſerendi ſuppetit. Nam ad contrarias partes fiet tutior: poſſeq; antè perſpicere, & perſpexiſſe, quid utranq; quæſtionem & cauſam ſequatur, non paruum adiumentũ adfert ad cognitionem, philoſophiæq; rationem. Relinquetur enim, ut eorum rectè alterum ſequamur. Sed ad id efficiendum ingenio opus eſt: uerumq; ingenium & indoles in eo eſt, ut poſsis uerum rectè ſequi, & declinare falſum: quod quidem ij quibus acumen ingenij & indolem natura largita eſt, præclarè efficere poſſunt. Cùm enim amant & oderunt, quod affertur & proponitur, uere de eo quod præſtantiſsimum eſt, iudicant. Cùm uero ad quæſtiones, quæ ſæpiſsime in diſputationem incidunt, parati & inſtructi argumentorum copia uenire debemus, tum maximè ad eas quibus capita prima propoſita & quæſtiones generales diſputantur. quoniam in his ferè ij qui reſpondent nõ habent quod dicant. Iam definitionum nobis magna uis ſuppetere debet, eáſque in promptu habere debemus maximè, quibus ea quæ probantur & prima & perſpicua declarantur, cum præſertim ex ijs ratiocinationes conſtent. Danda eſt etiam opera, ut ea in quæ alia argumenta incurrunt teneamus. Vt enim in Geometria utile eſt elementa & initia exercitatione parata & meditata habere: & in numerorum ratione, prima quaſi capita in promptu habere, magnáque





in hoc ipſo uis eſt, ut alium etiam numerum multiplicatum cognoſcant: ſic in argumentationibus principia tenere, & propoſitiones in ore habere. Quemadmodum enim in ea parte in qua memoriæ ſedes eſt, loci collocati & diſpoſiti, ſtatim faciunt ut redeant res nobis in memoriã: ita hæc ipſa magnam nobis ad diſſerendum copiam ſuggerent, quòd loci ipſi certi ſint, quos ſpectemus. Sed locus communis potius quàm ratiocinatio, memoriæ mandandus eſt, quippe cum difficile ſit, mediocrem principiorum & propoſitorum uim ac numerum ſuppetere. Præterea argumentum unum in multa diſtribuere, aſſueſcendum eſt nobis: ita tamen, ut id obſcuriſsime facere uideamur. Quod ita fiet, ſi quis longiſsime aberret à uicinitate eorum de quibus agitur. Ea autem argumenta in hoc genere plurimum ualebunt, quæ de toto genere id maxime efficere poſſunt. Cuius generis illud eſt, Non eſſe unam multarum rerum artem. Eadem enim ratio eſt eorum quæ cum aliquo conferuntur, & contrariorum quæ aduerſa dicuntur, & coniugatorum. Atq; etiã ad uniuerſi generis quæſtionem reuocari debet diſputatio, etiam ſi in parte ſit tractata. Sic enim ex una multas etiam facere licebit. Quod explicari in arte Rhetorica de enthymematibus eodem modo iudicandum eſt. Idémq; conferre ſe ſæpiſsimè ad uniuerſi generis quæſtionem debet, ex qua concluſionem eliciat. Videndum eſt etiam ſemper, ut de pluribus rebus communibus tractetur oratio. Omnis enim quæ de parte, etiam de uniuerſo genere exponetur, inéſtque in priuata & ſingulari cauſa uniuerſi generis expoſitio & demonſtratio. quòd ſine uniuerſi generis locis nihil concludi poteſt. Vſus autem argumentationum earum quæ per inductionem tractantur, ad adoleſcentes & ignaros: earum quæ per ratiocinationem, ad peritos transferri accommodarique debet. Enitendúmque eſt, ut ab ijs qui argumentationes per ratiocinationem tractare poſſunt,

*locos & propoſitiones, ab iјs qui per inductionem, ſimilitudinum collationes comparationéſque accipiamus. Sunt enim utrique in hoc genere exercitati. Omnino is qui exercitationis gratia diſputat, conari debet, uel ratiocinationẽ de re aliqua afferre, uel explicationem, uel propoſitionem, uel argumento reſiſtere, ſiue quis rectè ponat quæſtionem, ſiue non rectè ipſe, aut alius, & qua de cauſa utrunque ipſi efficiant. Ex his enim hæc tota ratio & facultas conſtat, exercitatio autem facultatis gratia ſuſcipitur, eius præſertim quæ in proponendo aliquid, & reſiſtendo argumentis cernitur. Dialecticus enim inſtructus paratúſque eſt & ad proponendum quid, & ad reſiſtendum. Eſt autem proponere unum facere ex multis. quandoquidem unum omnino ſumi debet ad id de quo agitur: reſiſtere uerò, multa ex uno. aut enim diſtinguit, aut euertit, cùm ex iјs quæ propoſita ſunt, hoc concedit, illud non concedit. Quoniam autem uitioſæ & iniquæ diſputationes cum quibuſdam futuræ ſunt neceſſariò, nec cum quouis diſputationes inſtituere, nec quemlibet in ſocietatem exercitationis recipere debemus. Itaque conſuetudo eius uitanda eſt, qui hoc unum agit, hoc conatur, ut ſe oſtentet in diſputando. Et quanquam æquum eſt omnino diſputare, tamen non ſemper decet. Quocirca non temerè cum quibuſuis exercitationis cauſa conſidendum eſt. hinc enim maledicta, hinc contumeliæ, hinc iracundæ contentiones, cõcertationéſque naſcuntur. Neque enim fieri poteſt, ut qui unum in locum diſcendi, exercendæq; artis gratia conueniunt, ſine concertationibus diſputare deſinant. Atque ut finem dicendi faciam, parata & expedita argumenta nobis eſſe debent ad eiuſmodi quæſtiones, quorum quo minor copia ſuppetet, eo ad plura ualebunt. quo ex genere ſunt & ea quæ per uniuerſi generis quæſtionem fuſa ſunt, & ea quorum ex tempore difficilior ſuppeditatio & inuentio eſt.*





# ARISTOTELIS DE REPREHENSIONIBVS fallacibus & captioſis liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

## CAP. I.

DE *reprehenſionibus fallacibus, iiſq; quæ reprehenſionis ſpeciem præ ſe ferunt, quũ captiones ſint, non reprehenſiones, hoc ego ſermone dicere inſtitui. In quo à primis & elementis, naturæ ordinẽ ſecutus, ordiar. At illud quidẽ perſpicuum eſt, alias eſſe ratiocinationes, quæ uerè proprieq; dicantur: alias, quæ illarũ ſpeciẽ & ſimilitudinem imitentur. Quod quidẽ ut in cæteris rebus, ſic in ſermonibus propter ſimilitudinẽ ſolet cõtingere. Vt enim in aliјs hominibus uera corporis cõſtitutio ineſt, in aliјs eius imago ac ſpecies, ꝙ ordinis ſui more ſe ipſi inflãt & cõparãt, quorum illis elegantẽ honeſtamq; faciem forma, his fucus largiatur: ſic in rebus inanimis contingit, quarũ partim argentũ ſunt reuera, partim aurũ: aliæ non propriè uereq; dicũtur, iudicio tamen ſenſus uidentur. qualia ſunt lithargyrina & ſtannea, quæ argentea: & felle infecta, quæ aurea uidẽtur. Eadẽ eſt ratio ratiocinationis & reprehenſionis, quarũ alia uerè dicitur, alia*

non: ſed quædam illius: quod ignaros decipiat, ſpecies ac ſimulatio. Imperiti enim res ueluti de lõginquo proſpiciũt. Ratiocinatio enim eſt ex nõnullis, quibus poſitis, aliquid aliud præter ea quæ poſita ſunt, ex his ipſis neceſſariò efficitur. Reprehenſio autem ratiocinatio eſt cum oratione cõtraria concluſionis. Aliæ autẽ id non efficiũt, & tamẽ efficere uidẽtur, idq́; multis de cauſſis: quarũ quæ nominibus fit, ea fucata eſt & maximè popularis. Nam quoniã non licet nobis unà ferre nobiſcum ipſas per ſe res de quibus diſputemus, utimurq́; pro rebus uerbis, quaſi quibuſdã notis, quod in uerbis incidit, idem in rebus euenire exiſtimamus. quemadmodum in calculis uſuuenit ijs qui rationem ſubducunt. Quanquam non eſt eadem huius rei uerborumq́; ratio: propterea quòd nominum certus eſt numerus, orationumq́; definita copia: rerum autem numerus eſt incertus. Ita eadem oratio, unũq́; uerbum multa declarat neceſſariò. Vt igitur illic à peritis falluntur ij qui rationes ſubducere neſciunt: ſic in diſputationibus ij qui uerborũ uim ignorant facilè, & cum ipſi diſputant, & cum alios diſputantes audiunt, falluntur atq; capiuntur. Atque hæc quidem cauſa eſt, aliæq́; permultæ quas exponemus, ex quibus ficta & ſimulata nata ratiocinatio & reprehenſio eſt.

## CAP. II.

QVando autẽ quibuſdã utilior & melior eſt ſapiẽtiæ opinio, ipſa ſapiẽtia detracta opinione (eſt enim Sophiſtice ſimulachrũ ſimulatioq́; ſapiẽtiæ, nõ uera ſapientia: & Sophiſtes is qui ſimulatione ſpecieq́; ſapientiæ, nõ uera ſapiẽtia quæſtũ facit) profectò hi tales homines fateantur neceſſe eſt, malle ſe uideri ſapientis fungi officio, quàm fungi nõ uideri. Eſt autem eius qui ſingularũ rerũ ſcientiã tenet officiũ, ijs in rebus quas quidẽ cognitas meditatáſq; habeat, nec fallere, nec decipere, alteriúſq; nodos & captiones indicare poſſe, quorũ hoc in eo poſitũ eſt ut rationẽ reddere: alterũ in eo, ut exigere poſſ



re poſſis. Quocirca qui ſophiſtæ eſſe uolũt, eos neceſſe eſt genus harum diſputationum exquirere & adipiſci. eſt enim in promptu. quandoquidem hac ipſa facultate, id quod uolũt, ſapientiæ ſimulachrum aſſequentur. Illud igitur perſpicuũ eſt: tale genus eſſe diſputationũ, eamq́; uim & facultatẽ eos expetere quos ſophiſtas uocamus. Deinceps ſequitur, ut quot genera ſint diſputationũ captioſarũ, quotq́; ex partibus hæc ipſa conſtet facultas, & quot ſint noſtri inſtituti partes, & de ijs quæ ad hanc artẽ pertinent, diſſeramus. Sunt igitur diſputationum genera quatuor. Aliæ enim ad docendum, aliæ ad diſſerendũ ualent, partim tentandi & experiundi, partim ſtudio certandi inſtituuntur. Sermones ad docẽdũ cõparantur ij, qui ex proprijs ueriſq; initijs artiũ omnium, non ex reſpondentis arbitrio ſententiaq́; concluduntur. Debet enim is fidem adhibere qui diſcit. Ad diſſerendũ autem ualent ij qui ex probabilibus aliquid cõtrà quàm dictũ eſt, efficiunt. Tentandi autem experiendiq́; gratia ſuſcipiuntur ij, qui ex ijs concludunt quæ probat is qui reſpondet, quæq́; tenere debet neceſſariò is qui ſibi artem arrogat. Quo de genere alio loco diximus. Certandi autem ſtudio adhibentur, qui ex ijs quæ probabilia uidentur nec ſunt, aliquid concludunt, aut ij qui ſpeciem præ ſe ferunt concluſionis. Ac de ijs quidem qui ad docendum demonſtrandúmq; cõparãtur in Analyticis diſſeruimus: de ijs autem quæ ad diſſerendum & tentandũ, in ſuperioribus. de ijs quæ certandi ſtudio, nunc dicendũ eſt.

## CAP. III.

SEd primum intelligendũ eſt quot propoſita ſint quæ aſſequi nitũtur ij qui certandi uincendiq́; ſtudio diſputãt. Sunt autẽ numero quinq;: reprehẽſio, falſum, admirabile & cõtra opinionẽ, ſolœciſmus, & quintũ, facere ut nugetur is qui contrà diſputet. quod in eo poſitũ eſt, ut ſæpe idẽ iterare cogatur: aut quod nõ eſt quidẽ, ſed ſpeciẽ quãdã præ ſe fert illorum omniũ. Volũt primũ illi quidẽ ac maximè uideri coarguere eos

qui

qui contrà diſputant. deinde falſum aliquid oſtendere, tum ad aliquid quod eſt contra opinionẽ omniũ cõpellere, tũ ad ſolœciſmũ impellere, id eſt, facere ut barbarè loquatur ex diſputatione is qui cõtrà diſputat. poſtremũ omniũ idem ſæpe dicere. Genera autẽ coarguendi & reprehẽdendi ſunt duo. Aliæ enim reprehenſiones in uerbis ſunt, aliæ in rebus. Eorũ quæ in uerbis ſpectantur, & falſam ſui ſpeciẽ exhibent, ſex genera ſunt: homonymia, ambiguitas, adiũctio, diſtinctio, accẽtus, forma orationis. Atq; illud & inductione & ratiocinatione, ſiue alio aliquo argumẽto doceri poteſt, tot nos modis iiſdẽ uerbis & orationibus non eaſdẽ res ſolere declarare. Ex homonymia autem captiones ducũtur hoc modo: Qui ſciũt, diſcunt. quæ enim memoriæ prodita ſunt, diſcunt grãmatici: Diſcere enim homonymũ eſt. nam & ſcire is dicitur qui doctrina utitur, & is cui ars traditur. E iuſdẽ generis illud eſt, mala eſſe in bonis. quoniã quæ oportet facere bona ſunt, & mala oportet facere. Dupliciter enim oportere dicitur, quod neceſſariũ eſt, id quod etiã in malis ſæpe cõtingit, propterea quòd malũ aliquod neceſſariũ eſt: & bona oportere fieri dicimus. Simile illud eſt etiã, Eundẽ ſedere & ſtare, ægrotare & ualere. Qui enim ſurgit ſtat, & qui curatur ualet. Atqui ſurgit is qui ſedet, & curatur qui ægrotat. ſed ægrũ aliquid facere aut pati & accipere, non unũ aliquid declarat: uerùm interdũ eũ hoc tempore ægrotare, aut ſedere, interdũ eũ antehac ægrotare, & tamẽ uerũ eſt eũ curatũ eſſe qui ægrotat, at ualere nõ cum ægrotat, & ægrotare non nũc quidẽ, ſed prius. Ex ambiguitate hoc modo, Velle me hoſtes capere. Et, nũ quod quis cognoſcit id cognoſcit? fieri enim poteſt, ut & is qui cognoſcit, & id quod cognoſcitur pro eo qui cognoſcit, hac oratione exponatur. Cuius generis eſt illud, Nũ quod quis uidet, id uidet? columnã autẽ uidet, uidet igitur colũna. Item illud, An quod tu ais eſſe, id tu ais eſſe? ais autẽ lapidem eſſe, tu igitur lapidem

eſſe



eſſe te ais. Et, liceátne σιγῶντα loqui? Ambiguum eſt enim etia σιγῶντα dicere, ut & eum qui dicit, & ea quæ dicuntur, tacere intelligamus. Sunt autẽ tria genera eorũ quæ per homonymiã & ambiguitatẽ fiunt. Vnũ, cum oratio uel uerbum aliquod propriè multa ſignificat, ut aquila uel canis. Alterũ, cùm ſoliti ſumus ita dicere. Tertium, quando coniuncta uerba multa ſignificãt, ſeparata unũ. quale eſt ſcire literas. utrunq; enim & ſcire, & literæ, fortaſſe unũ aliquid per ſe ſignificat, coniuncta autẽ plura, aut ipſas literas habere ſcientiã, aut alium habere literarũ ſcientiã. Ac homonymiæ quidẽ & ambiguitatis genera expoſita ſunt. Ex cõiunctione autem hæ ſunt orationes, hoc modo: ſedentẽ ambulare poſſe, & eum qui non ſcribat ſcribere. Neq; enim idem ſignificat, ſi quis diſtinctione utatur in proferendo, quod ſi coniunctione. ut poſſe eum qui ſedeat ambulare, & eum qui non ſcribat, ſcribere: idem quod ſi quis cum adiunctione dicat, eum qui non ſcribat, ſcribere. Significabit enim eius eam uim eſſe: ut cùm non ſcribit, ſcribere queat. at ſi non adhibeat adiunctionem, eum poſſe, tum cùm non ſcribat ſcribere. Et diſcere hoc tẽpore literas, ſiquidem didicit quæ ſciebat. Et eum qui unum tantummodo poßit ferre, multa ferre poſſe. Ex diſtinctione hoc modo, quinq; ſunt tria & duo, & par numerus & impar. Et illud, Quod maius eſt æquale eſſe, propterea tantum eſt. & eo amplius. Non enim ſemper idem diſtincta, quod coniũcta eadẽ ualet oratio. Cuius generis illa eſt, Ego te feci ſeruũ exiſtentem liberum. Et illa, Quinquaginta uirûm centũ heros liquit Achilles. Accentus autem ratio facit, ut in iis quæ ſcripto non conſtant, qui diſſerunt non facilè ſermonem habere poßint: in iis quæ ſcripto conſtant, & in poëmatibus faciliùs poßint. Quo in genere Homerum nonnulli corrigunt, & defendunt aduerſus eos qui eum coarguunt, quaſi abſurdè dixerit, Hoc quod putreſcit imbre. Quod illi dum accentu diſſoluunt & explicant, quod

acuto

acuto tono aiunt notatũ. Et illud de Agammenonis ſomnio ita explicant ut dicant non ipſum Iouẽ dixiſſe, ſe dare uictoriam uelle, ſed eum ſomnio id dediſſe mandatũ. Ab accentu hæc naſcũtur omnia. Ex forma autẽ orationis eueniũt, cùm nõ idem eodẽ modo exponitur. ut ſi quis uirile nomen pro muliebri dicat, aut muliebre pro uirili, uel quod his interiectum eſt pro altero, aut quantitatẽ pro qualitate, aut qualitatem pro quantitate, aut quod facit pro eo quod patitur, aut quod affectum ſit pro eo quod facit, & ſi qua ſunt alia eiuſdem generis. Licet enim aliquid quod non eſt in ijs quæ faciunt ſic oratione explicare, ut ſi in ijs quæ faciunt eſſet. ut ualere eadem orationis forma qua ſecare, aut ædificare dicitur, cum interim illud quale quid & affectum quodam modo, hoc aliquid facere declarat. Quod eodem modo de alijs iudicandum eſt.

## CAP. IIII.

Ex his quidem locis reprehenſiones eæ quæ ex uerbo exiſtunt, ducuntur. Rerum autem captioſa ſunt genera ſeptem. Vnum ex accidente, alterum cum omnino aut non omnino, ſed quodam modo aut alicubi, aut aliquãdo, aut collatum cum aliquo dicitur: tertium ex reprehenſionis ignoratione: quartum à conſequentibus: quintum ex eius quod initio dictum eſt petitione. ſextum cùm pro cauſſa id quod non eſt cauſſa ponitur. ſeptimum cum rogata plura pro uno proponuntur. Ac ex accidente quidem tum captioſa eſt & fallax concluſio, cùm aliquid eodem modo rei atq; accidenti uolunt cõuenire. Quando enim eidem rei multa accidunt, profectò non eſt neceſſe ea omnia & ijs omnibus quæ dicũtur, & ei de quo dicuntur, conuenire. Sic enim futura ſunt eadem omnia, ut ſophiſtæ contendunt: ut ſi Coriſcus ab homine diuerſus eſt, ipſe à ſe, quia homo eſt diuerſus erit. Aut, ſi Coriſcus alius eſt, alius Socrates, & Socrates homo eſt, Coriſcum ab homine diuerſum aiunt eſſe conceſſum: propterea quòd accidit, ut

dit, ut



dit, ut is ſit homo à quo ille dictus eſt eſſe diuerſus. Ex eo autem quòd hoc uel illud omnino dicitur, aut quodã modo, non propriè, tum captioſum naſcitur genus concludendi, cum id quod in parte dicitur, ut omnino & in totum dictum eſſe ſumitur: ut ſi res quæ nullæ ſunt ſumãtur nõ eſſe opinabiles, & concludantur res quæ nullæ ſunt eſſe. neque enim idem ualet eſſe quadam ex parte quod eſſe omnino. Aut ſi aliquid quod eſt non eſſe ſumatur, quòd rerũ quæ ſunt aliqua, ut homo, non ſit. Neq; enim non eſſe aliquid, idẽ quod non eſſe omnino, efficit. Sed quia uicina ſunt & finitima hæc dicendi genera, eſſe aliqua ex parte & eſſe: item non eſſe, aliqua ex parte & non eſſe, neq; inter ea multũ intereſt, ob eam cauſam idem ualere & efficere uidẽtur. Similis eſt ratio illius generis quod ex his duobus naſcitur, quodã modo, & omnino. ut ſi Indus omnino niger, cãdidis ſit dentibus, ex eóq; albus & non albus concludatur, & ſi utrunq; quodam modo conueniat, ex eo eidẽ contraria conuenire. Atq; hoc quidem genus captioſi argumenti in nonnullis facile eſt perſpicere omnibus: ut ſi quis ſumpto eo, Aethiopem nigrum eſſe, an candidis dentibus ſit, requirat: & abſoluta interrogatione, ſi hac ex parte ſit albus, illud eundẽ nigrũ & non nigrũ eſſe, diſputando effectũ eſſe & concluſum putet. Sunt autẽ quædã in quibus id obſcurum eſt frequẽter, cuius generis ea ſunt omnia, in quibus cùm illud ipſum quodã modo & quadã ex parte dicitur, illud etiã omnino conſequẽs uidetur. Itemq; ea omnia in quibus nõ eſt facile perſpicere, utrum eorũ rectè dandũ ſit. qualia ſunt ea omnia quibus pari iure & æqualiter cõtraria conueniũt. Videtur enim aut utrunque aut certè neutrũ dandũ eſſe dici omnino. ut ſi quid ex dimidia parte ſit albũ, & dimidia altera nigrum, id quæratur album ſit an nigrum. Ea autẽ captioſa argumenta, quæ ex eo oriuntur, quia quid ratiocinatio ſit, quid reprehenſio, non expoſitum ſit, ex prætermiſsione definitionis eueniunt.

Eſt

Eſt enim reprehenſio, oratio contraria unius eiuſdemq́; non uerbi ſed rei: & uerbi non ſynonymi, ſed eiuſdem: quæ quidem ex ijs quæ data ſunt & conceſſa efficitur concluditurq́; neceſſariò, non adiuncto eo quod initiò dictũ eſt, quod eadem ex parte, & in eadem re, eodemq́; modo, & in eodem tempore dicatur. Eodemq́; modo falſum quid de aliquo dici poteſt. Sunt etiam quidam qui alicuius eorũ quæ expoſita ſunt prætermißione, uidentur refellere. ut eandem rem duplã eſſe, & non duplam. duo enim unius eſſe dupla, trium non eſſe dupla: aut ſi eadem res eiuſdẽ dupla ſit & non dupla, ſed non ex eadem parte, ut longitudine dupla ſit, latitudine autem non dupla: aut ſi eiuſdem rei ſit & eadem ex parte, eodemq́; modo, ſed non eodem tempore, ita ſpeciem præ ſe ferunt reprehenſionis. Quod quidem genus ad ea quæ ex uerbo exiſtunt, referri poteſt. Quæ autẽ ex ſumptione & repetitione eius quod initio dictum eſt, eueniunt, totidem modis exiſtunt, quod poteſt repeti id quod initiò dictum eſt. Reprehendere autem in hoc genere uidentur propterea quòd quid idem ſit, quid alterum, non poßit perſpici. Ex conſequentibus captioſum genus reprehendendi ex eo naſcitur, quia retro uicißim conſequens commeare putetur. Quando enim ſi hoc eſt, illud eſſe neceſſe eſt, puta ſi illud ſit, alterum etiam eſſe neceſſarió. Ex quo fallaciæ & captiones quæ in opinione è ſenſu natæ conſidunt, oriuntur: ſæpè enim fel eſſe mel exiſtimamus, quoniam flauus color mel ſequitur. Et quia ſi pluit, ſequitur ut terra madefiat: uicißim ſi madefacta ſit, pluiſſe etiam putamus, quod non eſt neceſſe. In arte autem rethorica argumenta quæ per ſigna tractantur, ſunt ex conſequentibus. Ad probandum enim aliquem adulterum, id quod conſequens eſt ſumunt, eum comptum eſſe, aut cum noctu errantem uideri. quæ quidem in multis reperiuntur: ea autem quæ dicuntur, non item. Quod idem fit in ijs artibus quæ ad concludendum efficiendúmque

ualent



ualent. Cuius generis eſt illa Melißi concluſio, infinitam eſſe uniuerſitatem, aſſumpto illo, uniuerſitatis nullum eſſe ortum. ex eo enim quod non eſt, nihil gigni poſſe: quod autem ortum habuit, ex initio natum eſſe. Si igitur nõ eſt generata, initium non habet uniuerſitas: ita infinita eſt & interminata. Quod certè non efficitur neceſſariò. non enim ſi quicquid natum eſt, id initium habet: idcirco uicißim ſi quid initium habet, etiam natum eſt. ſicut nec ſi qui febre iactatur, calidus eſt: neceſſe eſt eum qui calidus eſt, febre iactari. Reprehenſio autem captioſa ex eo quod pro cauſa id quod cauſa non eſt ponitur. tum exiſtit, cùm id quod cauſa non eſt aſſumitur, quaſi ex illo reprehendendi naſcatur occaſio. quod in ratiocinationibus contingit ijs quibus alij incommodo urgentur: quoniam ijs ipſis neceſſe eſt aliquid eorum quæ poſita ſunt refellere. Si igitur in neceſſarijs interrogationibus ante concluſionem enumeretur id quod efficitur & concluditur fieri non poſſe, ex eo ſæpe naſci uidebitur reprehenſio. ut ſi animus idem quòd uita. Si enim interitui ortus eſt contrarius, etiam alicui interitui ortus aliquis contrarius erit: mors autem quidam eſt interitus, & contraria uitæ eſt: ortus igitur uita eſt, & uiuere oriri. quod fieri non poteſt. Non igitur idem eſt animus quod uita. Ita non effectũ eſt, animũ idem quod uitam eſſe (efficietur enim ac cõcludetur ex eo id quod fieri nõ poteſt, etiam ſi quis neget animũ idem eſſe quod uitam) ſed ſolùm uitã morti, quæ eſt interitus, & interitui ortum eſſe contrarium. Argumenta igitur huius generis non ſunt illa quidem omnino infirma ad efficiendũ aliquid, ſed ad id modò quod poſitũ eſt concludendũ nihil ualent. quod tamen genus latet plerũq; eos ipſos qui interrogant. Atq; ex conſequẽtibus, & ex eo quod pro cauſa, id quod non eſt cauſa, ponitur, quæ argumenta captioſa ducerentur, expoſui. Ex eo autem quòd duæ interrogationes pro una habentur, tum exiſtunt cùm ignorantur multæ eſſe,

& ad eas tanquam una ſit, ſemel reſpondemus. Ac nonnullas quidem interrogationes multas eſſe facilè eſt cernere, neque reſpondendum eſſe cuius generis illa eſt, Sitne terra, mare, an cœlum? In quibuſdam difficilius eſt hoc perſpicere. Nam tanquam una ſit, aut cõcedunt, propterea quòd ad rogatum non reſpondent, aut coargui uidentur. quo ex genere illa eſt, An hic & ille homo eſt? Si quis igitur hunc & illum feriat, hominem, non homines feriet. Item hæc propoſitis multis, quorum partim bona ſunt, partim non bona, ſint ne bona omnia, an non bona? utrumuis enim reſpondeat, uel reprehenſioni cauſam dabit, uel certè id quod perſpicuè falſum eſt, dicere uidebitur. Dicere enim aliquid eorum quæ non ſunt in bonis, bonum eſſe: uel eorum quæ in bonis ſunt, non bonum, falſum eſt. Interdum aſſumptis quibuſdam uera erit reprehenſio. ut ſi quis det eadẽ ratione unum, multáq; dici alba, nuda, & cæca. Si enim cæcum id eſt, quod non deſpicit, & cui naturâ aptus eſt aſpectus: etiam cæca erunt ea quæ ſenſu oculorum carent, qui eis naturâ ſit aptus. Propoſitis igitur duobus, quorum unum uideat, alterum non uideat, utrunq; aut deſpiciet, aut cæcum erit, quod fieri non poteſt.

## CAP. V.

OMnes quidem ratiocinationes quæ propriè ueréq; non dicuntur, ſed has imitantur fallaciter: omnesq́; reprehẽſiones aut in has quas expoſuimus formas tribuendæ ſunt, aut certè omnes ad reprehenſionis ignorationem redigendæ atq; reuocandæ. Nam, ut hinc potiſſimũ exordiar, omnia genera quæ expoſui, ſub definitionẽ reprehenſionis cõcludi licet. Primùm. ſi nihil ualeãt ad efficiẽdũ aliquid, quòd cùm ex ijs quæ poſita ſunt effici debeat concluſio, neceſſariò etiã dici, non uideri dici debent omnia. Deinde ex ſingulis etiam definitionis partibus id perſpici poteſt. Eorum enim captioſorũ argumentorum quæ in uerbo ſpectãtur, alia ex eo quod multis modis dicitur

dicitur



dicitur, ducuntur: ut homonymia, ut ambiguum, ut ſimilis forma. Solent enim hoc uel illud ſignificare omnia. Adiũctio autem & diſtinctio & accentus, quòd non ſit eadem oratio, aut nomẽ quòd differat. Atqui ut res eadem, ſic eadem oratio & uerbum debet eſſe, ſi futura ſit uera reprehenſio aut ratiocinatio. ut ſi hoc concludendum eſt, ueſtem non eſſe tunicam, ſed ueſtẽ. Quanquã enim id uerum eſt, non tamen eſt effectũ. ſed præterea quæſtionem unam quòd idem indicet opus eſt ponere ei qui cauſam requirat. Quæ autem ex accidente ducuntur, definita ratiocinatione perſpici poſſunt. quandoquidem etiam reprehẽſionis eadem debet eſſe definitio, niſi quòd contrariæ orationis nomen addendum eſt. Eſt enim reprehenſio enuntiationis contrariæ concluſio. Quòd ſi accidens non concluditur, non reprehenditur. Non enim ſi his poſitis, illud effici neceſſe eſt: hoc autem album eſt, neceſſe eſt illud album eſſe ex concluſione. Nec ſi triangulus duobus rectis pares habet angulos, ei autem accidit ut forma ſit, aut primum aut principium efficitur ut forma aut initium aut primũ ſit. Non enim quia forma ſit, aut quia principium aut primũ, ſed quia triangulus, neceſſaria fuit concluſio. Eadem eſt ratio cæterorũ. Si igitur reprehẽſio quædam ratiocinatio eſt, nũquã certè reprehẽſio ualebit, quæ ex accidente ducetur. quinetiã ex eo artifices, ac omnino docti ab inſcijs coarguũtur, propterea quòd ad doctos ratiocinationes ex accidente adhibent. At hi quoniã non poſſunt explicare, aut rogati concedũt, aut etiã ſi nõ dẽt, tamẽ ſe dediſſe putant. Quæ uerò ex eo quod ex parte & in totũ dicitur, ſumũtur argumẽta, intelligi poſſunt, quòd non in eodẽ in quo affirmatio, etiã negatio dicitur. Cum enim rei quæ quadam ex parte alba eſt, illa quæ aliqua ex parte non eſt alba, & eius quæ omnino eſt alba, illa quæ omnino nõ eſt alba, negatio ſit: ſi quis det aliquid eſſe quadam ex parte album, & omnino id album eſſe alter accipiat, eius profectò

nulla erit reprehenſio,etiam ſi ignoratione naturæ reprehẽſionis eſſe uideatur. Facillimè autem ex omnibus quæ ſuprà ſunt expoſita,ea quæ reprehẽſionis definitione ſumuntur intelligi poſſunt. itaq; hoc nomen habuerunt. Prætermiſſione enim uerbi aut orationis uidentur eſſe quæ non uerè dicuntur reprehenſiones. Quæ ſi in has partes diſtribuantur,in omnibus hæc ipſa definitionis prætermiſſio communiter & promiſcuè adhibenda erit. Ea etiam quæ ex aſſumptione eius quod initio dictũ eſt,eueniunt, & quòd id cauſa ponitur quod non eſt cauſa,definitione reprehenſionis explicantur. præſertim cùm ob eam cauſam,quia aliqua poſita ſunt, effici concluſio debeat.quod in ijs quæ non ſunt cauſæ, non contingit: & tum ſequi etiam debeat,quum id quod initio dictum eſt, non enumeratur,quam uim non habent ea argumenta captioſa quæ ſunt ex eius quod initio dictum eſt,repetitione. Quæ autem ſunt ex conſequentibus, accidenti quaſi partes ſubijciuntur. Quod enim conſequens eſt, id efficitur & concluditur,ſed ab eo quod concluditur, differt:quòd id quod concluditur in uno ſolo intelligi licet, ueluti quod flauum eſt idem eſt quod mel, & quod album eſt, idem quod cygnus. At quod eſt ex conſequente,ſemper in pluribus cernitur. Quæ enim res idẽ ſunt quod una & eadem aliqua, eſſe eaſdem æquum cenſemus. Ex quo conſequentis naſcitur reprehenſio. Nec uerò id omni ex parte uerè dicitur,ut ſi quid album ſit fortuitò. Nix enim & cygnus idem ſunt quod albũ.niſi fortè id in Meliſſi argumentatione perſpicitur, in qua ſumit & accipit natum eſſe idẽ ualere quod principium habere, aut paria fieri idem eſſe quod eandem accipere magnitudinem. Nam quoniam quod natum eſt principium habet,idcirco id etiam quod initiũ habet uult natum fuiſſe:quaſi hæc duo idem declarẽt,propterea quòd initium habeat, & quod natum eſt & quod finitum ac terminatum. Quod idem in ijs quæ paria fiunt, &

æqua



æqualia,contingit. Si ea quæ unam & eandem magnitudinem ſumunt,paria ſunt:ea etiam quæ paria fiunt,eandem accipiunt magnitudinem.ita ſumit id quod eſt conſequẽs. Quãdo igitur reprehenſio ea quæ eſt ex concluſione in reprehenſionis ignoratione conſiſtit.profectò etiam ea quæ eſt ex conſequentibus:ſed hoc genus aliâs tractabimus accuratiùs. Reprehenſiones autem quæ ex eo oriuntur quòd ex multis una ſit interrogatio,ob eam cauſam eueniũt quòd uim naturámque propoſitionis non explicamus,aut partimur. Propoſitio enim unum de uno enuntiat.quoniã unius ſolius rei & omnino rei una definitio eſt,ut hominis & unius ſolius hominis, cæterarumq; rerum omnium. Quòd ſi una ſola propoſitio unum de uno dicit, omnino etiam propoſitio erit quæ ex hoc genere eſt interrogatio: quumq; ex propoſitionibus ratiocinatio conſtet,reprehenſio autem ſit ratiocinatio,reprehenſio etiam ex propoſitionibus erit.Si igitur unum aliquid de uno enuntiat pronuntiatio, certè ex ignoratione reprehenſionis hæc quoque,quam tractamus, reprehenſio naſcatur neceſſe eſt.quippe quum ea quæ non uerè dicitur, propoſitionis ſpeciem præ ſe ferre uideatur. Quòd ſi quis det reſponſum quaſi una ſit interrogatio, reprehenſioni ueræ locus relinquetur: ſin ſecus,at dediſſe uidetur,falſa erit reprehenſio. Quare hoc quidem confectum eſt, omnia hæc genera in reprehenſionis ignorationem cadere, ac referri: ita tamen ut ea quæ in oratione & uerbis cernuntur, ob eam cauſam referantur, quòd contrariæ enuntiationis & repugnantiæ ſpecies quædam in eis exiſtat,quod reprenſionis eſt proprium, cætera ex ratiocinationis definitione.

CAP. VI.

CAptioſa autem ſunt & fallacia ea quæ ex homonymia & ambiguo eueniunt, tum denique cùm diſtinguere non poſſumus id quod multis modis dicitur. quorundam enim

non eſt facilis diſtinctio & explicatio. cuius generis ſunt, unum id quod eſt, & idem. Quæ autem ex coniunctione & diſtinctione ducuntur, ea captioſa ſunt, propterea quòd nihil intereſſe putatur inter cõiunctam & diſtinctam uerbis orationem, quod in plurimis cernere licet. Similis eſt eorum ratio quæ ex tonis oriuntur. neq; enim aliud contenta aut remiſſa oratio declarare in uno uidetur, niſi quod in pluribus: quæ uerò ex forma dicendi exiſtunt, captioſa ſunt propter ſimilitudinem orationis. Difficile eſt enim quæ eodem modo, quæ alio dicantur, explicare: quandoquidẽ is demum proxime ad ueri cognitionem accedit, qui hoc ipſum præſtare poteſt. idémque annuere & nutu indicare ſolet quod in uno dicitur id omne nos aliquid eſſe exiſtimare, & pro uno accipere ſolere. quod unum & naturam ſingulæ res & id quod eſt ſequantur maximé. Quocirca in ijs quæ ex uerbis exiſtunt, hoc genus ponendũ eſt. Primùm, quòd ſæpius aut facilius falli capiq́; ſolent ij qui inter ſe, quàm qui per ſe ac ſoli diſputant, aut rem aliquam exquirunt & conſyderant. Quæ enim cum alio inſtituitur diſputatio & conſyderatio, in oratione: quam autem ſecum & per ſe quiſq; meditatur, in ipſa potius re cernitur. Deinde tum deniq; falli ſolent ij qui ipſi per ſe de re aliqua exquirunt, quum tractationem & inſtitutum ad orationem ſeu uerba traducunt. Tum autem ſimilitudine & ſpecie ueri fallimur. ſimilitudo autem ex uerbo naſcitur. Quæ autẽ ſunt ex accidente, propterea fallaces ſunt concluſiones, quia quid idem ſit, quid aliud, quid unum, quid multa dijudicare nõ poſſumus. neq; quibus uerbis quæ de aliquo dicantur, nec cui rei hæc omnia conueniant. Quod eodẽ modo de ijs quæ ſunt ex cõſequentibus iudicandũ eſt. Conſequens enim pars accidẽtis eſt. Iã uerò in multis hoc perſpicitur, enũtiaturq́; hoc modo, Si hæc res ab illa nõ diuellitur, nec altera ab altera. Quæ autẽ prætermiſſione definitionis, quæq́; illis duobus dici aliqua

ex par



ex parte & omnino, eueniunt, captioſæ ſunt: quòd aut nulla aut parua eorum uidetur diſtinctio. Quaſi enim nihil efficiat illud quadã ex parte aut omnino aut quodã modo aut nũc, ita omnino concedimus. Similis eſt ratio earum quæ id aſſumunt, quod initio dictum eſt, & quæ non habent uim efficiendi, quæq́; multas interrogationes ex una faciunt. Error enim in his omnibus uerſatur, quòd parua diſtinctio uideatur. neque enim in his ſubtiliter & accuratè, propter eam quã dixi cauſam, propoſitionis ratiocinationiſq; definitionẽ exquirimus.

## CAP. VII.

QVoniam autẽ quot cauſæ concluſiones efficiant eas quæ nõ uerè dicuntur, ſed earũ præ ſe ferunt ſpeciẽ, tenemus, tenemus etiã cauſas fallaciũ & concluſionũ & reprehẽſionũ. Appello autẽ fallacẽ & ſophiſtarũ propriã cõcluſionẽ & reprehẽſionẽ nõ ſolũ cõcluſionẽ ac reprehẽſionẽ quæ non propriè uereq; dicitur, ſpecieſq; eſt modò & ſimulatio ueræ: ſed eã etiã quæ uera eſt, ei rei, de qua agitur, accõmodata eſt, fallaciter. Quo ex genere ſunt eæ quibus ignari nõ in eo quod agitur arguũtur, & docẽtur. qđ rationis tẽtãdi eſt propriũ. Eſt autẽ ratio tẽtãdi pars dialecticæ, quapropter imperitiam eius qui dat cõceditq́; argumẽtũ, falsũ cõcludi poteſt. at uerò ſophiſtæ etſi ratiocinationibus ſuis repugnãtia cõcludũt, tamẽ, ſi fortè alij qui cõtrà diſputãt ignorẽt, minus ea exponũt. quibus argumẽtationibus etiã doctis & peritis tenebras offundũt. Atq; eas nobis eſſe cognitas hac etiã uia & ratione intelligi licet. Nã quibus de cauſis auditores putãt aliqua quaſi rogata ſint, cõcluſa eſſe & effecta, eædem cauſæ ei etiam qui contrà diſputat, concluſionis uidebũtur: ita hæc ipſa uel omnia uel quædam cauſa ſunt, cur falſæ ſint concluſiones. Cui enim quæſtio poſita non eſt, & ſe dediſſe & conceſſiſſe concluſionẽ putat, is ſi interrogatus eſſet, dediſſet: niſi, quod in quibuſdam ferè fit, ut ſimul & antè id quod deeſt interrogemus,

& falſum iudicemus. Quo ex genere ſunt eæ quæ in uerbo & ſolœciſmo uerſantur. Quòd ſi falſæ concluſiones contrariæ orationis & repugnantiæ, ex reprehēſione quæ ſimulata fictaq́; eſt exiſtunt: certè à totidem cauſis concluſiones falſi efficientur, quot habet fallax reprehenſio. Fallax autem partes habet ueræ, uniuſcuiuſq; enim prætermiſsione exiſtet reprehenſio: ut ex eo quod non efficitur oratione & argumentatione, exiſtit argumentatio ea quæ incommodo urget, & ea quæ ex duabus unam interrogationem facit ex propoſitione & ea quæ ex accidente & conſequentibus, quæ pars eſt eius, ſumitur, ex eo quod per ſe & ui ſua conuenit, itēq; ea quæ nō in re, ſed in nomine uerſatur. prætereà ex aliqua parte aut ex omnibus his reprehenſiones uidentur eæ, quæ omnino & totū dicunt, contrariā orationē aut ex eadē parte, & cū eadē re collatū & eodem modo. ea etiā quæ ex eius, quod initio dictū eſt aſſumptione exiſtit, propter eius totius quod initio cōceſſum eſt enumerationē uitioſa eſt. Quapropter quæ ſint falſarū concluſionū cauſæ, intelligemus. nam & plures nō poſſunt eſſe, & eæ quas expoſui, erunt omnium. Sophiſtarū autē reprehenſio nō omnino reprehenſio eſt, ſed contra aliquē tantūmodo: quod eodem modo de cōcluſione iudicandū eſt. Ac ſi nō ſumant eā quæ ex homonymia euenit, unum declarare aliquod uerbū: & eā quæ ex ſimili forma eſt, hoc uel illud ſolū, itemq́; cætera: eæ profectò, nec reprehenſiones, nec ratiocinationes omnino, aut contra eū qui interrogatur, ualebunt. Sin ſumant, contra eum qui rogatur ualebunt, omnino non ualebunt. quandoquidem non id ſumpſerunt, quod unum declarat, ſed quod uidetur, idq; huic ipſi unum aliquid declarare.

## CAP. VIII.

QVot autē cauſas ſibi proponant in reprehēdendo ij qui uerè reprehendunt, nō eſt quòd ſine rerū omniū quæ ſunt, ſciētia ſuſtinere & explicare conemur. Hoc autē nullius artis



artis eſt. quandoquidem incertus & infinitus ſciētiarum numerus eſt: ex quo fit ut etiam demonſtrationū. ſunt etiam ueræ reprehenſiones. Quæ enim monſtrari ac neceſſaria ratione concludi poſſunt, ea omnia etiam refellere ac reprehendere licet, ſi ueri contrariam orationem ponas. ut ſi quis diametron menſura definiri ponat, neceſſaria ratione reprehendi poteſt eā non poſſe. Ita rerum omniū cognitionē teneat oportebit, præſertim cùm reprehēſiones quædā ex geometriæ, aliæ ex medicinæ, nōnullæ ex cæterarū artium initijs, eorumq́; concluſionibus exiſtant. Verū enimuerò falſæ etiā reprehenſiones infinitæ, incertæq́; ſunt. Sua enim ex quaq; arte uitioſa efficitur concluſio: ut ex geometria geometrica: ex medicina medicinæ. Cum autē ex arte dico, ex illius initijs dico. Ex quo perſpicuū eſt, non omniū reprehēſionū, ſed earum modò, quæ ex dialectica petuntur, eſſe ſumendos & explicandos locos. quippe qui ad omnem artem & facultatē pertineant. Ac eam quidem reprehenſionem quæ cuiuſq; artis propria eſt, artificis eſt tenere & cognoſcere, ſiue uerè non dicatur, & tamen eius ſpeciem præ ſe ferat, ſiue uera ſit, & quāobrem: eam autem quæ ex cōmunibus progreditur, neq; ulli certæ arti ſubijcitur, Dialectici. Si enim ex quibus conſtent ratiocinationes probabiles quacunque de re ſint teneamus, ex quibus etiā reprehenſiones proficiſcantur tenebimus. Eſt enim reprehenſio repugnātiæ cōtrariæq́; orationis cōcluſio: ita reprehenſio eſt una aut duæ ratiocinationes cōtrariæ enūciationis. Tenemus ergo ex quibus omnes eiuſmodi exiſtant. Quod ſi tenemus, etiam explicationes tenemus. Eis enim reſiſtere, id demum eas explicare eſt. Dictum etiam eſt ex quibus eueniunt reprehenſiones quæ apparēt & uidētur, non cuiuis, ſed certis quibuſdam. Infinitæ enim erunt ſi quis quibus de cauſis quibuſcunq; uideantur animaduertat. Ergo illud quidem perſpicuum eſt, Dialectici eſſe poſſe explicare quibus de cauſsis ex communi-

bus ſi progrediatur, uera reprehenſio uel ſimulata & ficta, uel dialectica, uel quæ dialecticam fallaciter imitatur, uel quæ tentandi & experiundi ſtudio adhibetur, exiſtat.

## CAP. IX.

NEque uerò captionum ea eſt diſsimilitudo ac diſtinctio, quam aiunt quidam eſſe, alias uerborũ eſſe, alias ſententiarum. Exiſtimare enim captiones quaſdam in uerbis, alias in ſententijs conſiſtere, non eaſdem eſſe, amentia eſt. Quid eſt enim non mentem & ſentẽtiam ſpectare, niſi cum non utitur is, qui interrogare ſe putat, nomine ad id ad quod is, qui rogatus eſt, accommodauit? Atqui hoc ipſum eſt etiam contra nomen diſputare. Ad mentẽ autem & ſententiã dirigere diſputationem eſt, cùm ad id adhibuit nomẽ ad quod retulit intelligentiam & mentẽ is qui reſpondet. Quòd ſi quis nomen quod multa ſignificat unũ declarare putet, & is qui interrogat, & is qui cõtrà diſputat, ueluti id quod eſt & unũ certè multa ſignificant. uerũ & is qui reſpondet, & Zeno ponens quæſtionem unumq́; putans eſſe id quod eſt interrogauit. éſtq; illa cõcluſio, unũ eſſe omnia: is ad nomen uel ad mentẽ eius qui rogatus eſt omnem diriget diſputationem. At ſi quis plura ſignificare arbitretur, profectò non illius ſpectauit ſententiam. primùm enim hæc ipſa duo, de uerbis & ſententia cõtrouerſiam eſſe, in ijs poſita ſunt captionibus quæ multa declarant: deinde in alterutro eorum qui diſputant. Neq; enim in oratione poſitum eſt ad mentem & ſententiam conferre diſputationem, ſed in eo ut is qui reſpondet ad ea quæ dedit quodam modo ſit affectus. tum uerò ad nomen dirigi hæ omnes poſſunt, quoniam nomen hoc loco eſt non ſententiã ſpectare. ſi enim non omnes ſint, certè aliæ erunt quæ nec ad nomen nec ad ſententiã conferentur. Hi autem omnes ita diſtribuunt, ut alias ad nomen, alias ad mentẽ ſententiámq; referant, alias non item. atqui ex ratiocinationibus quæ ex ijs conſtãt quæ ambigua ſunt, quæ-

dam



dam uerborũ ſunt ratiocinationes & captiones. abſurdũ eſt enim non omnes quæ uerborũ ſunt, dicere ad nomẽ pertinere. Atqui ſunt captiones quædam non ex eo quòd is qui reſpondet ad eas quodam modo affectus eſt, ſed quòd ipſa argumentatio interrogationem cõplectitur eiuſmodi quæ multa declaret. Omninoq́; perabſurdum eſt de reprehenſione antè, quàm de ratiocinatione diſputare. cùm enim reprehenſio repugnantiæ ſit ratiocinatio, fit ut de ratiocinatione prius quàm de falſa reprehenſione diſſerendum ſit neceſſariò. Eſt enim reprehenſio talis, ficta & ſimulata concluſio repugnantiæ. Itaque uel in concluſione uitiũ eſt, uel in contraria enunciatione (addenda eſt enim contraria oratio) uel in utraq; ſi ficta fuerit reprehenſio. Eſt autem huius captionis σιγῶντα loqui in contraria oratione, non in cõcluſione: illius uerò, quæ non habet quis ea dabit, in utraq;: illius, Homeri poëma formã & figuram propter circum, in concluſione. Quæ autem ratiocinatio in neutro uerſatur, ea demũ uera eſt. Sed unde fluxit eò ſe referat oratio. Illud igitur quæro, eæ ratiocinationes & captiones quæ in Mathematicorum diſciplinis uerſantur, num ad ſententiã referantur, nécne. Illud etiã requiro, ſi cui triãgulus multa ſignificare uideatur, atq; is dederit eum duos angulos pares habere, non qua ex parte hanc figuram concludit, alter duos angulos rectos habere: num ad ſententiam alterius hic argumentationẽ direxerit, nécne. Iam ſi nomen multa ſignificet, unúſq; neq; intelligat, neq; putet: quî alter cõtra eius ſententiam diſputauit? aut quo tandem pacto ponenda quæſtio eſt niſi diuiſionem adhibẽdo, ſi quis roget liceátne σιγῶντα loqui, nécne? aut, liceátne hoc modo, non illo? certè. Quòd ſi quis non det ulla ex parte, alter autem concludat, nónne ex ſententia & mente eius efficit concluſionem? Atqui uidetur hæc captio in ijs eſſe, quæ in nomine conſiſtunt. Non igitur aliquod genus eſt captionum ad ſententiam diſputationem dirigere, ſed aliæ

ad n

ad nomen diriguntur. neq; omnes eius generis, nec ueræ reprehenſiones, neq; eæ quæ ueras fallaciter imitantur. Sunt enim fucatæ & ſimulatæ reprehenſiones in ijs etiam quæ non ſunt uerborum, ex quo ſunt genere accidentis & aliorum. Quòd ſi quis putet diſtinctione hac opus eſſe, dico σιγῶντα loqui, alia hoc modo, alia illo modo: hoc certè quidem primum uitioſum eſt, putare. Interdum enim rogatum non dicitur multis modis. Fieri autem non poteſt ut quis diſtinguat quod diſtinguẽdum non putet, deinde uitioſum eſt & abſurdũ docere quid aliud futurum ſit, quandoquidem planum facturus eſt quæ ſit uis uocabuli ei qui nec attendat, neque ſciat, neque exiſtimet id aliã uim habere. Præterea id etiam in ijs, quæ non duobus modis dicũtur, quid prohibet cõtingere? ueluti ſintne in quatuor unitates pares duabus? Sunt autẽ duo hæc hoc modo in quatuor, illa illo modo. Et ſitne contrariorũ ars una necne? Sunt autem contraria alia ignorata, alia cognita. ex quo fit, ut qui hoc faciundum exiſtimat, aliud eſſe docere, aliud diſputare, ignorare uideatur. Illud etiam, eum qui doceat non rogare oportere, ſed perſpicuum & planum facere: eum autem qui diſputet, rogare. Poſtremò poſtulare ut aias aut neges non eſt eius qui rem demonſtrat, ſed eius qui periculum facit. Ratio enim experiundi quædam pars dialecticæ eſt. Itaq; in rebus omnibus uerſatur, proponitque ſibi non doctum & peritum, ſed ignarum & imperitum: eumq; qui rerum ſibi ſcientiam non eſſe ſimulat. Atq; is demum Dialecticus eſt, qui rem ex probabilibus ſpectat: qui autem hoc fallaciter facit, Sophiſtes. Atque etiam ratiocinatio uincendi ſtudio comparata & fallax una eſt quæ ea uidetur concludere, in quibus dialectica periculum facit, etiam ſi uera ſit concluſio. Cauſam enim ne cognoſcamus, nobis inſidias parat. Eæ etiam captioſæ & fallaces concluſiones, quæ non ex ijs progrediuntur, quæ cuiuſq; artis ſunt, ex arte proficiſci uidentur, nam uitioſæ deſcri-



ſcribendi rationes non ſunt in ijs quæ fallendi ſtudio adhibentur. quandoquidem ex ijs quæ arti ſubiecta captiones progrediuntur. Nec ſi qua uitioſe deſcribendi ratio in uero uerſatur: qualis eſt Hippocratis, cuius quadratum lunulis cõficiebatur. Sed ſi ut Bryſo orbem in quadrati formam redigebat, ſic orbis quadrati figuram efficiat: certè quia non accommodatè ad rem, ob eam cauſſam fictus eſt, ſimulatúſque, non uerus. Ita quæ in his uel illis rebus uerſatur ficta ratiocinatio, oratio eſt uincendi ſtudio ſuſcepta, & ad rem accõmodata. Itémque ad rem accommodata ratiocinatio, etſi ratiocinatio eſt, tamen ad uincendum inſtituta oratio eſt. Cùm enim ad rem accommodata uideatur, fit ut fallax ſit & iniqua. Vt enim ea quæ in cauſis forenſibus uerſatur, iniuſtitia ſpeciem quãdam præ ſe fert iuſtitiæ, eſtq; iniuſta quædam pugna: ſic contraria oratio iniqua pugna eſt, ad litéſq; ſpectat. Quemadmodum enim illic omnes qui ſibi uictoriam proponunt: ſic hic hi qui pugnaces ſunt, tentant experiũturq; omnia. Ac ij quidem, qui uincẽdi ſtudio eos ſe præſtant, homines litigioſi & amantes litium uidentur: qui autem oſtentationis aut quæſtus cauſa, Sophiſtæ. Eſt enim Sophiſtice, ut diximus, quædam ratio quærendi opes ſimulatione ſapientiæ. Itaque ſtudio eſt illis concluſio, quæ neceſſariam fallaciter imitetur. Suntq; orationum earundem amantes, & ij qui uincendi ſtudio diſputant, & ſophiſtæ, ſed non eundem ſibi finem proponunt. Eadémque oratio litigioſa & fallax eſt, ſed non eadem ex parte, ſed quia uictoriæ ſpeciem ſequatur, litigioſa: quia ſapientiæ, fallax nominatur. Eſt enim Sophiſtice quædam fucata ſimulatáq; ſapientia, non uera. Qui autem certandi ſtudio diſputat, id eſt quodammodo ad dialecticum, quod is qui uitioſe deſcribit, ad geometram. Ex eiſdem enim, ex quibus dialectica, fallacem concluſionem efficiunt. quemadmodum is qui uitioſe deſcribit, ex ijſdem ex quibus geometra. Sed hic non certandi

certandi ſtudium ſequi dicitur, quòd ex principijs concluſionibúſq; artis uitioſe deſcribit, ille ex ijs quæ dialecticæ tributa ſunt. Ac illud quidem dubium non eſt, quin is qui certandi ſtudio diſputat, in alijs diſciplinis uerſetur: ut quadratũ quod lunulis efficitur, non eſt litigioſum, Bryſonis litigioſum eſt. Atque illud non ad alias artes transferri licet, niſi ad geometriam, quòd ex proprijs initijs efficitur: hoc ad multos licet, qui quid in quaque arte effici poßit, quid non poßit non intelligunt. Aptè enim transferetur. aut quẽadmodum Antiphon quadratum efficere ſolebat, aut ſi quis neget ad ualetudinem rectius & ſalubrius eſſe à cœna deambulare, Zenonis ratione ductus: ea quoniam latè patet, non eſt medicinæ. Ac ſi non omni ex parte eandem habet rationem is qui pugnaciter diſputat, ad dialecticum, quàm is qui uitioſe deſcribit ad geometriam nunquam is qui pugnaciter diſputat in illis uerſaretur. Nunc dialectico ad diſſerendum non eſt ullum certum genus propoſitum, neque ad demõſtrandum & concludendum: neque uerò talis eſt qualis theologus. Neque enim poſita ſunt in uno certo genere omnia, nec, ſi ſint, ijſdem poßint initijs naturæ & res quæ ſunt ſubijci. Itaque ars nulla earum quæ certam quandam naturam demonſtrant, interrogare ſolet. propterea quòd non licet alterutram partem ratiocinationis concedere, & quòd ex utraque parte non efficitur concluſio. at dialectica interrogat. Quòd ſi demonſtret, ſi minus de omnibus, at certè de perſpicuis & ſuis initijs nunquam quæſtionem ponit. Si enim ea minus det & concedat, iam quæ ad reſiſtendum proferat, non habebit. Quæ quidem & ratio tentandi eædem ſunt. Neque enim ratio tentandi talis eſt qualis geometria: ſed eiuſmodi, qua etiam inſcius præditus eſſe poßit. Poteſt enim etiam is qui rem ignorat ex inſcio periculum facere, ſi quidem dat & concedit, non ex ijs quæ nouit, neque ex proprijs, ſed ex conſequentibus ea omnia quæ eiuſmodi ſunt



ſunt, ut eum qui ea teneat nihil prohibeat artis eſſe expertem & ignarum: eum autem qui neſciat, neceſſe ſit ignorare. Ita fit ut ratio tentandi nullius ſit certi generis ſcientia, itaque omnibus in artibus uerſatur. Omnibus enim artibus communes quidam loci propoſiti ſunt. Quocirca omnes etiam idiotæ & ignari diſſerendi tentandíque ratione quodam modo utuntur. quoniam eſt, quatenus omnes defendere ac refellere conantur. Atqui hæc ipſa latè patent, quæ tamen ipſi tenent, etiam ſi de ijs ſine arte, dicere uideantur. Refutant ergo omnes quòd ea tenent ſine arte, quæ arte & ratione tractat Dialectica: & qui arte diſſerendi ualet ad faciendum periculum, Dialecticus. Quando autem hæc multa ſunt, & in rebus omnibus uerſantur, nec ſunt eiuſmodi, ut intra certam quandam naturam genúſque conſiſtant, ſed quaſi negationes, infinita ſunt: alia autem eam uim non habent, ſed propria ſunt artium ſingularum: licet & illis inſtructum periculum facere in omnibus, & ex ipſis artẽ quandã efficere, quæ non eandem uim, quam eæ artes quæ demonſtrant, habebit. Quapropter is qui certandi ſtudio diſputat, non eandem uim continet omnino, quam is qui uitioſo genere deſcribendi & componendi utitur. propterea quòd non ex certis cuiuſdam generis initijs capit ignaros ac decipit, ſed certandi ſtudio in omnis generis diſputatione uerſatur. Sunt igitur hæc fallacium reprehenſionum genera. Dialectico autẽ eſſe hæc propoſita, cúmque hæc præſtare poſſe, hinc facilè perſpici poteſt, quòd uiæ & rationi, quæ in propoſitionibus uerſatur, hæc omnis propoſita tractatio eſt. Ac de fictis quidem & ſimulatis reprehenſionibus diximus.

## CAP. XII.

EA autem pars in qua falſum aliquid oſtendere, & ad ea quæ contraria ſunt opinionibus omnium compellere inſtituũt Sophiſtæ (eſt enim hæc pars altera inſtituti Sophiſtarum)

rum) primùm ex quodam interrogandi genere naſcitur maximè. Iterrogatio enim nulla certa propoſita conſtitutáq; re de qua agatur, ad hæc exquirenda & indaganda ualet. Qui enim temerè loquũtur, ferè errant uehementius. Temerè autem dicũt tum cùm nullum certũ genus propoſitum eſt de quo diſputetur. Multas etiam quæſtiones ponere, etiam ſi certum conſtitutúmque ſit id de quo diſputetur, & poſtulare, ut quæ alteri uideantur, dicat, id certè ad compellendum eum ad contraria opinioni omnium, & falſa, magnam copiam argumentorum ſuppeditat. Quòd ſi is qui rogatur aliquid horum concedat, aut inficietur, utile eſt eò loci eum impellere, ubi magna ſuppetet argumẽtorum copia. Sed hoc tempore rarius, quàm ſuperioribus, locus his captionibus datur, propterea quòd ſtatim quærunt, quid hoc ad rem, de qua agatur pertineat. Hoc autem ad eliciendum aliquid, quod aut falſum ſit, aut ſententijs omnium repugnet, plurimum ualet, nullum ſtatim propoſitum in quæſtionem uocare, ſed profiteri, ſe diſcendi cauſa quærere. dabit enim hæc ratio argumento locum. Ad falſum autem demonſtrandum proprius locus eſt Sophiſtarum, ad ea eum qui contrà diſputet, compellere, in quibus magna argumentorum copia ſuppetet. Quod, ut ſuprà docui, & rectè & uitiosè facere licebit. Rurſus ut cogamus alterum aliquid concedere quod ſit contra opinionẽ omnium, cuius ſit generis aut ſectæ is qui contrà diſputat, uidendum eſt. Deinde interrogare par eſt de eo quod contra opinionem multorum iſti eſſe fateantur. Sunt enim ſuæ cuiuſq; eorum opiniones. in quo multum ualet, in propoſitiones diſtribuiſſe, & ſelegiſſe propoſita ſingulorum. Explicatio autẽ horum locorum apta illa fertur, exponere id quod contra opinionem eſt omnium, non ex oratione effici. quod ſemper ei propoſitum eſt qui certandi ſtudio diſputat. Idem concludi poteſt ex uoluntatibus hominum, & perſpicuis opinionibus. Non enim eadem uolunt & loquuntur





tur homines, ſed cùm oratione honeſtiſsima utuntur, tum ea quæ utilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, ſequuntur. uelut mori per decus, magis quàm iucundè uiuere aiunt oportere: & iuſtè & integrè uitam per inopiam agere melius, quàm in opum abundantia turpiter: at contraria ſequuntur. Ac is quidem qui in reſpondendo uoluntates ſequetur, ad certas & claras opiniones reuocandus erit: is autem qui has ipſas, ad incertas & obſcuras. utroq; enim modo ea quæ ſententijs omnium repugnant, dicat neceſſe eſt: quoniam uel de perſpicuis, uel de obſcuris & incertis opinionibus loquentur contraria. Plurimum autem ualet ad exprimendum aliquid, quod ſit contra opinionem omnium, id quod Callicles in Gorgia commemorat. Atq; etiam ueteres omnes ex eo quod naturæ & quod legi conſentaneum eſt, id effici putabant. Naturam enim legi repugnare, & iuſtitiam lege honeſtam eſſe, natura non eſſe. Debet igitur ei qui naturæ conſentanea dixerit, lex opponi: & natura ei qui legem proferet. Vtroq; enim modo aliquid dicent admirabile, & quod ſententijs omnium repugnet. his autem quod naturæ congruit uerũ eſſe, & quod legi, id quod multitudo probaret, uidebatur. Perſpicuum eſt igitur etiam illos, quemadmodum etiam huius ætatis homines, conatos eſſe, uel refellere eos qui contrà diſputabant, uel coëgiſſe, ut aliquid quod eſſet contra omnium opinionem, concederent. Sunt autem interrogationes quædam, ad quas ſi in alterutrã partem reſpondetur, admirabile quiddam exiſtet contráq; opiniones. ut, ſítne parendum ſapientibus, an parenti? &, ſintne ea quæ utilia ſunt, facienda, an quæ iuſta? &, accipere iniuriam præſtat, an facere? Compellendus eſt autem is qui contrà diſputat, ad ea de quibus ſapientes à multitudine diſſentiunt: ita tamen, ut ſi quid dicat de ſententia ſapientium, ad uulgi opinionem: ſin quod uulgus probet ad ſapientum ſententias opinionesq; reuocetur. Aiunt enim hi, beatum iuſtum eſſe

neceſſariò: multitudini autem non probatur, Regem non eſſe beatum. Compellere autem ad ea quæ hoc modo non probantur, idẽ ualet atq; efficit, quod ad legis & naturæ repugnantiam reuocare. Nam & lex uulgi eſt opinio, & ad naturam ac uerum orationem ſuam ſapientes dirigunt. Ac ea quidem quæ opinionibus repugnant, ex his locis petenda ſunt.

## CAP. XIII.

NVnc ſequitur, ut quomodo nugari cogant ſophiſtæ, diſſeramus. Ac quid appellemus nugari, iã diximus. Omnes autem hæ argumentationes hoc ita efficere uolunt. ſi uerbum dicas, an orationem nihil intereſt. Duplũ autem & duplũ ſimpli idem ualent. Si igitur eſt ſimpli duplum, erit ſimpli ſimpli duplum. Rurſus, ſi pro duplum, duplum ſimpli ponat, ter dicentur; erit ſimpli ſimpli ſimpli duplum. Et, ſítne cupiditas uoluptatis? hoc autem eſt appetitio uoluptatis. Eſt igitur appetitio, cupiditas uoluptatis uoluptatis. Sunt autem eius generis captiones in ijs quæ cum aliquo conferuntur. quorum non ſolùm genera, ſed ipſa etiam cum aliquo conferuntur, & ad unum idémq; referuntur. ut cupiditas alicuius cupiditas, appetitio alicuius appetio, & duplum alicuius duplum, & ſimpli duplum dicitur. Itémq; in ijs quæ in genere eorum quæ cum aliquo conferuntur, non numerantur, & de natura alicuius dicuntur, cùm interim eorum definitio naturam eis ſubiectam complectatur: & uno nomine in ijs quorum habitus & affectiones, & ſi quid ſimile per ſe de ſubiectis naturis dicuntur. Vt impar numerus eſt qui medium habet: eſt autem numerus impar: eſt igitur numerus, numerus qui medium habet. Et ſi ſimitas, naris eſt concauitas: eſt autem etiam naris ſima: eſt igitur naris naris concaua. Sophiſtæ autem uidentur cogere nugari, nec cogunt interdum, propterea quòd non antè quærunt, utrum exempli cauſa, duplum aliquid, an nihil per ſe dictũ, ſignificet: & ſi quid ſignificet, idémne an aliud.

ſed



ſed continuò concluſionem efficiunt, quæ ſequi uidetur, quòd nomẽ ſolum idem quod oratio ualere & declarare uideatur. Solœciſmus autem quid ſit, ſuprà dictum eſt. Fieri autem poteſt, ut is qui non facit, ſolœciſmum facere: & qui facit, non facere uideatur. Quemadmodum Protagoras dicebat ὁ μῆνις, & ὁ πήληξ id eſt, iracundia & galea maſculini ſunt generis. Nam & qui οὐλομένην id eſt, pernicioſam dicit, is illius ſententia ſolœciſmum facit, alijs non uidetur. Et qui οὐλόμενον id eſt, pernicioſum, uidetur ſolœciſmum facere, nec facit. Ex quo perſpicuum eſt, artificem quoq; ſolœciſmum facere poſſe. Itaq; multæ orationes quæ non efficiunt quod ſumitur, ſolœciſmum uidentur concludere. Quod fit in reprehenſionibus. Omnes autem ſolœciſmi ficti non ueri ferè ex illo hoc oriuntur & exiſtunt, cùm caſus nec uirile, nec muliebre nomen, ſed medium horum neutrúmq; declarat. Nam & hic uirile ſignificat, & hæc muliebre. At hoc neutrum uult illud quidem declarare, ſed tamen ſæpe utrumq; illorum ſignificat. ut ſi quæratur, quid ſit hoc? & Calliope, lignum, Coriſcus, reſpondeatur. Ac maris quidẽ & fœminei caſus omnes differunt, neutrius alij differunt alij non item. Quocirca plerunq; cùm illud hoc datur & conceditur, hunc, quaſi dictum ſit, cõcludunt, itémq; alium caſum pro alio. Fallax autem concluſio propterea efficitur, quòd illud hoc commune ſit multorum caſuum, quandoquidem hoc aliàs idem quod hic, aliàs quod hunc efficit. Sed uiciſsim declarare hæc debet, ſi cũ uerbo eſt coniunctum ſit, hic: ſin cum eſſe, hunc, ut Hipponicus eſt eſſe Hipponicum. quod de fœmineis iudicandum eſt eodem modo, & nominibus ſupellectilium, quæ uirilium uel muliebrium inflexionem habent. Quorum enim ο & ν extremæ ſunt literæ, ea ſola ſuppellectilis nominum inflexionem retinent. Vt ξύλον id eſt, lignum: σχοινίον, funis. Quæ autem non in eas literas deſinunt, maſculinorum uel fœmininorum: quorum nõ-

nulla ad ſupellectilia referimus, ut ἀσκὸς id eſt, uter, nomen eſt maſculini generis. κλίνη id lectus, fœminini. Itaque in his etiam talibus nominibus eodem modo & uerbum eſt & eſſe diſsimilitudinẽ facient & diſtinctionem. Atq; ſimilis eſt quodã modo ſolœciſmus ijs reprehẽſionibus, quæ ex diſsimilitudine, aut ex forma euenire dicuntur. Vt enim in illis ex rebus, ſic in his ex uerbis accidit, ut ſolœciſmus fiat, quòd homo & albus & res & nomen eſt. Perſpicuum eſt igitur dandã eſſe operam ut ſolœciſmum ex ijs caſibus quos expoſuimus, concludamus. Ac genera quidem argumentationum quæ certandi cauſa tractantur, & generum partes modiq; expoſiti ſunt.

## CAP. XIIII.

PErmagni autem intereſt ad occulendum, ut in Dialecticis, ſic hoc in loco, quemadmodum diſponantur ea quæ ad interrogationem pertinent. His igitur ita conſtitutis, deinceps ſequitur ut horum aliqua præcepta demus. Ad reprehendendum quidem multum ualet prolixitas, propterea quòd difficile eſt ſimul & quaſi uno aſpectu multa perſpicere. Vt autem prolixitatem aſſequamur, ab ijs locis quos ſuprà expoſuimus præſidium petendum erit. Celeritas etiam in concludendo multum poteſt. Qui enim tardi ſunt, minus res prouident. Iam uerò ira & diſceptatio adiuuant, quoniam qui aliqua perturbatione animi commoti ſunt, minus uirium habent ad obſeruanda & defendenda omnia. Ad iracundiam autem impellemus, ſi alterum qui nobiſcum diſputat, & nobis iniuriam uelle facere, & nullo affici pudore, docebimus. Iam utile erit uiciſsim interrogationes quæſtionesq; ponere, ſiue ad eandem probandam aut refellendam, cui multa argumenta ſuppetant, ſiue in utranq; partem. Sic enim fiet, ut uno tempore uel plura, uel contraria defendat. Atq;, ut uno uerbo finiã, omnia quæ ualere ad occulenda argumenta dicta ſunt ſuperiore libro, ad argumentationes etiam quæ certandi cauſa

tracta



tractantur, ualent plurimum. Nam & occulere latẽdi cauſa uolumus: & latere, decipiẽdi atq; captandi. Quod autem attinet ad eos qui negant ea quæ argumentationi prodeſſe putant, ij interrogandi ſunt à nobis per negationem, quaſi contrarium efficere uelimus: aut etiam utraq; pars ſimul & ex æquo quærendo ponenda eſt. Cùm enim dubium eſt & obſcurum quid ſumere uelimus, minus ij qui contrà diſputant, proteruiunt. Iam uerò ſi quis quaſi membratim concedat res ſingulas per inductionem, ſæpe id an in toto genere uerè dicatur, non eſt rogandus: ſed id quaſi datum ſit accipiendum eſt. Interdum enim illi ſe dediſſe hoc ipſum putant, & auditoribus uidentur propter inductionis recordationem, quaſi illa non fruſtra & temerè rogata ſint. In quibus etiam totum genus non ſignificatur, & appellatur ullo nomine, ſimilitudine utendum erit quoad res poſtulabit, propterea quòd ſæpe latet, & obſcura eſt ſimilitudo. Vt autem ſumamus propoſitionem, contrarium per comparationem quærere debemus. ueluti ſi concludendum ſit, patri in omnibus parendum eſſe, utrum in omnibus, parentibus parendum ſit, an in omnibus non parendum? Et illud ſæpe, ſintne multa concedenda, an pauca? Multa enim potius, ſi quidem neceſſe eſt, tribuenda parentibus uidebũtur. Contraria enim inter ſe comparata atq; compoſita, & maiora & magna, & deteriora & meliora hominibus uidentur. Atq; etiam cauillatio fallax & captioſa eorum qui interrogant, facit plerunq;, ut ij qui contrà diſputant, refelli uel maximè uideantur: propterea quòd cùm nihil effecerint, & concluſerint, tamen non uocant in quæſtionem id quod extremum & concluſum fuit: ſed quaſi concluſerint, ita concludunt. Non igitur hoc, & illud. Illud etiam fallax & captioſum eſt, propoſita re admirabili, & quæ ſit contra opinionem omnium, uelle id quod uideatur reſponderi, propoſito eo initio diſputationis quod probetur, de ijs quorum ea uis ſit,

quærere hoc modo, Tibine uidetur? Si enim in ijs ſit interrogatio, ex quibus cōcluſio efficitur, certè uel reprehēdat alter, uel concedat id quod ſententijs repugnet, neceſſe eſt. Si enim dederit, reprehendetur: ſi non dederit, neq; id probabile dixerit, aliquid quod ſit cōtra opinionem omnium, dabit. Si non concedat nec probabile fateatur, incurret in reprehēſionem. Iam quemadmodum in arte rhetorica, ſic in ratione refutandi contraria & repugnantia elicienda ſunt, uel ex ſermone eorum qui contrà diſputant, uel ex eorum quorum dicta & facta honeſta eſſe concedunt. Itaq; ex eorum dictis, qui eiuſmodi uel ſimiles habentur, uel ex plurimorum uel omniū ſermonibus. Iam quemadmodum ij qui reſpondent, ſæpe cum refelluntur diſtinguunt, ſi futurum eſt ut coarguantur, ſic ij qui quæſtionem ponunt, hinc præſidium petere debent contra eos qui reſiſtunt, ſi hoc modo efficiatur, illo non item ſe hoc modo intellexiſſe. Quod etiam Cleophon facit in Mādrobulo. Atq; etiam à propoſito aberrantes, reliquas argumentationes concidere debemus. quod ſi is qui poſcit quæſtionem præſentiat, ei occurrendum & prædicendum erit. Interdumq; ex ijs quæ aliena ſunt à propoſito argumenta ducere licebit, ſi quis ex eo de quo agitur argumenta non poterit ſumere: quod Lycophron fecit, cum lyram laudandam ſuſcepiſſet. Quod uerò ad eos attinet qui aliquid argumentis probari uolunt, quoniam placet cauſam afferri oportere, certè quibuſdam poſitis & conceſſis, facilius ad defendendum id quod uniuerſum eſt: ſi refellere uelimus, affirmare, ſequi repugnantiam. Vt quod affirmarunt negare eos, aut quod negauerint concedere. Quale illud eſt, eandem in contrarijs artem uerſari, aut non eandem. Concluſiones autem quæri non debent more propoſitionum. Et quædam quærenda non ſunt, ſed pro conceſſis accipienda. Ac ex quibus interrogationes conſtarent, & quemadmodum interrogaremus in diſputationibus illis quæ ſtudio



ſtudio certandi inſtituuntur, ſatis ferè dictum eſt.

## CAP. XV.

DEinceps de reſponſione, & quemadmodum argumenta diſcutienda & explicanda ſint, & quis ſit horum argumentorum uſus dicēdum eſt. Valent quidem ad philoſophiam duabus de cauſis: primùm quòd cū ex uerbis naſcātur, faciūt, ut quot modis quidq; dicatur, & quæ ſimiles ſint, quæ diſsimiles res, & uerba facilius intelligamus. Deinde ualent ad quæſtiones, quas quiſque per ſe ſeparatimq; tractat. Qui enim facilè decipitur & capitur ab alijs, neque id ſentit: id etiā ſæpe ei per ſe res conſyderanti accidat neceſſe eſt. Poſtremò ualēt ad opinionem, quòd in rebus omnibus exercitati & nullius imperiti ignariq; uidebimur. Nā ſi ita quis diſputet cū altero, ut argumenta refellat, neq; eorum uitia exponere aut explicare poſsit, is alijs opinionem adfert, ſe nō à ueritate coactum, ſed imperitia ductum iniquum eſſe in diſputando. Quo autem pacto ij qui poſcunt quæſtionem, armati eſſe debeāt, ut his talibus argumentationibus poſsint occurrere, facilè intelligi poteſt, ſi modò rectè ſuprà expoſuimus ex quibus fallaces & captioſæ concluſiones conſtarent, & interrogationes nimiæ, ſatis explicauimus. Aliud autem eſt, cum quis argumentationem ſumit perſpicere & diſcutere eius uitium, aliud cum interrogatur celeriter poſſe reſiſtere. Quod enim ſcimus, id ſæpe cum ordo uerborū traiectione mutatus eſt, ignoramus. Iam uerò ut in cæteris artibus & rebus, ſic ferè in argumētis exercitatione celeritatem maiorem tarditatémue cōparamus. Itaq; ſi quid nobis apertū perſpicuūq; ſit, neq; id meditatum habeamus, in eo ferè fit ut cōmoditatibus opportunitatibusq; deſtituamur. Quod autē in deſcriptionibus uſuuenit, ut propoſitiones in partes tributas interdum cōnectere iterum non poſsimus: ſic in reprehenſionibus nonnunquam ſcimus unde concluſio efficiatur, & argumentum explicare non ualemus.

## CAP. XVI.

PRimum ergo quemadmodum dicimus interdum præſtare diſſerere probabili argumentatione quàm uera: ſic probabili explicatione potius quàm uera argumentorum captiones nonnunquam diſcutere & diſſoluere debemus. Omnino enim pugnandum eſt contra eos qui contentionis concertationiſq; cauſa diſputant, non tanquam refellant, ſed tanquam reprehenſionis ſpecie contra nos armentur. Cum enim eos concludere negemus, certè ad ſpeciem & ſimulationem omnis noſtra dirigenda eſt reſponſio. Cùm enim refutatio ſit oratio repugnans non ambigua, quæ ex quibuſdam efficitur, nulla certè ad ambigua & homonymiam adhibenda erit diſtinctio. neq; enim ratiocinationem argumentando tractat. Sed nulla alia de cauſa antè diſtinguendum erit, niſi quòd concluſio ſpeciem præ ſe fert reprehenſionis. Non igitur hoc loco nobis refutatio extimeſcenda eſt, ſed eius ſolùm ſimulacrum. Quippe cum interrogatio ambigua, & homonymia cæteræq; eius generis captiones & ueram reprehenſionem obſcurent: & faciant, ut eos qui refellant ac non refellant, neſciamus. Nam quoniam licet tota argumentatione concluſa dicere, ſe non quod alter affirmauerit negare: ſed ambiguè, etiam eò toto impetu ferretur, incertum eſt an ſit reprehenſus. Dubium eſt enim an uerum nunc dicat. Quòd ſi diuiſione adhibita interrogaſſet id quod ambiguum eſt, certè reprehenſio perſpicua fuiſſet. Nam quia uolunt ij qui certandi ſtudio diſputant, hoc quidem tempore rarius quàm ſuperioribus eum qui rogatur, aut etiam, aut non reſpondere, id fieri poteſt. Nunc autem propter uitioſum morem interrogandi, neceſſe eſt aliquid antè reſpondere, corrigendo interrogationis uitio. Quandoquidem ſi tolerabilis partitio adhibita ſit, eum neceſſe ſit qui contrà diſputet aut etiam, aut non, dicere. Quòd ſi quis putet eam reprehenſionem, quæ ex ambiguitate

naſci



naſcitur, ueram eſſe, nullo modo reprehenſionem effugere poterit is qui reſpondebit: quippe cum in ijs rebus quæ ſub oculos cadunt, neceſſe ſit eum & quod nomen intelligi dixerit, id negare, & affirmare id quod negarit. Nihil enim adiuuat quorundam emendatio qui Coriſcum non confirmant eſſe & muſicum & muſicæ expertem: ſed hunc quem monſtrant muſicum, & hunc eundem expertem muſicæ. Eadem enim erit oratio hæc, Coriſcum muſicum eſſe, quæ illa, hunc Coriſcum non eſſe muſicum: quod ſimul & confirmabunt & negabunt. Sed fortaſſe dicent, non idem ſignificare, cum in altera nomen collocatum ſit, ita aliquid inter eas non intereſſe. Sin autem hoc omnimo dixerit, illi hoc uel hunc adiunxerit, abſurdũ erit. Nam nihilo magis alteri addet, præſertim cum nihil interſit utrilibet addat. Sed quoniam incertũ eſt utrum is qui ambiguitatem non diſtinxit, reprehenſus nécne ſit (conceſſum eſt enim in diſputando ambigua diſtinguere) certè dare rogatum omnino nulla adhibita diſtinctione, eſt in uitio. Itaque ſi minus is qui dat, at certè oratio eius reprehendetur & pro refutata habebitur. Fit autem plerunque ut qui ambiguitatem cernunt, tamen eam non auſint diſtinguere, propter eorum qui talia proponunt acerbitatem, ut ne ſe in omnibus difficiles & iniquos præbere uideãtur. Deinde quòd nũquam putaſſent ex hoc concluſionem poſſe effici, ſæpe occurrit aliquid contra opinionem omnium. Quapropter quoniam conceſſum eſt, ut ſuprà dixi non dubitabimus diſtinguere. Si quis autem duas interrogationes non unam ponat, non ea exiſtet captio quæ ex homonymia & ambiguitate naſcitur, ſed uel reprehenſio, uel ne ea quidẽ. Quid enim intereſt utrum nunc roges, An Callias & Themiſtocles ſint muſici: an tum, cum idem nomen utrique impoſitum eſſet, nec ijdem forent? Nam ſi plura uno declarat, plura interrogauit. Quòd ſi iniquum eſt ad duo rogata uelle reſponſum unum dari omnino, pro-

ſectò ad ambiguum nullum ſemel reſponderi conuenit, ne ſi in omnibus quidem id uerè dicatur quorundam ſententia. Nihil enim hoc intereſt, an ſi quis rogaret, utrum Coriſcus & Callias ſint domi, nécne ſint domi, ſiue adſit uterque ſiue abſit. utroque enim modo plures erunt enunciationes. Neque enim ſi uerè dici poteſt, propterea una eſt interrogatio. Poſſunt enim ſexcenta alia quæri ad quæ aut etiã aut non reſpondere uerè liceat. Attamen non unum reſponſum dandum eſt. ſic enim diſputatio tollitur. Hoc autem ſimiliter fiat, ac ſi quis idem nomen diuerſis hominibus imponat. Cum ergo ad rogata duo non ſit ſemel reſpondendum, perſpicuum eſt, aut etiam aut non, non eſſe dicendum in ambiguis. Neque enim qui dixerit, quanuis dixerit, reſponderit. Sed hoc uolunt in diſputando, quòd quid efficiatur, ſit incertum. Quoniam igitur, quemadmodum diximus, quædam ſimulacra ſunt reprehenſionum, reprehenſiones nullo modo: ſic quædam ſunt ſimulatæ explicationes, nec explicationes ſunt, quas quidem interdum afferri dicimus oportere potius quàm ueras explicationes: ueluti cum diſputatur pugnaciter, & cum rei, quæ duobus modis dicitur, occurritur. Ac in ijs quidem diſputationibus, quæ ſpeciem quidem uerarum præ ſe ferent, reſpondendum eſt, eſto. ſic enim nullus erit reprehẽſioni locus. Si quid autem contra opinionem omnium cogatur concedere, tum uel maximè addendum eſt, Id uideri. Sic enim nec reprehenſioni, nec ei quod admirabile ſit & contra opinionem omnium, dare locum uidebitur. Perſpicuum eſt quidem, quemadmodum à principio repetatur diſputatio. Si qua autem proximè ad id accedant, ea ſententia omnium refellenda ſunt, non concedenda, quòd primam diſputationẽ repetere uideatur. Cum uerò aliquis eiuſmodi à nobis petet, quòd ex cauſa diſſerendi illud quidem efficiatur neceſſariò, ſed quod falſum ſit aut improbabile: idem reſpondere debebimus. Quæ enim neceſſariò

ſequu



ſequũtur, eiuſdem eſſe cauſæ uidentur. Iam uerò cum res uniuerſa non nomine ſuo, ſed ſimilitudine tractabitur: reſpondẽdum erit nobis eum nec quomodo à nobis data ſit, nec quemadmodum ipſe propoſuerit, ſumere. Ex hoc enim plerunque exiſtit reprehẽſio. Qui autem his commoditatibus deſtitutus erit, is confugere ad uitioſam probationem debebit, ut ei occurrat eo genere diſtinctionis, de quo ſuprà diximus. Ac in ijs quidem diſputationibus, in quibus proprijs nominibus utetur, aut omnino reſpondendum erit nobis, aut certè adhibenda diſtinctio. Quæ autem aliquid in mente reſeruantes proponimus ad diſputandum, qualia ſunt ea omnia quæ non planè, ſed truncatim interrogantur, ex ijs ratiocinatio naſci ſolet. Cuius generis eſt illud, An quicquid eſt Athenienſium poſſeßio, id Athenienſium eſt? Certè. itémq; in cæteris: atqui homo eſt animalium, poſſeßio igitur animalium eſt homo. Hominem enim animalium eſſe dicimus, quòd ſit animal. Et Lyſandrum Lacedæmoniorum quòd ſit Lacedæmonius. Ergo illud quidem perſpicuũ eſt, cum dubium eſt id quod proponitur, tum non eſſe omnino dandum. Cum autem duo erunt huiuſmodi, quorum ſi alterum ſit, ex eo alterum neceſſariò concludetur: ſin hoc ſit, illud ex eo non cõcludetur neceſſariò, debebit is qui interrogabitur id dare quod minus lateat. Difficilius eſt enim ex pluribus concludere. Quòd ſi argumentando concludat, alicui datum eſſe contrarium, alicui non eſſe: ſi uera ſit oratio, cõtrarium eſſe dicendũ eſt, ſed non eſſe nomen impoſitũ alteri. Quoniam autem nõnulla plerique cõcedunt, quæ ſi quis minus det: eum falſum putare fatebuntur, alia non item: cuius generis ſunt ambigua omnia (utrum enim animantium animus intereat nécne, non eſt multis exploratum) in quibus eorum non eſt certum utro modo ſoleat concedi id de quo agitur: utrum ut ſententiæ ſolent, quarum nomine appellant & ueras opiniones, & uniuerſas negationes. qua-

lis eſt

*lis eſt illa, diametros menſura definiri non poteſt: in iјs non eſt reſpondendum aut etiam, aut non. Præterea cuius de ueritate plurimæ ſunt ambiguæ opiniones, eius ſi nomina ex alio transferas, non id perſpicuum erit. Nam quoniam dubium eſt utra in parte inſit ueritas, ſophiſtarum partes agere non uidebere: quoniámque ambiguum, non mentiri, neque quod falſum ſit aſſerere. Translatio etiam faciet, ut ne reprehendatur oratio. Præterea ut quiſque rogata præſenſerit, ita eis antè occurrere, eáque prædicere debebit. Sic enim ei qui rogabit, reſiſtet facillimè.*

## CAP. XVII.

*SEd quoniam uera explicatio, expoſitio eſt falſæ ratiocinationis, quacunq; ex interrogatione falſum efficiatur. Falſa autem ratiocinatio quoniam duplex eſt, altera cùm falſum concluſum eſt: altera, cum ſi minus eſt ratiocinatio, attamen uidetur eſſe: certè hæc ipſa explicatio, quam modò diximus, eius etiam explicatio ſit neceſſe eſt, quæ ratiocinationem ueram fallaciter imitatur. Ex quo perſpicitur interrogationem correctio. Ita fit, ut orationes quæ concluſæ ſint, refellendo: eæ autem quæ uidentur concludere, diſtinguendo explicentur atq; diſſoluantur. Rurſus quoniam argumentationum, quæ concluſæ ſunt, aliæ ueram, aliæ falſam concluſionem habent, eas quibus falſum concluditur, duobus modis licet diſſoluere, tum refellenda aliqua interrogatione, tum docendo eam eſſe naturam concluſionis. Eas autem quarum uera concluſio eſt, refutanda aut propoſitione, aut aſſumptione, cùm præſertim uera ſit concluſio. Quare iјs qui argumentationem diſcutere & explicare uelint, hoc primum uidendum eſt, ſítne concluſa an minus concluſa. Deinde utrum uera ſit an falſa concluſio, ut eam aut diſtinguentes, aut refellentes diſſoluamus. Et refellentes uel hoc uel illo modo, quemadmodum ſuprà diximus. Permultum autem intereſt, utrum interrogati ab alio,*

néc[ne]



*nécne argumentationem explicemus. Nam & prouidere difficile eſt, & facile eſt cum ocioſi ſumus & ſoli, uidere explicationem. Atque reprehenſionum quidem quæ ex ambiguo & homonymia oriuntur, partim habent aliquam interrogationẽ quæ plura declarat, partim concluſionẽ quæ multis modis dicitur: ueluti in ea reprehenſione quæ σιγῶντα loqui cõcludit, concluſio bifariam dicitur: in ea autem qua efficitur eum qui ſciat aliquid neſcire, qualis eſt hæc, An is qui ſcit dicere aut facere, illud etiam ſciat quod dicit aut facit? Hic autem ſcit iambica dicere: hic igitur ſcit iãbica, harum una interrogationum rem explicat duplicẽ, & eam quæ eſt, & eam quæ non eſt. Ac in quarum concluſione aliquid multis modis dicitur, niſi contrariam enunciationem aſſumpſerit, non erit reprehenſio. ut in ea qua quis cæcus uidere demonſtratur: neque enim ſublata contradicente pronunciatione, eſſe reprehenſio ullo modo poteſt. In quarum autem interrogationibus ambiguum eſt, non eſt neceſſe planè illud negare: quoniam non ad illud rogatum argumentatio adhibenda eſt, ſed concluſionis cauſa eſt omnis comparata. Initio ergo argumentationis, ſi quod ſit ambiguum uerbum, uel ipſa oratio ſit, ita reſpondendum eſt ut quodammodo etiam, & quodammodo non eſſe dicamus. Vt σιγῶντα loqui aliqua intelligentia uerum eſſe, quadam non eſſe. Et quum quæritur, ea ne quæ oportet facienda ſint? alia eſſe, alia non eſſe dicendum eſt. Quod enim oportet multis modis dicitur. Quòd ſi ambiguũ in propoſitione & aſſumptione lateat, id in concluſione, interrogatione adiuncta, corrigendum erit. Licet igitur σιγῶντα dicere. non, ſed hunc σιγῶντα. De iјs etiam, in quarum propoſitione & aſſumptione ambiguum ineſt, iudicãdum eſt eodem modo. Non igitur ſciunt quod ſciunt: imo uerò ſciunt, ſed non hoc modo. Aliud eſt enim nihil ſciri poſſe, aliud eos qui hoc uel illo modo ſciunt, non poſſe. Omnimóque pugnandum*

nobis

nobis, etiamſi planè argumentum concluſerit, eum non eam rem quam conceſſerimus, ſed uerbum ſolum refelliſſe. ex quo efficietur, ut illa nulla ſit reprehenſio. Perſpicuum etiam eſt, quemadmodum diluendæ ſint eæ quæ ex diſtinctione & coniunctione exiſtunt reprehenſiones. Etenim ſi diſtincta & coniuncta uerbis aliud declaret, quæ concluditur argumentatio, contrarium dicendum erit. Sunt autem hæ argumentationes ex coniunctione & diſtinctione. An quo uidiſti tu hunc uerberari, eo ipſe uerberatus eſt? quo uerberatus eſt, cóne eum uerberari uidiſti? Habent illæ quidem ſimile aliquid ambiguarum interrogationum: attamen ex coniunctione ſumuntur. Neque enim ambiguum eſt id quod exiſtit ex diſtinctione, cum præſertim cõiuncta & diſtincta non eadem ſit oratio. Siquidem nec hora & ora eodem accentu pronuntiata aliud efficiunt. Sed quemadmodum in ſcripto idem eſt uerbum, ſi iiſdem literis ſcriptum ſit: ſic etiam illic efficiunt notæ. In uoce autem non ſunt eadem nomina. Quapropter reprehenſio ea, quæ ex diſtinctione eſt, non ad ambiguitatis reprehenſionem refertur. Atque etiam illud perſpicuum eſt, non omnes, ut quidam dicunt, reprehenſiones ex ambiguo exiſtere. Diſtinguere ergo & ſecernere uerba à uerbis debebit is qui reſpondendi partes tenebit. Neque enim idem efficit oculis uidere uerberari aliquem, quod oculis uerberari aliquem uidere. Et Euthydemi illa oratio: Vidiſtine triremes nunc quæ ſunt in Pyræo cùm in Sicilia eſſes? Eodem modo diluẽda erit. Itemq; illa, potéſtne qui bonus ſit ſutor, malus eſſe? poteſt autem fieri ut aliquis cum bonus ſit ſutor, ſit malus: malus igitur ſutor. Et illa, An quarum rerum bonæ ſunt ſcientiæ, bonæ ſint notitiæ? mali autem bona eſt notitia: malum igitur eſt bona notitia. atqui malũ & notitia eſt & malum: malum igitur notitia mala eſt. Item illa, An uerum eſt nunc te natum eſſe? Nũc igitur natus es. niſi fortè aliud declarat cum nunc di

ſtinct



ſtinctum eſt. Nunc enim uerum eſt, te natum eſſe: ſed te, nunc natum eſſe haud uerum eſt. An ut potes & quæ potes, ſic & ea facies, cum autem non canis fidibus, canere fidibus potes: tunc igitur cum non canis fidibus, fidibus canes. niſi fortè non eam uim habet, ut tum cum non canit fidibus, canat: ſed ut faciat cum id non facit. Hoc autem quidam aliter diluunt. Dicũt enim non ſi quis dederit alterum facere ut poteſt, idcirco effici ut is qui non canit fidibus, fidibus canat. Neq; enim datum eſſe omnino ut poſſit, eum eſſe facturũ, nec idem ualere ut poteſt omnino quod ut poteſt facere. Sed eos non rectè diſſoluere hinc apparet, quòd cum omnium rationum & argumẽtationum, in quibus eſt idem uitium, eadem ſit explicatio, hæc ipſa non ad omnes, neq; ad eas quæ omnino proponentur accommodabitur: ſed ad eum qui rogat modo, non ad argumentationem. Ex accentu autem nullæ extant orationes, neque in ſcripto neq; in uoce, niſi perpaucæ. Eiuſmodi eſt hæc, An ȣ habitas eſt domus? eſt ergo ȣ habitas, negatio illius, habitas: dixiſti autem ȣ habitas domum eſſe: domus igitur negatio eſt. Perſpicuum eſt quomodo id explicari debeat. Non enim idem ſignificat graui tono prolatum aliquid & circunflexo. Perſpicuum etiam eſt illud, quemadmodum occurrendum eſt eis reprehẽſionibus quæ ex eo naſcuntur, quòd quæ non ſunt eadem, eadem eſſe dicunt: quandoquidem categoriarum genera tenemus. Nam alter interrogatus reſpondendo conceſſerit non ineſſe aliquid eorum quæ naturã rei declarant: alter autem docuerit aliquid conuenire eorum quæ cum aliquo conferuntur, aut quæ quanta ſunt, cum propter dicendi genus rei naturam ſignificare uideantur. ut in hac oratione, fierine poſſit, ut aliquid ſimul quis & faciat & fecerit? Atqui fieri poteſt, ut aliquis quid ſimul & uideat, & eadem etiã ex parte uiderit. Rurſus, an pati aliquid ſit aliquid facere? Ergo ſecatur, uritur, ſentitur, eadem ratione dicũtur: eáque omnia quid

pati

pati declarant. Quid, dicere, currere, uidere eodémne modo inter ſe affecta eſſe dicũtur: Atqui uidere, ſentire quid eſt. Ita ſimul & quid patitur & facit. Quòd ſi quis in ſuperiore oratione det fieri non poſſe, ut idem ſimul faciat & fecerit, ut autem uideat atque uiderit fieri poſſe: is nondum reprehenſus erit, dummodo uidere, non facere quid, ſed pati dicat: ea enim deſyderatur interrogatio, ſed ab audiẽtibus exiſtimatur dediſſe, tum cùm ſecare facere quid & ſecuiſſe feciſſe conceſſit, etiam ea omnia quæ eandem analogiam habent. Nam quod reliquum eſt auditor præponit, quaſi eandem habeat rationem cum non habeat, ſed propter genus dicẽdi habere uideatur. Idémque hìc uſuuenit quod in ambiguis. Illic enim is qui uim uerborum ignorat, rem putat negatam eſſe, non uerbum: cum quæſtio etiam illa reliqua ſit, an ambiguum una ex parte quam intelligat concedat. Si enim hoc modo det, coarguetur. Similes ſunt his, quæ ſequuntur. Si quis quod habebat pòſt non habeat, ídne amiſit? Iſto enim pacto qui unum modo calculum amiſerit, decem calculos non habebit. At quod quis non habet, prius autem habuit, ídne amiſit? Neque enim neceſſe eſt quantum, uel quot non habuerit quis, eum tot amiſiſſe. Ergo naturæ quæſtionem ad quantitatis tranſtulit. decẽ enim multa ſunt. Quòd ſi initio ita interrogaſſet, Quot non habet quis cùm prius haberet, an tot amiſit? nemo dediſſet, ſed uel tot uel aliquid eorum. Et dare quis poteſt quod non habet, non enim tantummodo unum calculum habuit. niſi fortè non quod non habuit, ſed quatenus: ut unum non habuit, dedit. tantummodo enim nec quid ſignificat. nec tale uel tantum quid, ſed cum alio confertur, ut ſignificet non cum alio. Vt ergo ſi quæſiuiſſet, num quis dat quod nõ habeat, & ille dediſſet: rúrſuſque interrogaſſet, num quis quod non habet cito, cito det: quo dato ille hoc concluſiſſet, id aliquem dare quod non habeat: tum perſpicuum fuiſſet, nullam eſſe cõcluſionem. quoniam ci-





to dare, non eſt aliquid dare, ſed dare hoc modo. Et aliquo modo dare aliquid quis poteſt, quo modo non habeat, ut libenter habeat, & det inuitus. Sic de illa cauſa iudicandum eſt. Eiuſdem generis hæ omnes ſunt, An ea manu quam quis non habeat, uerberet? Aut eóne oculo quis uideat quem nõ habet? Non enim unum modo habet. Ac nonnulli quidem has captiones ita diſcutiunt, ut dicant, eum qui plures habeat, unum modò etiam oculum, & quiduis aliud habere. Alij, quo modo quis quid habeat, eo etiam accepiſſe. Dediſſe enim aliquem unum tantummodo calculum, & alterum ab illo unum ſolum accepiſſe calculum. Sunt etiam qui initio diſputationis interrogationem ita refellant, ut quod quiſpiam non acceperit, id eum habere poſſe fàteantur: uelut eum qui uinum dulce acceperit, eo corrupto in acceptione acetũ habere. Sed hi omnes, ut ſuprà diximus, non ad argumentationem, ſed ad hominem explicationem referunt & accommodant: præſertim cum ſi hæc uera eſſet explicatio, is qui contrarium daret, non poſſet diſſoluere. Id quod in alijs fit. ut ſi unum uerum eſt alterũ falſum, & planè eodemq́; modo quis utrunq; dici concedat, explicatio nõ cõcludet: ſi explicatio nõ cõcludet, nulla erit explicatio. Quapropter in ijs captionibus quæ expoſitæ ſunt, etiã ſi dentur concedanturq́; omnia, non tamen ratiocinationem concluſionemq́; effici dicimus. Atq; hæ etiam orationes ſunt eiuſdem generis, Idne quod ſcriptum eſt aliquis ſcripſerit? Scriptum autem eſt nunc ſedere te, quæ falſa eſt oratio, uera autem erat cum ſcriberetur: ſimul igitur ſcribebatur uera falſaq́; oratio. Nam ueram falſámue orationem dicere, uel opinionem eſſe, non rem, ſed rei qualitatem modumq́; declarat. Eadem enim etiam in opinione manet oratio. Et, An quod diſcit quiſpiam, id eſt quod diſcit? Diſcit autem quis celeriter, id quod tardè percipitur. Non enim qui id dederit, aliquid eum, ſed quodammodo diſcere conceſſerit. Et illa, Id ne quod ali-

quis ambulat calcat? ambulat autem totum diem. Sed nō rem ambulare illum conceſſerit, ſed tempus cùm pergit. Nec cum poculum bibit, rem quæ eſt poculū bibit, ſed ex poculo. itémque illa, An quod aliquis ſcit, id uel inueniendo ſcit uel diſcendo? Eorum autem quæ ſcit, aliud inuenit, aliud ab alio didicit: quorum neutro utrunq; continetur: ſed fieri poteſt, ut eorum quæ ſcit quiſpiam & aliquid inuenerit ipſe didiceritque aliquid, & inuenerit didiceritq; omnia. Illa etiam, qua efficitur eſſe hominem quendam præter ipſum hominem & homines ſingulos: homo enim & quicquid commune eſt non rem quãpiam, ſed qualitatem, uel comparationem, uel modum effectionémue, uel tale aliquid ſignificat. Eadem eſt eius ratio qua quæritur, Coriſcus & Coriſcus muſicus ijdem ſunt, ánne diuerſi? Hic enim rem declarat, ille qualitatem: itaq; non eſt per ſe neque ullam habet ſoliditatem aut eminentiam. Nam enumeratio tertij hominis non facit hominem quendam tertium: ſed ſi cōcedatur, ut ſinguli homines, ſic tertius homo aliquam rem declarare. Neq; enim ſi Callias & homo quid ſignificet, idcirco homo etiam tertius. Nec quicquam intereſt, ídne aliquis quod enumeratur & exponitur, non rem & ſubſtantiam ſignificare, ſed qualitatē dixerit. Nam præter multos unus quidam ueluti homo futurus eſt. Illud igitur perſpicuum eſt, non eſſe dandum id quod communiter in omnibus dicitur declarare aliquid, ſed uel quantitatem, uel qualitatem, uel relationem, uel aliquid aliud generis eiuſdem. Omnino argumentationum omnium captiones, quæ ex uerbo erunt, ſemper ex contrario eius unde captio orta eſt, diluentur: ueluti ſi ex coniunctione exiſtet, diſtinctione explicabitur: ſin ex diſtinctione, coniunctione. Rurſus, ſi ex accentu acuto naſcetur, in graui erit explicatio: contráq; ſi ex graui, in acuto erit. Si uerò homonymum uerbum eam effecerit, cōtrarium uerbum erit proferendum. ut ſi uſuueniat ut animatum eſſe quid dicat, ille



ille autem neget eſſe: profectò id inanimatum ſit neceſſe eſt. Sin inanimum eſſe quid dederis, alter autem contrà animatum eſſe concludat: tibi dicendum erit, te eam rem, quæ uacet animo, intellexiſſe. Similis eſt ambiguorum ratio. Si autem ex ſimilitudine uerbi oriatur, à contrario petenda erit explicatio. Vt in hac, Id ne det aliquis quod non habeat? non quod non habet, ſed quemadmodum non habet: ueluti unum modò calculum. Et ſi quæratur, An quod ſcientia quis comprehendit, id uel inueniendo uel diſcendo comprehenderit? reſpondendum eſt, non quæ ſciat. &, An quod pergit calcat? Reſpondendum, non eo tempore cum calcat. Quod eodem modo de cæteris iudicandum eſt. Quod autem attinet ad eas captiones quæ ex attributis rerum naſcuntur, una omnium explicatio eſt. Nam quoniam nondum à quoquam expoſitum eſt, quando in re ipſa uerè dicatur, id quod accidentibus & attributis conuenit, & in nonnullis uidetur dici, ídque confirmant qui hanc explicationem inuenerunt: alia autem ſunt in quibus non neceſſariò effici aſſerunt: nobis certè dicendum eſt æquè de omnibus, id nō neceſſariò effici, & quid uel quale proferamus habere debemus. Hæ autem orationes ex attributis & accidente oriuntur: ut, Sciſne quid ex te ſim quæſiturus? Noſtin' eum qui ad nos uenit, aut eum qui opertus eſt? an ſtatua opus tuum eſt? an tuus canis pater? an admodum pauca, pauca ſunt? Perſpicuum eſt enim in his omnibus non neceſſe eſſe quæ in accidente uerè dicantur, ea etiam in re intelligi, præſertim cum in eas tantummodo res quæ natura & ſubſtantia non differunt, unumq; ſunt omnia eadem cadere uideantur. Aliud autem eſt bonum, & bonum eſſe & interrogandum, & aliud eum qui accedat opertus, accedere, & Coriſcum eſſe. Quocirca non ſi Coriſcum noui, & eum qui accedit ignoro, eundem & noui & ignoro. Nec ſi hoc opus eſt, & meum eſt, idcirco meum eſt opus: ſed uel poſſeſsio, uel

res,uel quiduis aliud. Quod idem in cæteris ſit captionibus. Nonnulli autem hæc,diſtinctione interrogationis refellũt:fieri enim poſſe aiunt, ut idem & noſcatur & ignoretur: ſed non eadẽ ex parte atq; cogitatione. Itaq; eum qui uenit ignorare ſe,& Coriſcum noſcere cum dicunt,idem ſe & noſſe & ignorare fatentur:ſed alia atque alia ratione. Atqui primùm quemadmodũ iam diximus,omnibus captionibus quæ ex eodem uitio oriuntur,eadem adhibenda eſt correctio. cui hoc loco non erit locus.Si quis eandem enuntiationem ſumat,in qua non cognoſco uerbum,ſed ſum aut aliqua affectio modúſq; ponatur:ut ſi hic pater ſit,& ſit tuus.ut enim in quibuſdam hoc uerè dicatur,fieriq; poßit ut idem & noſcatur & ignoretur, at non in hoc loco.Nihilq; prohibet multa uitia in eadem ineſſe argumentatione:ſed non omnis uitij declaratio explicatio eſt.quippe cum aliquis poßit docere falſum cõcluſum eſſe, & unde concluſum ſit non docere.ueluti Zenonis argumentatione,qua efficiebatur nõ eſſe motum.Itaq; ſi quis det operã, ut Zenonem incommodo, concluſa argumentatione urgeat, errabit,etiam ſi millies concludat:neq; enim hæc explicatio eſt,cum ſit explicatio,explanatio cauſæ cur falſa ſit concluſio.Ergo ſi non concluſerit quiduis,aut etiam uerum aut falſum conctur cõcludere,illius explanatio explicatio eſt.Quãquam autem illud explicandi genus in quibuſdam nihil prohibet ualere,tamen in his quæ ſuprà allata ſunt non ualet omnino.Nam Coriſcum,quia Coriſcus eſt,nouit, eumq; qui uenit, quia uenit.Et fieri poteſt,ut idem & noſcatur & ignoretur. Veluti albus eſſe noſcetur, & muſicus eſſe ignorabitur. Sic enim eundem quis & nouit,& non nouit:ſed non eadem ratione & cogitatione uenientem & Coriſcum, & uenire & Coriſcum eſſe nouit.Simili in errore uerſantur ij qui omnibus in numeris multa & pauca refellunt. Cum enim cõcluſio non ſequatur,tamen id dicere prætermittunt, & uerũ concluſum

eſſe



eſſe concedunt, uel multa in numeris uel pauca eſſe omnia. Quod peccatum eſt uel maximum. Sunt etiam qui ex ambiguo concluſiones & argumenta explicent, ut dicãt tuum eſſe patrem, aut filium,aut ſeruum. Atqui ſi ex ambiguo naſci captio uideretur,profectò uel uerbum uel ipſa oratio multorum propria eſſe deberet:& hunc eſſe huius filium,ſi filij ſit dominus,nemo propriè dicit:ſed ex attributis perſonarum hæc omnis eſt uerborum collocatio.Eſt ne hic tuus? etiam.eſt autem hic filius,hic igitur tuus eſt filius.quòd accidit ut hic eſſet & tuus & filius:ſed nõ filius tuus.Eadem eſt ratio illius qua aliquid malorum bonum eſſe oſtenditur.Prudentiam enim malorum eſſe artem.Aliquid autem eſſe aliquorum nõ ambiguè dicitur,ſed poſſeßio.quod ſi fortè dicatur,peccatum in eo eſt: quoniam hominem animalium eſſe dicimus,ſed non poſſeßionem.ac ſi quid ad mala quaſi illorum gignendi caſu ſit referatur:propterea malorum eſt, non tamen id in malis. Ita ex eo quod quodammodo eſt, etiã omnino uidetur. Quãquam fieri poteſt fortaſſe ut bonum malorum ſit duobus modis & ambiguè non in ſuperiori oratione:ſed ſi quis ſit ſeruus probus improbi.imò uerò ne ſic quidẽ erit. Non enim ſi bonũ ſit, & huius ſit:propterea ſimul huius ſit bonũ. Quin,ne illud quidem hominem eſſe animãtium ambiguè dicitur. Neq; enim ſi quid interdũ detracta & tacita aliqua parte ſignificamus, id ambiguum eſt:quippe cum pronuntiatio dimidiato uerſu, ueluti, Muſa mihi memora,ſi dicamus,Da mihi,Iliadẽ ſignificemus.

## CAP. XIX.

CAptiones autem quæ ex eo maximè naſcũtur, quòd aliquid, aut aliqua ex parte, aut alicubi, aut quodammodo,aut cum aliquo collatum dicitur,non omnino, ita facillimè diſſoluemus,ſi ex contraria oratione ſpectabimus, eorúmne quippiam in concluſione uideatur. Contraria enim & quæ proprio & quæ communi nomine appellantur, & aientia &

negantia in eodem omnino eſſe non poſſunt, cum interea utrumq; quadam ex parte, aut quodã modo, aut cum alio atq; alio collatum, aut hoc quadã ex parte, illud omnino nihil prohibet. Itaq; ſi unum quadam ex parte alterum omnino in eandem rem cadat, nondum reprehenſio eſt. Idq; ex contraria oratione in concluſione ſpectandum eſt. Hæc autem inſunt in his orationibus, fieríne poſsit, ut id ſit quod non eſt: eſt autem aliquid quod non eſt. ſimiliter quod eſt non erit. non enim aliquid eorum quæ ſunt futurum eſt. Fieríne poſsit, ut idẽ ſimul ſanctè iuret & peieret? fieríne poſsit, ut idem ſimul eidem & credat & nõ credat? Sed aliud eſt eſſe aliquid, & eſſe omnino. & quod non eſt, non ſi quippiam eſt, etiam omnino eſt: nec ſi quis aliquid ſe iuret facturum, aut aliqua ex parte, religioſe iurat neceſſariò. Etenim qui ſe peieraturum iurauit, ſanctè iurat ille quidem peierans in hac re tantummodo, tamen ſanctè non iurat omnino. Nec qui nõ habet fidem credit, ſed quadam ex parte credit. Similis eſt etiam ratio illius mentiri eũdem ſimul, & uerum dicere. Sed quia non facilè cognoſci perſpiciq; poteſt, détne quiſpiam mentiri planè alterum & uerum dicere, id difficile uidetur: cũ interim nihil prohibeat eundem & omnino mendacem eſſe, & quadam ex parte ueracem: aut ueracem aliquem in re quapiam, ueracem autem non omnino. Eodem modo de ijs quæ ex comparatione, & ex eo quod quadam ex parte, & aliquando ſit, oriuntur, iudicandum eſt. Omnes enim hæ captiones ex eo naſcuntur. Síntne ualetudo & diuitiæ in bonis: atqui inſipienti & ei qui non probè utitur, non ſunt bona: in bonis igitur ſunt, & in non bonis. An ualere & poſſe in ciuitate utile eſt: incidere autem poteſt tempus cum etiam non utilius & ſatius ſit: idem igitur eidem utile & inutile. Quanquam nihil prohibet id quod omnino ſit bonum & utile, alicui non eſſe bonum. Sítne id malum quod prudens nolit? Bonum autem prudens nõ uult amit-

tere:



tere: malum igitur id quod bonum. Aliud eſt enim bonum malum eſſe dicere, & bonum repudiare. Similis eſt etiam quæ de fure tractari ſolet argumentatio. Non enim ſi fur malus ſit, & accipere malum, propterea ille uult malum ſed bonum, accipere enim bonum eſt, & morbus malum: at morbum reſpuere non eſt. An ius magis expetendum ſit, quàm iniuria? & facere iuſtè, quàm iniuſtè? at mori iniuſtè magis expetendum eſt. An ſua quemq; tenere æquum eſt? Quæ autem aliquis de ſua ſententia iudicarit ſi falſa ſint, ex lege rata ſunt: idem igitur iuſtum & non iuſtum. Itémq; illa, uter condemnandus eſt, is ne qui ea quæ iuſta ſunt commemorat in iudicio, an is qui iniuſta? Atqui æquum eſt eum qui iniuriam accepit, ea quæ paſſus eſt accommodatè exponere: quæ eadem iniuſta ſunt. Adhuc captiones expoſui, nunc quemadmodum diſcutiendæ ſint dicam. Non ſiquid ferre iniuria expetendum eſt, idcirco iniuria præſtat ferre quàm iure: ſed iure pati præſtat omnino, aliquid autem nihil prohibet iniuria pati præſtare quàm iure. Itémq; tenere ſua quemque iuſtum eſt, & aliena iniquum eſt, & tamen iudicium hoc iuſtum eſſe nihil prohibet, ut ſi factum ſit iudicis ſententia. Non enim ſi quid iuſtum eſt, aut aliquo modo iuſtum, propterea omnino iuſtum eſt. Itémq; nihil prohibet, eorum quæ iniuſta ſunt atque iniqua, iuſtam eſſe expoſitionem. Neque enim ſi qua æquum eſt commemorare, ea etiam iuſta eſſe neceſſe eſt. Sicuti nec ſi qua utile eſt dicere, idcirco utilia ſunt. Quod eodem modo de rebus iuſtis iudicandum eſt. Quocirca non ſi ea quæ dicuntur iniuſta ſunt, is qui res iniuſtas commemorando uincit. Ea enim dicit quæ & iuſtum eſt dicere, & iniquum ferre omnino. ijs autem captionibus quæ ex reprehenſionis definitione exiſtent, occurrendum erit ea ratione quam ſuprà præſcripſimus. Concluſione enim cum oratione contraria collata quemadmodum erit idem & eadem ex parte, & cum eo-

*dem collatum, & eodem modo eodémq; tempore, uidebimus. Quòd ſi initio diſputationis quæratur, non concedendum eſt fieri non poſſe, ut idem ſit duplum & non duplum. ſed dãdum eſt, non tamen eadem ratione. Id enim eſſet reprehendi ſine controuerſia. Captiones quæ ſunt ex hoc genere, ſunt huiuſmodi: Norítne rem qui quamq; rem qualis quæq; eſt nouit? Itémq; is qui ignorat? Atqui idem qui nouit Coriſcum quia Coriſcus ſit, eundem quia muſicus, ignorat. Eandem igitur rem & nouit & ignorat. Et rurſus, an res quatuor cubitorum magnitudine ea quæ trium eſt, maior ſit? fieri autem poteſt ex trium cubitorum magnitudine quatuor in longitudinem magnitudo: & quod maius eſt, minore maius eſt. Eadem igitur res ſeipſa & maior erit & minor. Eas uerò quæ ex eo oriũtur, quòd initium diſputationis petitur, uel ſumitur, is qui reſpondendi partes obtinebit, ſi id perſpicuum ſit, non dare, ſed uitium indicare debet, etiam ſi probabile uideatur. Sin obſcura illa erit primæ diſputationis petitio uel ſumptio, ignorationem ſuam propter uitium talium diſputationum ad interrogantem, ut qui minimè diſſerat, retorquebit. Reprehenſio enim primæ diſputationis petitionem ſumptionémue reſpuit. Deinde admonere debebit ſe id dediſſe, non ut eo ad id quo uſus ſit uteretur, ſed ut eius contrarium argumentando concluderet. Iam cùm eæ incident quæ à conſequentibus ſumuntur, in ipſa argumentatione docendum erit, duplex argumentum eſſe à conſequentibus: unum, cum ex parte totum concluditur, ut ex homine animal. uolunt enim, ut hoc ex illo conſequens eſt, ſic illud ex illo eſſe. Alterum, ex contrario. Si enim hoc illud ſequitur, illius etiam contrariũ alterius cõtrarium ſequetur. Ex quo ducta eſt Meliſſi argumẽtatio. ſi enim quod ortum eſt initium habet, id quod non ortum eſt & generatum, uult non habere. ita ſi cœlum ortum non habet, idem termino caret. Non ita eſt. contrà enim argumentatio ducitur.*

In



*In iis autem quæ ex eo concluduntur quòd aliquid adiunctum ſit, illud primum uidendum eſt, an eo ſublato quod adiectum eſt, nihilo minus incommodũ ſequatur. deinde eo plano facto dicendum eſt id datum eſſe à nobis, non quòd ita uideretur, ſed diſputationis gratia. id autem quomodo uſus eſt, nihil ad diſputationem pertinere. Eæ uerò quibus ex multis interrogationibus una fit, initio diſtinguendæ ſunt, cum præſertim ad interrogationem unam ſemel ſit reſpondendum. Itaq; nec plura de uno, nec unum in multis: ſed unum ex uno enuntiandum & negandum eſt. Vt autem in homonymis interdum utrique, interdum neutri conuenit, ut eos qui ſemel & omnino ad unum rogatum reſpondent, incõmodum nullum ſequatur: ſic in his cum multa uni, uel unum multis conueniunt, aut non conueniunt, eum qui omnino concedet uerſabitúrque in hoc errore, nulla ſequetur repugnantia. Cum autem unum cadit, alterum non cadit, aut multa in multis dicuntur, & quodammodo utrunque utrique conuenit, quodammodo non conuenit: tum nec concedendum eſt nec abnuendum: cuiuſmodi ſunt orationes, in quibus ſi unum ſit bonum, alterum malum, eſt uerum, hæc bonum eſſe & malum: & rurſus, neque bonum, neque malum: neque enim utrunque cadit in alterum. ita idem bonum erit & malum & nec bonum nec malum. Et ſi quæque res eadem eſt, ipſa & ſui ſimilis & à cæteris diuerſa: hæc autem cum non eadem quæ alia ſint, ſed ſui ſimilia & à ſeſe diuerſa, fit ut eædem res & à ſe diuerſæ ſint, & ſui ſimiles. Præterea ſi quid ex bono malum fiat, & ex malo bonum, iam duo erunt, quorum duorum & inæqualium utrunque ipſum ſibi par & æquale erit. ita eædem res ipſæ ſibi & æquales, & inæquales erunt. Ac hæ quidem captiones aliter etiam explicari poſſunt. Cum enim plura hæc nomina ambo & omnia declarent, fit ut eandem dicamus & negemus: nomen tamen alii atque alii rei quam ſignificet*

accommodemus. In quo nulla reprehenſio eſt. ſed illud perſpicuum eſt, ſi qua res una uni conuenire, aut non conuenire ſignificetur interrogando, non plura ſemel quærentur ex nobis, nos reſpondendo nihil incommodi eſſe ſuſcepturos.

## CAP. XVII.

QVod autem attinet ad eas captiones quæ eò deducunt nos ut idem iteremus uerbum, illud perſpicuum eſt, non eſſe concedenda per ſe ac ſeparatim aliquid ſignificare ea nomina quæ cum aliquo conferuntur. cuiuſmodi eſt duplum, quod ſolum ſine uerbo ſimpli, nihil ſignificat, propterea quòd tum unum quid eſſe uidetur. Nam & decem in ijs quæ uno dempto decem ſunt, intelliguntur: & uerbum facio in hac oratione, non facio, & omnino in negatione affirmatio. Sed tamen non ſi quis dicit quippiam non eſſe album, propterea ipſum album eſſe confirmat. Duplum autem per ſe nihil fortaſſe declarat: ſicut nec id quod in ſimplo intelligitur. quod ſi fortè ſignificat, at certè non idem quod cum ſimplici uerbo coniunctũ. Ne ars quidem in ſpecie quid ſignificat, ut cum medicina ars eſſe dicitur, in quo artis uocabulum latè patet: in illo autem ars & ſcientia eius eſt quod ſub ſcientiam cadit ſcientia. In ijs autem nominibus quibus alia definiuntur, hoc dicendum eſt, non idem per ſe ſignificare id quo utimur in definiendo, quod in oratione. Nam concauum promiſcuè & paſsim idem in ſimo & in obliquo declarat: coniunctum autem cum ijs, ut illud cum naris, hoc cum cruris uerbo coniugatur, nihil prohibet ſignificare. Nec intereſt, utrum dicas naſum ſimum, an naſum concauum. Præterea in his uerbis non eſt concedenda in recto dicendi ratio. Eſt enim falſa: quoniam (ut hoc uerbo utar) ſimitas non eſt naſus concauus, ſed naſi quædam quaſi affectio. Quapropter non eſt alienum nares ſimas nares eſſe, quæ concauitates narium habent. Quibus autem de cauſis ſolœciſmi fiãt, ſuprà diximus.

Quem



Quemadmodum autem diſcuti, diſſoluique debeant, in ipſis captionibus intelligemus. Omnes enim quas ſubijciam, ſolœciſmum facere uolunt. An quod uerè dicis, id uerè eſt? ais autem quidpiam eſſe lapidem: eſt igitur quippiam lapidem. Sed dicere lapidem, non eſt dicere aliquid quod neutrius, ſed quod maris genere declaratur. Quocirca ſi quis roget, an quem nominas, uerè hunc eſt? non latinè loqui uidebitur: ſicut nec ſi quis requirat, hiccine eſt quam eſſe dicis? Vtrum autem lignum hic, an ea quæ nec marem nec fœminam ſignificent, nihil intereſt. Itaque non fit ſolœciſmus in hac argumentatione, an quod ais eſſe, id lignum eſt? lignum autem ais eſſe: lignum igitur eſt. Lapis autem, & hic maris habet inflexionem. Quod ſi quis interroget, ſítne hic hæc? Deinde rurſus, quid? num hic Coriſcus eſt? tum dicat, Eſt igitur hic hæc: non concluſerit ſolœciſmum, ne ſi Coriſci quidem uerbum fœminam ſignificet: modo id non dederit is qui contrà diſputabit: ſed hoc antè quærendum eſt. Si uerò nec ſit illud, nec ille dederit, certè is nec uerè, nec contra eum qui rogatus eſt concluſerit. Eodem modo illic lapidem huius uocabulum declarare debet. Sin minus, nec alter id dedit ſignificare, non eſt appellanda concluſio: ſed uidetur eſſe, propterea quòd diſsimilis caſus nominis ſimilis apparet. Verum nc eſt hanc eſſe id quod eam ais eſſe: eſſe autem eam aſpidem ais: eſt igitur hæc aſpidem. Sed non neceſſe eſt, ſi aſpidem non id ſignificet: ſed aſpis & aſpidem hanc. nec quod ais eſſe, id hic eſt: ais autem eſſe Cleonem, eſt igitur hic Cleonem. Dictum eſt enim, quem ais hunc eſſe, hic eſt, non hunc. neque enim latina ſit interrogatio, ſi hoc modo proferatur, Scin' tu hoc? eſt autem lapis: ſcis ergo lapis. Sed non idem ſignificat in interrogatione, ſin' tu lapidem? quod in aſſumptione: eſt autem lapis. Sed in illa eſt accuſandi caſus, in hac recti. An cuius ſcientiam habes, id ſcis? lapidis autem ſcientiam habes: ſcis

igit

igitur lapidis. Sed quum dicis, cuius lapidem in gignendi caſu intelligis: quum autem id, lapidem in accuſandi caſu & maris genere. Datum eſt autem cuius ſcientiã haberes, id ſcire te, non eius: item non lapidis, ſed lapidem. Atque illud quidem perſpicuum eſt ex ijs quæ diximus, hæc argumenta non concludere ſolœciſmum, ſed ſpeciem quandam præ ſe ferre concluſionis: & quemadmodum eis ſit occurrendum.

## CAP. XXI.

INtelligẽdum eſt autem facile eſſe perſpicere in quibuſdam argumentis, in alijs difficile, qua de cauſa & qua in re auditorem capiant atque decipiant, cum ſæpe eadem hæc ſint quæ illa. Eadem enim argumenta captioſa uocanda ſunt omnia quæ ex eodem uitio nominantur. Idem autem argumentum captioſum alijs ex uerbo, alijs ex attributis & accidente, quibuſdam ex alio uidetur exiſtere, propterea quòd cum quicque transfertur non idem declarare uideatur. Vt ergo captionum earum quæ ex homonymia oriuntur, quæ ex omnibus maximè ſolent uſurpari, partim cuiuis perſpicuæ ac notæ ſunt: omnéſque captiones ridiculæ ferè in uerbo uerſantur, cuiuſmodi hæ ſunt, Vir uehebatur curru per ſcalas. Quo ςέλλεσθε ad direptionem? & utra boum ἔμπροσθεν peperit? neutra, ſed pone utraque, & καθαρὸς boreas? certè non. interficit enim mendicum & emptorem. An non Euarchus? non certè, ſed Apollonides, aliæq; eius generis plurimæ: ſic partim eos etiam qui in captionibus diu multúmque uerſati ſunt & exercitati fallunt & fugiunt. Idq; ex eo intelligi poteſt quòd ferè uerbis diſſentire & diſcrepare ſolent. uelut utrum idem ſignificet in rebus omnibus unum & id quod eſt, an aliud. nonnulli enim unum & id quod eſt idem declarare exiſtimant. alij Zenonis & Parmenidis rationem explicant, propterea quòd unum & id quod eſt, plura ſignificare uideantur. ſimiliter eæ captiones quæ in accidente alijſq; re-

bus



bus cernuntur, eam uim habent, ut in alijs facilius, in alijs difficilius perſpici poßit & genus ipſum captionis, & ſit nécne reprehenſio: nec in omnibus æquè id facile eſt. Difficilis autem & grauis eſt argumentatio quæ eam uim habet ut animi dubitando in contrarias partes diſtrahantur: ferit enim hæc pungítque maximè. Dubitatio autem duplex eſt: quarum altera in diſputationibus dialecticorum uerſatur, cum dubitamus quod potißimum rogatum ſequamur: altera in ijs cernitur quæ pugnandi ſtudio comparantur: cum in quo captionis genere propoſitum argumentum uerſetur ambigunt. Itaque in diſputationibus dialecticorum argumẽta difficiliora magis ad inquirendum impellunt. Argumenta autem dialecticorum tum demum ad refellendum difficillima erũt, ſi ex ijs quæ uidentur quàmmaximè probari id quod maximè probabile eſt euertent & confirmabunt: una enim cum ſit argumentatio, tamen contraria & contradicente enuntiatione translata omnes ratiocinationes ſui ſimiles obtinebit: quippe cum futurum ſit ſemper, ut ex probabilibus item probabile infirmet & confirmet, ut ambigere & dubitare animis neceſſe ſit. Ac difficilis quidem illa maximè eſt quæ interrogationibus parem ac ſimilem facit concluſionem. Secundo loco ea quæ ex ſimilibus omnibus progreditur, quæ faciet item ut dubium ſit utrum rogatum negandum ſit: id quod difficile factu eſt. Nam & infirmandum eſt, & tamen utrum ſit incertum eſt. Earum autem quæ certandi ſtudio comparantur, ea primum difficillima eſt, quæ quum primum tractata eſt, dubium eſt rem nécne concluſerit & effecerit, & utrum in diſtinctione ac falſitate illius conſiſtat explicatio. Deinde ex reliquis ea cuius explicationem perſpicuũ eſt uel in falſitate uel in diſtinctione uerſari, ſed dubium eſt utrius rogati euerſione aut diſtinctione ſit diſſoluenda, quin etiam utrum in concluſione an in altero rogato explicatio quæri debeat. Ac interdum quidem

ineptu

ineptum eſt argumentum ex quo nihil eſſectum eſt tum cum nimis improbabiles aut falſæ ſunt aſſumptiones, interdum autem non eſt negligendum. Nam & cum aliquod rogatum deeſt, in quo illa uis ineſt, ut in eo uerſetur, & ut ex eo ducatur argumentum: neque id aſſumptum eſt, & tamen tractatum eſt & explicatum argumentum, inepta ratiocinatio eſt: & cum aliquid prætermiſſum eſt eorum quæ extrinſecus ad rem quæ propoſita eſt confirmandam aſſumuntur, non facilè contemni negligique debet: ſed argumentum ſatis eſt aptum & æquum, & is qui interrogat non præclarè ſuo functus eſt munere. Explicatio autem aliàs ad totam argumentationem, aliàs ad eam quæ rem quærit & ad rogatum, interdum ad neutrum eorum referri poteſt. Eodémque modo quærere licet & tractare argumentationem tum contra id quod uenit in diſputationem, tum contra eum qui reſpondet, tum contra tempus cum plus temporis deſyderat explicatio, quàm quantum datum ſit ad diſſerendum contra explicationem.

## CAP. XXII.

DIximus ex quot quibúſque naſcantur captiones in diſputando, & quemadmodum eum qui mentiatur indicemus, impellamúſque alterum ut admirabilia quædam & contra opiniones omnium dicat. Oſtendimus præterea ex quibus efficiatur ratiocinatio, & quænam ſit interrogandi ratio, & quiſnam ſit interrogationum ordo. illud etiam docuimus, quis ſit uſus horum argumentorum. diximus de ratione & diſciplina reſpondendi, & quemadmodum argumēta captioſa ratiocinationéſque diſſolui debeant. Reliquum eſt ut de inſtituti noſtri ratione enumerantes, noſtrúmque ſermonem concludentes, pauca dicamus. Propoſitum nobis fuit rationem quandam de omni re propoſita diſſerendi ex ijs quæ maximè probarentur inuenire. hoc enim officium eſt dialectices, & eius rationis, quæ periculi faciendi cauſa comparata eſt. Quoniam

autem



autem antè confirmauimus dialecticen propter ſophiſtices quam ſequuta eſt uicinitatem, non ſolum poſſe probabili, ſed etiam neceſſaria ratione diſſerere: ob eam cauſam, non ſolum eius officium in eo poſuimus, ut ea inſtructi argumenta ſumere, ſed etiam ut argumentis reſiſtentes cauſam diſſerendi ijs aſſerendis quæ maximè item probabūtur defendere poßimus. cuius nos modo quæ cauſa eſſet diximus, ob eámque cauſam Socrates quærere ſolebat, non reſpondere: quippe qui nihil ſe ſcire fateretur. quæ quidem facultas ad quas res eſſet utilis, & quibus, quótq; rebus comparari poſſet, atque unde harum rerum nobis magna ſuppeteret copia in ſuperioribus libris demonſtrauimus. Illud etiam expoſuimus quæ eſſet interrogandi ratio & ordo, quæ reſpondendi, & quomodo explicanda argumenta. Cætera etiam oſtendimus quæ ad eandem rationem diſſerendi pertinēt, denique ut etiā ſupra dictum eſt, de captioſis & fallacibus argumentis diximus. Quæ cum ita ſint, certè hinc inſtituti noſtri ratio cōmodè habebit terminū.

## CAP. XXIII.

QVod autem in ea de qua agitur arte uſu uenerit ignorare minimè debemus, eorum omnium quæ inueniuntur partim cum prius ab alijs percepta & comprehenſa eſſent, & ſigillatim elaborata opera eorum qui poſterius accepiſſent, progreſſa eſſe longius, partim à prima origine paruam primum progreßionem facere ſolent, ſed multo utiliorem ea quæ aſſequuntur ex his, amplificatione. Cum enim maxima eſt in principio totius rei uis, ut dicitur, tum difficultas maxima. Quo enim maior eſt in eo uis, eò quoniā perexiguum eſt, difficilius cadit ſub aſpectum, hoc autem inuento, facilius eſt reliqua addere & conducere. quod etiam in libris de ciuili ſcientia contingit, ac ferè in cæteris artibus omnibus. Qui enim artes inuenerūt, omnino paulum aliquid proceſſerunt: ij autem qui nunc in honore habentur, cum à multis quaſi hæ-

redit

*reditario iure, ijs qui uiciſsim propagarunt accepiſſent, ſic auxerunt. Tiſias quidem primis ſucceſsit, Tiſiæ Thraſymachus, Thraſymacho Theodorus, multóque multas partes contulerunt ut hanc magnam eſſe artem nihil mirum eſſe uideatur. At ucrò huius artis non partes aliquæ perfectæ erant initio, aliæ non erant: ſed ne una quidem omnino ſuberat. Nam eorum qui diſputationes eas quæ certandi ſtudio inſtituebantur mercede docebant, ſimilis erat diſciplina Gorgiæ inſtituto. Nam cum orationes alij ad dicendum, alij quæ ad quærendum & interrogandum ualerent, darent ediſcendas, in quas utrique ſæpe mutuis ſermonibus incidere ſolebant: fiebat ut diſcipuli celeriter illi quidem, ſed ſine arte perciperet quæ ab illis traderentur: præſertim cum ita demum ſe inſtituere & docere exiſtimarent, ſi non artem, ſed ea quæ artis eſſent traderent. ut ſi quis artem ſe traditurum profiteretur qua pedum dolori mederemur, deinde non artem doceret calceorum conficiendorum, nec unde hæc pararentur traderet, ſuppeditaret autem uaria genera calceorum, is certè ut adiumentum ad uſum adferret, artem tamen non traderet. Et eloquentiæ quidem multa profectò & ueterum præcepta extiterunt, dialectices autem nullum omnino habemus antè aliud, quàm longo uſu quærendo multum temporis conſumpſimus. Quod ſi uobis in hæc ipſa intuentibus non uidetur hæc ipſa diſſerendi ratio ex ijs quæ ab initio ſuppetebant ſatis præclarè conſtituta eſſe præ ceteris artibus, quæ hæreditario quodam iure ad tantam amplitudinem elatæ ſunt: hoc profectò unum reliquum eſt uobis, aut ijs qui audient, officium, ut ſi qua prætermiſſa ſint, ijs qui prætermiſerunt ueniam detis: & ſi qua inuenta, inuentoribus gratiam habeatis.*





# OBSERVATIONES IN PORPHYRII INSTITVTIONES, IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI.

*

NON ſum ignarus, multos inſtitutum noſtrum cum in conuertenda Philoſophia, tum vel maxime Dialectica Ariſtotelis eſſe reprehenſuros, quòd cùm tot ſeculis recepta & vſitata ſint in his artibus multa vocabula, ea tamen eiicere & expellere nõ dubitem ex eorum finibus. Quibus etſi in libro de optimo genere interpretãdi reſpondimus, tamen hoc etiam loco aliquid dicendum putaui, quo æquiore animo noſtra legãt, & cum legerint, in iis ſi forte digna ſint, acquieſcant, aut certe ne improbent, quæ ad communem omnium vtilitatem ſcripta eſſe cognoſcent. Hoc igitur illi habeant, quæ in Philoſophia trita ſunt vocabula, magna ex parte barbara eſſe, & ſic barbara, vt non modò rem non aperiant, quæ per ſe ſit obſcura & inuoluta, verũ etiam miris quibuſdam tenebris obducant & obſcurent, vt non minor cura & diligentia in ſingulis & coniunctis verbis cognoſcendis, quam in re animo cõprehendenda, adhibẽda ſit. Quas nobis difficultates & incommoditates tot ac tantas ii homines inuexerunt, qui Philoſophiam primi à Græcis ad nos tranſtulerunt. Nam cùm vel Latinè neſcirent, vel verbum è verbo ſibi exprimendum putarent, factum eſt vt verbis minus aptis & Latinis vterentur. Ita qui ſe ex illis temporibus ad Philoſophiam contulerunt, verba quibus illam explicatam inuenerunt, didicerũt, & hauſerunt, triuerũtq; pro Latinis. Quæ cum ita ſint, ſi Philoſophiæ ego ſua ornamẽta, quæ temporibus Ciceronis accepit, quibúſque adhuc caruit, aut ſpoliata eſt poti⁹, reſtituere coner, certè nemo me niſi inuidus eius gloriæ iure reprehendat. Me quidem hac oratione indoctorum cõſuetudo vti cogit, quoniam hæc doctos probaturos eſſe confido. Iam enim nõnullis locis oſtendam, cur à cæteris diſceſſerim, ſed ita, vt nihil eos putẽ contra eſſe dicturos, ſum enim ea omnia à Cicerone mutuatus.

## DE PRAEFATIONE.

DE generibus ac formis, περὶ γενῶντε ϗ εἰδῶν) Ciceronem authorem adhibeo, vtens in genitiuo & datiuo aut ablatiuo formarum & formis, nõ ſpecierũ & ſpeciebus: ſcribit enim in Topicis, his ferè verbis: In diuiſione formæ ſunt, quas Græci εἰδέας vocant, noſtri ſiqui hæc forte tractant, ſpe-

cies appellant,non peſsimè id quidem, ſed inutiliter ad mutandos caſus in dicendo.Nolim enim ne ſi Latinè quidem dici poſsit, ſpecierum & ſpeciebus dicere, & ſæpe his caſibus vtendum eſt,at formis & formarum velim. Cum autem vtroque verbo idem ſignificetur , commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Nec ſolùm in his duobus caſibus hoc verbum vſurpo,ſed in aliis etiam omnibus : vt quoniã ſæpe altero,quod tritum eſt, vtendum erat:his libris varietate diſtinguatur oratio.

Cohæreántne,εἴτε ὑφέστηκεν.) Quoniam hoc verbum crebrum eſt in Dialectica , nec Latinè adhuc à quoquam expoſitum eſt ( dicunt enim omnes ὑφιστάναι,ſubſiſtere,quod in hoc barbarum eſt) dicam quæ apud Ciceronem illi paria inuenerim. Hæc quidem duo dicit pro illo ὑφιστάναι, Cohærere & Conſtare,Priore vſus eſt in primo Academic. quæſt. De natura autem ( id enim ſequebatur)ita dicebant,vt eam diuiderent in res duas,vt altera eſſet efficiens,altera autem huic ſe præbens, eáque efficeretur aliquid.In eo autem quod efficeretur,materiam quandam, in vtraque tamẽ vtranque. Neque enim materiam ipſam cohærere potuiſſe ſi nulla vi contineretur,neq; vim ſine materia.In tertio de Oratore,2.ferè pagina,Ac mihi quidem veteres illi, maius quiddam animo complexi, plus multo etiã vidiſſe videntur, quàm quantum noſtrorũ ingeniorum acies intueri poteſt:qui omnia hæc, quæ ſuprà & ſubter vnum eſſe,& vna vi atq; vna conſenſione naturæ cõſtricta eſſe dixerunt. Nullũ eſt enim genus rerum,quod aut auulſum à cæteris per ſeipſum conſtare,aut quo cætera,ſi careant,vim ſuam atq; æternitatem conſeruare poſsit.Hic me locus admonuit,vt non ſolum ὑφιστάναι cõſtare dicerem, ſed ea etiam quæ Porphyrius deinceps vocat χωριστὰ, auulſa dicerem.hoc autem loco χωριστὸν rem dicit,non vim ſeparandi.

An ne corporis expertia, ἢ ἀσώματα) Verba Græca quibus,ἀ,præpoſitio priuans præpoſita eſt, Cicero ſolet his exponere,carens,expers, quoties eis, in,præpoſitionem non poteſt commode adiungere. ἄλογον, expers rationis, & carens ratione : de quo vocabulo cum paulo infra dicemus, ſimul locos Ciceronis proferemus. ἄσωμα etiã dicit,non corpus,Cicero: vt nomẽ quod Dialectici authore Ariſtotele vocant infinitum,efficere videatur.In 1.Academic.quę.Nec verò quod efficeret aliquid,aut quod efficeretur,poſſe eſſe non corpus. Paulò ſuprà ἄσωμα dicit quod expers eſt corporis , ſeu naturã quæ expers eſt corporis.diſcrepabat etiam ab iiſdem,quòd nullo modo arbitrabatur quicquã effici poſſe ab ea quæ expers eſſet corporis. ἄσωμα etiã dicit carens corpore,& quod ſine corpore eſt,lib.1.de Natura Deo.Cũ autẽ ſua corpora idem vult eſſe Deum , omni illum ſenſu priuat & prudentia. Quo porrò modo mundus moueri poteſt carens corpore?Quanquam ἀσώματον,ibi vertit,non ἄσωμα. Paulò enim ſuprà ſcribit hoc modo,Quòd verò ſine corpore vllo Deum vult eſſe , vt Græci dicunt , ἀσώματον, id quale eſſe poſsit,intelligi non poteſt.Hæc autem omnia quibus,ἀ,præpoſitio pręponitur, tot modis conuerti poſſunt. De quibus in libro de optimo genere interpretandi multa diximus.

### DE GENERE.

QVia vnum quiddam,& qui inter ſe quodãmodo affecti ſunt, τινῶν ἐχόντων πῶς πρὸς ἕν τι,καὶ πρὸς ἀλλήλους:ἔχειν πρὸς ἕν τι, Cicero dicit ſemper affectum eſſe ad aliquid.In Topicis,Ducũtur etiam argumẽta ex iis rebus,quæ quodãmodo affectæ ſunt,ad id de quo quæritur.In eo.lib.Sequitur is locus, qui conſtat ex iis rebus quę quodãmodo affectę ſunt ad id de quo ambigit.





Qua quidem ſignificatione, καθ᾽ ὃ σημαινόμενον) In libro de optimo genere interpretandi,in hoc genere docui κατὰ,Ex,dici oportere.Alij dicunt ſecundum,barbare,dum verbum ex verbo exprimendum putant.

Ex vnius Romuli collatione, ἐκ τῆς ἀφ᾽ ἑνὸς σχέσεως ) σχέσιν habitudinem cæteri dicunt,ego melius,affectionem,relationem, & collationem in Philoſophia dici arbitror. Quam enim habitudinem appellant , ea eſt quædam rerum duarum aut plurium inter ſe collatio,comparatio,& affectio. Cicero in Topic.Comparantur igitur ea quæ aut maiora, aut minora,aut paria dicuntur.in quibus ſpectantur hæc,numerus,ſpecies,vis,quædam etiam ad res aliquas affectio.Paulo infra,Affectio autem ad res aliquas eſt huiuſmodi,principum commoda maiora quàm reliquorum.

Dicitur etiam alio modo genus, λέγεται δὲ καὶ ἄλλως πάλιν γένος.) Cicero genus dicendi crebro à Græcis vſurpatum,interdum mutuatus eſt ab illis. In primo Tuſculan.quæſtio.Dicitur etiam alio modo carere , cum aliquid nõ habeas,& non habere te ſentias,etiam ſi id facile patiare.

Cui ſpecies ſubiicitur , ᾧ ὑποτάσσεται τὸ εἶδος, ὑποτάσσεσθαι idem quod ὑποκεῖσθαι, valet. Cicero in Topic.Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubiiciantur. Nequa ſit admiratio velim, ſi Ciceronis interpretationem congruere cum Porphyrij verbis oſtendam. quoniã ipſe Porphyrius non ſolùm Peripateticorum ſententiis, ſed rebus etiam vtitur. Cicero in lib.1.de inuentione,verbis ſpeciem, quam partem appellat, definit, quæ definitioni Porphyrianæ reſpondent. Pars eſt,inquit,quę ſubeſt generi:ſic Porphirius,λέγεται δὲ εἶδος, καὶ ὑπὸ τὸ ἀποδοθὲν γένος. Itaq; verbis Ciceronis vſus ſum in conuertenda hac Porphyriana definitione.In aliis libris omnibus nunquam in hoc genere Cicero ſubeſt dicit,ſed ſubiicitur. Variandæ autem & illuſtrandæ orationis cauſa tribus modis Cicero hoc verbum ſolet in eadem pagina iungere,in 4.Tuſcula. Cum datiuo,de quo iam diximus,Cum accuſatiuo & ablatiuo adiecta,ſub,prępoſitione:Sub metum autem ſubiecta ſunt pigritia,pudor,&c.Paulò infrà,Quę autem ſubiecta ſunt ſub metu,ea ſic definiunt.

Quod de multis , ſpecie autem differentibus in quæſtione dicitur , quæ quid quicque ſit quæritur, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον.)Dicere κατὰ πλειόνων,de pluribus,vix permittit Latini ſermonis conſuetudo. Vix enim plures niſi in comparatione dicimus. Quale eſt illud Ciceronis in 1.de Orat. Genus autem id eſt, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes duas aut plures complectitur partes. Licuit etiam ſic genus definire, vt Cicero. Sed quoniam alia eſt Oratorum, alia Philoſophorum definiendi ratio, verbis Philoſophorum vti malui.Eſt enim κατηγορεῖσθαι verbum Philoſophorum,vel authore Cicerone,id quod alio loco docui : ſed non erit alienum hic quoque eius verba proferre.In 4.Tuſcula.quæſtio. Diſtinguit illud etiam, vt ſit libido earum rerum quæ dicuntur de quodam aut quibuſdam,quæ κατηγορήματα Dialectici appellant,vt habere diuitias,cupere honores. Diligentia, libido rerum ipſarũ eſt,vt honorum,vt pecuniæ.Ex quo perſpicuum eſt,hanc locutionem, dici de quodam aut quibuſdam Latinam eſſe & propriam Philoſophorũ.Prædicari autem de quodam aut quibuſdam fugiamus.Intelligendum eſt etiã, non ſolùm hoc modo , dici de multis, ſed etiam , dici in multis à Cicerone vſurpari.quod Gręci dicunt,verbum ex verbo exprimentes, aut nos potius ab illis, ἐπὶ τῶν κατηγορεῖσθαι. Et quoniam nemo eorum qui ante me hos libros interpretati ſunt , hoc genere dicendi vſus eſt, etiam ſi apud Porphy-

rium id legerit, putaui hunc locum aperiendum pluribus. Cicero 1. Tuſcul. quęſti. Carere in malo non dicitur, non enim eſſet dolendum. Dicitur illud bono carere, quod eſt malum. ſed ne viuus quidem bono carere, ſi eo non indiget: ſed in viuo intelligi tamen poteſt regno carere. Dici autem hoc in te ſatis ſubtiliter non poteſt: poſſet in Tarquinio, cùm regno eſſet expulſus. Illud primum, Carere in malo non dicitur, quid aliud valet, quàm, carere de malo non dicitur, Et illud, Carere regno in te dici non poteſt, quid aliud ſignificat, quàm carere regno de te dici non poteſt? Et carere regno in Tarquinio, cùm regno eſſet expulſus poſſet dici, quid aliud declarat? Nunc à Porphyrio, id eſt, à Græcis hoc genus vſurpari doceamus. Porphyrius extrema pagina εἶδος δὲ καὶ συμβεβηκὸς κοινὸν μὲν τὸ ἐπὶ πλειόνων κατηγορεῖσθαι, id eſt, hoc autem ſpeciei cum accidente commune eſt, quòd in multis vtrunque dicitur. In tractatione ſpeciei, τὸ δὲ ἄτομον ἐφ' ἑνὸς μόνου τῶν κατὰ μέρος. antecedit enim verbum λέγεται. λέγεσθαι enim vt κατηγορεῖσθαι. vtroque modo conſtruitur. Nec verò porphyrij propria eſt illa locutio. Ariſtotelis eſt etiam in libro de interpretatione, λέγω δὲ καθόλου μὲν, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι. καθ᾽ ἕκαστον δ᾽, ὃ μή.

In quæſtione dicitur, qua quid quicque ſit, quæritur, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον.) in eo quod quid eſt. Quæ quàm inuoluta & obſcura eſſet oratio, 13. abhinc anno, cũ primũ Dialecticos audire cœpi, in me ipſe animaduerti. Vix enim aut ne vix quidem cùm centies idem repetiuiſſem, intelligere potui: vt niſi Philoſophiæ ſtudio & cupiditate iam inde à ſuperiore quadriennio flagrantem me propter multas ratiocinationes, quas apud A. Gellium legeram, nec intelligere poteram accepiſſet, libenter à Philoſophis iam tum diſceſsiſſem. Quod idem pleriſque videri ſcio. Sunt enim Græcorum plerunque ita conciſæ orationes, & tamẽ apud illos ſplendidæ, vt breuitatem Latina nullo modo conſequi poſsit. Itaque in talibus non verbum ex verbo exprimere debemus, niſi & obſcurare rem totam, & indiſerti videri volumus. hoc ergo pluribus exponendum eſt. Ego duobus modis: & vt ſuprà feci, & hoc modo, Quod in quæſtione qua rei vis & natura quęritur, dicitur. hoc autem ſic exponẽdum eſſe id declarat, quod deinceps eſt apud Porphyrium in tractatione differentiæ. Nam poſteaquam differẽtiam definiuit eſſe τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει. ἐν τῷ ὁποῖόν τι ἐστι κατηγορούμενον. id eſt, differentia id eſt, quod de multis ſpecie autem differentibus dicitur, in quæſtione ea qua quale quid ſit quæritur, hoc addit, τί μὲν γάρ ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ἐρωτωμένων ἡμῶν οἰκεῖον εἰπεῖν, ζῷον. ὁποῖον δὲ ζῷον πυνθανομένων, ὅτι λογικὸν καὶ θνητὸν, οἰκείως ἀποδώσομεν. id eſt, Si enim quid ſit homo rogemur, apte animal reſpondebimus. at quale animal ſit ſi requiratur à nobis, rationis particeps & mortale, accommodate reſpondebimus. Itaque in illo ἐν τῷ τί ἐστι, ἐν τῷ ὁποῖόν τι ἐστι, intelligendum puto ζητήματι. Sunt enim duæ quæſtiones, quid ſit, & quale quid ſit: ex quibus duæ dicendi rationes naſcuntur, altera naturæ, altera qualitatis: quibus inter ſe genus & differentia ſecernuntur. Cicero hoc docet in Orat. Nam quoniam quicquid eſt quod in cõtrouerſia aut in contentione verſetur, in eo aut ſitne, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur: Sitne, ſignis: quid ſit, definitionibus: quale ſit, recti prauique partibus, &c. Infra eodem libro τί ἐστι, quid quicque ſit, vt feci, dicit his ferè verbis, Et quoniam in omnibus quæ ratione docentur & via, primum cõſtituendum eſt, quid quicque ſit (niſi enim inter eos qui diſceptent, conuenit quid ſit illud de quo ambigitur, nec recte diſſeri, nec vnquam ad exitũ perueniri poteſt) explicanda eſt ſæpe verbis mens noſtra de quaque re, atq; inuol



inuolutæ rei notitia definiendo aperienda eſt. ſiquidem definitio eſt oratio, quæ quid ſit id de quo agitur, oſtendit quàm breuiſsimè. In Topicis, illud ὁποῖόν τι ἐστι, dicit, quale quid ſit: Cùm autem quæritur quale quid ſit, aut ſimpliciter quæritur, aut comparatè.

Differentia, vt rationis particeps, διαφορὰ δὲ, οἷον λογικόν.) Rationale alij dicunt, quod Porphyrius & Græci omnes λογικὸν appellant. Cicero dicit rationis particeps cùm multis in locis, tum in 4. Academic. quæſt. Animo iam hæc tenemus comprehenſa, non ſenſibus. Ille deinceps equus eſt, ille canis, cætera ſeries deinde ſequitur maiora nectens, vt hæc quæ quaſi expletam rerum comprehenſionem amplectuntur: ſi homo eſt, animal eſt mortale, rationis particeps. Argumentum enim ducit à definitione: ſic enim & Plato, & Ariſtoteles & Porphyrius hominem definiunt, ἄνθρωπός ἐστι ζῷον λογικὸν καὶ θνητόν. Eodem modo de ἀλόγῳ iudicandum eſt, dico enim non irrationale, etiam ſi id Quintilianus dicat, ſed expers rationis. Ita αἰσθητικὸν, particeps ſenſus: & ἀναίσθητον, expers ſenſus.

Propriũ, vt aptũ ad riſum, ἴδιον, οἷον γελαστικόν.) Alij riſibile, vt χρεμετιστικὸν, hinnibile. Ego alio loco nomina in κὸν exeuntia oſtendi quẽadmodũ Latine authore Cicerone commode dicerentur. Pluribus enim vocabulis exponi debet, niſi in paucis quæ in ens deſinunt, quale eſt efficiens, tuens, & alia eiuſdẽ generis. Nec tamẽ vnquã in bile exire aliqua eiuſdẽ generis inueni, ſed ea duntaxat, quorũ, τὸν, apud Gręcos extrema ſyllaba eſt, vt ὁρατὸν, ἁπτὸν, id eſt, aſpectabile contrectabile. Nomina enim in bile ferè in patiẽdi ſignificatione dicuntur. Hęc igitur dicenda arbitror his modis, Natus ad riſum, aptus ad riſum, & hinnitũ, aptum animũ habẽs ad riſum. id quod Porphyrius indicat in Proprij tractatione, κἂν γὰρ μὴ γελᾷ ἀεὶ, ἀλλὰ γελαστικὰ λέγεται, οὐ τῷ γελᾶν ἀεὶ, ἀλλὰ τῷ ἀεὶ πεφυκέναι. id eſt, Quanquã enim non ridet ſemper, tamẽ aptus ad riſum dicitur: nõ quòd rideat ſemper, ſed quòd ſemper animum aptum habeat ad riſum. Ciceronis hæ ſunt locutiones, aptus ad virtutem, natus ad virtutem. γελαστικὸν interdum ridens dico, & χρεμετιστικὸν hinniens. Quoniam Cicero multa nomina in ικὸν, exprimit nominibus in ens deſinentibus, vt in libro de optimo genere interpretandi oſtendi. Itaq; χρεμετιστικὸν, hinniens dicit Quintilianus ſexto de inſtitutionibus oratoriis lib. 4. cap. Loquens enim de diffinitione, quam vocat finitionem, Conſtat, inquit, maxime, ſicut dictum eſt genere, ſpecie, differentibus, propriis. vt ſi finias equum (noto enim maximè vtar exemplo) genus eſt animal, ſpecies mortale, differentia irrationale (nam & homo mortale erat) proprium, hinniens. Quintilianũ imitari eatenus decreui, quoad à Cicerone nõ diſcrepat. Quocirca nec r õnale dico, nec irrationale, ſed particeps expérſq; rõnis.

Accidens, vt id quod album eſt, & id quod nigrum συμβεβηκὸς δὲ, οἷον τὸ λευκὸν, τὸ μέλαν.) συμβεβηκὸς vno verbo trito apud philoſophos, exponere malui, quàm pluribus, ne immutare omnia viderer. Hoc autem prętermittere non potui, in quo ab omnibus peccatur. Neutra enim adiectiuorum ſimpliciter efferunt in ſingulari promiſcue, cùm multa ſint quæ à conſuetudine noſtri ſermonis abhorreant. Neq; enim vnquam Latine commode dicas, Album currit, Nigrum ſedet: cùm interim hæc à Cicerone vſurpentur, vt alio loco docui, Malum eſt dolor, & voluptas eſt bonum. Neceſſe eſt igitur eum qui aliquid apte dicturus eſt, aut tranſlaturus à Græcis, in Latinis auctoribus diu multúmq; eſſe verſatum: vt quid mos noſter ferat, quid repuat intelligat. In ſingulari non dicam, album, nigrum, magnum, paruũ, paucum, multum: ſed in plurali, alba, nigra, magna, parua, multa, pauca. Sed

de his quatuor poſtremis alio loco magis idoneo, Deo iuuante, diſſeremus. Nunc de iis quæ propoſita ſunt hoc intelligendum eſt, in ſingulari à Cicerone dici ea, id quod nigrum eſt, id quod album eſt. In 4. Academic. Quo enim modo perſpicue dixeris album eſſe aliquid, cum poſsit accidere, vt id quod nigrum ſit, album eſſe videatur?

Nihil igitur redundans, nihil parum explicatũ continet, ὅθεν ἄρα περιττὸν, οὐδὲ ἐλλεῖπον περιέχει.) Hoc loco virtutes duas definitionis veræ tradit Porphyrius, ex quibus tertia efficitur, de qua Cicero in Topicis, & in quarto libro Academic. quæſti. vt nullam ad aliam rem definitio transferri poſsit. Tantùm eſt, inquit, dicendum, qui ſit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt, cùm ſumpſeris ea quæ ſunt ei rei quam definire velis cum aliis communia, vſq; eò perſequi, dum proprium efficiatur, quod nulli in aliam rem transferri poſsit. Quod hodie dicunt Dialectici, Definitio nõ debet alicui conuenire, cui non conueniat definitum. Definitum ergo nõ eſt dicendum, ſed res quę definitur, aut quam definire volumus, aut definimus. Hũc locum ab Ariſtotele tranſtulit Cicero. Scribit enim in ſecundo lib. poſteriorum Analyticon his verbis, τὰ δὴ τοιαῦτα ληπτέον μέχρι τούτου, ἕως τοσαῦτα ληφθῇ πρῶτον ὧν ἕκαστον μὲν ἐπὶ πλέον ὑπάρξει, ἅπαντα δὲ μὴ ἐπὶ πλέον. Ex quibus coniunctis inter ſe locis intelligi licet, ἕως, dum, dictum eſſe à Cicerone, & quod Ariſt. dicit, μὴ ἐπὶ πλέον ὑπάρχειν, Ciceronem vertere, nullam in aliam rem transferri. Quod alio loco, latius patere, dicit. Quod hic Porphyrius appellat περιττὸν, & Ariſtoteles in 7. Topicorum περίεργον, Cicero vocat redundans, & ἐλλεῖπον prætermiſſum. In Oratore, Idémq; etiam cùm res poſtulabit, genus vniuerſum in ſpecies certas, vt nulla neq; prætermittatur, neq; redundet, partietur ac diuidet. Eædem enim perfectæ diuiſionis virtutes ſunt, quæ definitionis. Sed quoniam non ſolùm virtutes orationis tradendæ ſunt, ſed vitia etiam quæ fugiamus, intelligendum eſt Dialecticos hodie verbum è verbo barbarè dicere illud ἐπὶ πλέον ὑπάρχειν, in plus eſſe, vt animalis vocabulum in plus eſt quam hominis. Cicero autem hoc genus etiam aliis modis effert, quod in lib. de optimo genere interpretandi docui: velat, latius patet, & manat. In topicis etiam τὸ ἐπὶ πλέον ὑπάρχον, videtur dicere, id quod ſuprà eſt, quod Dialectici dicunt ſuperius, vt nomen animalis ſuperius eſt ad hominem. Sic enim loquuntur. Verba Ciceronis addenda cenſui. Cùm autem à genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id vſque à capite arceſſere, ſæpe etiam citra licet, dummodo ſuprà ſit quod ſumitur, quam id ad quod ſumitur.

## DE SPECIE.

ET candorem coloris ſpeciem. τὸ δὲ λευκόν, τοῦ χρώματος εἶδος.) Hoc loco τὸ λευκὸν pro λευκότης ponitur, id eſt vt aiunt Dialectici, concretum pro abſtracto. Neq; enim τὸ λευκὸν, id eſt quod album eſt, genus eſt coloris, ſed accidens eſt modo. λευκότητα autem dico, non albedinem, neq; μελανίαν, nigredinem, vt cæteri, ſed candorem, & atrorem, & nigrorem, auctore Cicerone. In 1. lib. quæſti. Tuſcul. loquente de animo, Qua, inquit, facie quidem ſit, aut vbi habitet, ne quærendum quidem eſt: vt cùm videmus ſpeciem primum candorémq; cæli, deinde conuerſionis celeritatem tantam, quantam cogitare non poſsimus, &c. Sic Quintilianus in primo libro, Et natura tenaciſsimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus: Vt ſapor quo noua imbuas, durat: nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt. Aulus Gellius libro ſecundo, cap. 26. quo de coloribus diſſerit, atrorem



atrorem nigrorémque dicit. Rubidus autem, inquit, eſt rufus, atrore & nigrore multo mixtus.

Cùm vis & natura vtriuſque definiendo aperietur à nobis ἐν τοῖς ἀμφοτέρων λόγοις.) Sic licuit dicere, in vtriuſq; definitionibus. Sed ad locutionem Ciceronis, quæ ſplendida eſt, deſcēdere malui. Sic enim hoc dixi quaſi Porphyrij hæc eſſet oratio, ἐν τῷ ἀμφότερα ὁρίζεσθαι, quę idem quod illa qua vſus eſt, valet. Cicero quidem cùm de definitione diſſerit, non ferè ſimplici verbo definiendi vtitur, ſed ita, definiendo aperire. In Oratore, Explicanda eſt ſæpe verbis mens noſtra de quaque re, atque inuolutæ rei notitia definiendo aperienda eſt.

Quanquam ſpeciei vltimæ, τοῦ εἰδικωτάτου.) Cicero genus vltimum appellat id quod ſpeciei ac formæ proximum eſt, vt mihi quidem videtur, in Topicis: Cùm autem à genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id vſq; à capite arceſſere: ſæpe etiam citra licet, dummodo ſuprà ſit quod ſumitur, quam id ad quod ſumitur. Vt aqua pluuia vltimo genere ea eſt, quæ de cælo veniens creſcit imbri, ſed propriè loco in quo quaſi vis arcendi continetur. Libentius ergo ſpeciem eam quæ tantummodo ſpecies eſt, non etiam genus, appellabo vltimam, quàm vel ſpecialiſsimam, vel infimam: & genus primum & caput generis, quàm generaliſsimum, vel ſummum: quanquam his vtor interdum.

Propterea quòd id quod eſt, non eſt commune genus omnium, οὐ γάρ ἐστι κοινὸν γένος πάντων τὸ ὄν.) τὸ ὂν Quintilianus ens vocat, quo Cicero nunquam vſus eſt, ſed τὸ ὂν ſemper multis verbis exponit, vt feci. In Topicis, Atq; hæc ratio valet in vtroq; genere definitionum, ſiue id quod eſt, ſiue id quod intelligitur definiendum eſt. τὰ ὄντα idem eodem libro appellat nõ entia, ſed res quæ ſunt. Definitionum autem duo ſunt genera prima. Vnum earum rerum quæ ſunt, alterum earum rerum quæ intelliguntur. Quanquam ibi aliter ac Ariſto. definit: Eſſe, inquit, ea dico quæ cerni, tangíue poſſunt. Ariſto. autem eſſe ea dicit, quæ per ſe conſtant, quæ in alio inhærent, nec per ſe cohærere poſſunt. τὰ μὴ ὄντα idem appellat ea quæ nulla ſunt, quomodo etiam interpretatus ſum pleriſq; locis, & res quæ nullæ ſunt, vt τὰ ὄντα res quæ ſunt. Hæc omnia vnum in locum concluſit in 4. lib. quæſti. Academic. Primum conantur oſtendere multa poſſe videri eſſe, quæ omnino nulla ſunt, cùm animi inaniter mouentur eodem modo rebus iis quæ nullæ ſint, & iis quæ ſint. Porphyrius ἐκ ὄντα, dicit in differentiæ tractatione, quæ vertit Cicero, & ea quæ nulla ſunt, & res quæ nullæ ſunt. καὶ οὕτως οὔτε ἐξ οὐκ ὄντων τι γίνεται, οὔτε τὰ ἀντικείμενα εἴδη περὶ τὸ αὐτὸ ἔσται. Itaq; hoc modo conuerti: Ita ſit vt nec quicquam ex iis quæ nulla ſunt fiat, nec in eodẽ ſint ſimul formæ contrarię. Initium eſt phyſicorum, quod ait Porphyrius, ex iis rebus quæ nullæ ſint, nihil fieri, de quo Ariſto. in 1. lib. de natura ſcribit his ferè verbis, εἰ γὰρ πᾶν μὲν τὸ γιγνόμενον, ἀνάγκη γίνεσθαι ἢ ἐξ ὄντων ἢ ἐκ μὴ ὄντων. τούτων δὲ τὸ μὲν ἐκ μὴ ὄντων γίνεσθαι, ἀδύνατον (περὶ γὰρ ταύτης ὁμογνωμονοῦσι τῆς δόξης ἅπαντες οἱ περὶ φύσεως) τὸ λοιπὸν ἤδη συμβαίνειν ἐνόμισαν. ἐξ ὄντων μὲν καὶ ἐνυπαρχόντων γίνεσθαι, id eſt, Si enim quicquid fit, id omne neceſſe eſt aut ex iis rebus quæ ſint, aut ex iis quæ nullæ ſint effici, quorum vnum illud fieri non poteſt, vt ex iis rebus quę nullæ ſint fiat (omniũ enim eorũ qui in cognitione naturæ verſantur hæc ſententia eſt) certè relinquitur vt ex iis quę ſunt, gignantur omnia.

Nam ſi quis omnia eſſe dicat, ambiguè, non vna ratione modóq; appellabit, κἂν δὴ πάντα τις ὄντα καλῇ ὁμωνύμως, φησί, καλέσει, οὐ συνωνύμως) ὁμωνύμως dixi ambiguè, quoniam veteres ὁμώνυμα ambigua dixerunt. Cicero quidem

in Oratore ὁμωνύμως, ſiue καθ' ὁμωνυμίαν λέγεσθαι, exponit ambiguè dici, Cū〈q〉; ambiguè multa dicātur, quomodo quicque eorum diuidi explicariq; oporteat. Intelligitur verbum, nouerit. Ariſto. 2. Topi. πάλιν ὅσα μὴ καθ' ὁμωνυμίαν λέγεται, πολλαχῶς ἀλλὰ κατ' ἄλλον τρόπον, id eſt, Rurſus omnia quæ non ambiguè dicuntur. Sed de his in Categoriis plura dicemus.

Ac prima quidem decem ſunt, formarū certus eſt numerus, indiuiduorum quæ ſpecies vltimas ſequuntur, infinitior, δέκα μὲν οὖν τὰ γενικώτατα, τὰ δὲ εἰδικώτατα ἐν ἀριθμῷ μέν τινί εἰσιν, οὐ μὴν ἀπείρῳ. τὰ ἄτομα, ἅπερ ἐστὶ τὰ μετὰ τὰ εἰδικώτατα ἄπειρα. Cicero in Topicis locum vnum iiſdem propè verbis tractat. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuiq; generi ſubiiciantur, partium diſtributio ſæpe eſt infinitior.

Quæ indiuidua nominantur ex eo quòd ex proprietatibus ſuis quicque conſtat, &c. ἄτομα δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα, ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον.) Cicero 4. Acad. quæſti. facit hoc eſſe initium & fundamentum Phyſicorum. Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non aſſentior, potiúſque refellam, propter id quod dilucidè docetur à politioribus Phyſicis, Singularum rerum ſingulas eſſe proprietates.

Inſiſtere, παύεσθαι) alij quieſcere, quod Latinū verbū illi Græco ἡσυχάζειν reſpondet vel auctore Cicerone in 4. Acad. quæſti. Placet enim Chryſippo, cùm gradatim interrogetur, verbi cauſa, tria pauca ſint, an ne multa? aliquantò prius quàm ad multa perueniat quieſcere, id eſt, quod ab his dicitur ἡσυχάζειν. Per me verò ſtertas licet, inquit Carneades, non modò quieſcas. Illud autem quod dixi, inſiſtere, paulò infrà in eadem re dicit. Sin autē vſq; ad nouem, verbi gratia, ſine dubitatione reſpondes pauca eſſe, in decimo inſiſtis, etiam à certis & illuſtrioribus cohibes aſſenſum. Ariſtoteles in lib. de interpretatione vtitur illo ἡσυχάζειν, quod verti, quieſcere.

DE DIFFERENTIA.

Differentia autem, διαφορὰ δέ.) Sæpe Cicero hoc verbo vtitur cum multis aliis locis, tum in Topicis: Nam coniugata appellamus alia ex genere, alia ex forma, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, &c. Ibidem, Sequitur ſimilitudinem differentia, &c. In 2. de Orat. vocat diſſimilitudinem, Nā poſtquam oſtendit quomodo ex ſimilitudine argumentum duceretur. At ex diſſimilitudine, ſi barbarorum eſt in diem viuere, noſtra cōſilia in ſempiternum tempus ſpectare debent. Sic eo libro ſæpiſſime.

Ετερότητι, commutatione.) In Categoriis oſtendam ἀλλοίωσιν, quam barbarè dicunt omnes alterationem, commutationem, & affectionem dici à Cicerone, & ἀλλοιοῦσθαι quod idem alterari, ab eodem verti commutari & affici. ἑτερότης autem idem declarat, niſi fortè diſſimilitudo & diſtinctio dici à Cicerone multis locis videtur, aut varietas, quanquam varietas ad aliud refert, vt varium poëma.

Quæ differentia diſtant ea, quæ ſpeciei eſt efficiens, ὅταν εἰδοποιῷ διαφορᾷ διαλλάττῃ) διαφορὰν εἰδοποιὸν alij vocant ſpecificam barbarè, vt facile intellectu eſt: ego aliàs, ſpeciei efficientem, aliàs procreatricem ſpeciei, aliàs quæ ſpeciem complet, & efficit.

Natura animata ſenſus compos, οὐσία ἔμψυχος αἰσθητική) οὐσίαν alio loco docui naturam dici à Cice. vel authore D. Auguſtino. αἰσθητικὴν Cicero modo compós ſenſus vertit, modò quod habet ſenſum. In 2. de Natura Deorū, Nec dubium quin quòd animans ſit habeátq; ſenſum, rationem, & mentē, id ſit melius, quàm id quod his careat. Ita efficitur, animantē, ſenſus, mentis, ra



tis, rationis mundum eſſe compotem. Senſus etiam particeps dici poteſt. Αναίσθητον idem vocat & quod ſenſu caret, & quod ſenſus expers eſt. Eodē lib. Nullius ſenſus carentis pars aliqua poteſt eſſe ſentiens, mundi autem partes ſentientes ſunt, non igitur caret ſenſu mundus. Ex quo illud etiam perſpicuum eſt, quod alio loco oſtendimus, nomina Greca quorum poſtrema ſyllaba eſt κὸν, in ens ferè apud nos fieri. quòd enim dixit ſentientes partes, αἰσθητικὰ Græcè dicitur. Sed ne agam de ſingulis, hæc tenenda ratio eſt, nomina quæ in κὸν deſinant, vel expertis vel carentis, interdū etiā vacantis noīe conuertenda eſſe, quæ in τὸν vel in ens, vel contra ferè atq; ſuperiora.

Aut ex iis quæ proportione materiæ & ſpeciei dicuntur, ἢ ἀνάλογον ὕλῃ καὶ εἴδει τὴν οὐσίαν ἐχόντων.) Hæc duo materiæ & ſpeciei genitiui ſunt caſus. Cice. in 2. de Orat. Sed oportet, vt ædibus ac templis veſtibula & aditus, ſic cauſis principia proportione rerum præponere. Multi putant duo eſſe verba proportione, ſed vehementer errant. Id enim eſt quod vulgo dici ſolet proportionabiliter.

DE PROPRIO.

Proprium autem diuidunt quadripartito, ἴδιον δὲ διαιροῦσι τετραχῶς.) Cicero conatus eſt Græcorum verba quantum potuit conuertere. Itaq; dicit διχῶς bipertito, & bifariam, & dupliciter, & τριχῶς tripartito, & τετραχῶς quadripartito. In 5. Tuſcul. Quid enim deeſt ad beatè viuendum ei qui cōfidit ſuis bonis? aut qui diffidit beatus eſſe qui poteſt? At diffidat neceſſe eſt, qui bona diuidat tripartito. In Topicis eodem verbo vtitur, Cū tripertito igitur diſtribuatur locus hic, in conſecutionem, anteceſsionem, repugnantiam: reperiendi argumenti locus ſimplex eſt, tractandi triplex eodem lib. Cùm autem de æquo & iniquo diſſeritur, æquitatis loci colliguntur. hi cernuntur bipertito, & natura & inſtituto. In 4. Tuſcul. Æmulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, vt & in laude & in vitio nomen hoc ſit, &c.

Et quòd toti ſpeciei, etſi non ſoli, καὶ ὃ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἴδει, εἰ καὶ μὴ μόνῳ) Cic. etiam interdum vtitur hac coniunctione, etſi ſine verbo. In Topic. loquens de generibus cauſarum, Alia autem præcurſionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per ſe adiumenta, etſi non neceſſaria. Intelligendum eſt autem, Ciceronem Latinóſq; omnes nunquam nomine ſpeciei vti ſic, vt Græci vtuntur. Dicunt enim tria eſſe genera cauſarum non ſpecies, etſi apud Græcos εἴδη poſitum ſit. Ita etiam diceret Cice. Cani reperiuntur in toto genere hominū in ſenectute, non in ſpecie. Quod ego quoq; feciſſem, niſi totam artem viſus eſſem confundere. Neq; enim propria Dialectici generis vlla tribuunt, ſed formis tantūmodo. Quin. lib. 5. συμβαίνειν dicit accidere, exponens penè totum hunc locum, quem fortaſſe apud Ariſtotelem in 1. Topi. legerat: Proprium autem eſt quod ſoli accidit, vt homini ſermo, riſus: aut quod vtriq; accidit, ſed nō ſoli, vt igni calefacere.

Quòd reciprocetur, ὅτι καὶ ἀντιστρέφει.) Alij, conuertantur. In Categoriis docebo quibus rationibus id dicat Cice. quod Dialectici indiſertè & barbarè, Conuerti, & dici ad conuertentiam, alij recurrere. quod tam barbarum eſt quam ſuperiora, tū id habent in ore totos dies ij qui ſe diſertè loqui putāt.

DE ACCIDENTE.

Sine interitu, ἄνευ φθορᾶς) φθορὰ dicitur interitus Latinè hoc loco, non corruptio, quemadmodum alio loco oſtendi.

Cuius genera duo ſunt, alterum quod ſeparari poteſt, alterum quod non poteſt. διαιρεῖται δὲ εἰς δύο. τὸ μὲν γὰρ χωριστόν ἐστι, τὸ δὲ ἀχώριστον.) Sic Cicero

ferè ſemper. In Topicis, Quæſtionum duo ſunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Paulò infrà, Quæſtionum autem quacunq; de re ſint, duo ſunt genera, vnum cognitionis, alterum actionis. Interdum mutat ordinem eorundem verborum, vt alia videatur oratio. Eodem lib. Cauſarum igitur duo ſunt genera, vnum quod vi ſua id quod ſub eo ſubiectum eſt, certè efficit, vt ignis accendit. Alterum, quod naturam efficiendi non habeat, &c. Ego hoc poſtremum in hoc loco vertendo ſum imitatus. Dicere licuit vt ipſe. Quod in duas partes diſtribuédum eſt: ſed quoniam illud genus apud eum viitatius eſt, id malui dicere. Sic ille eodem libro, Coniecturę ratio in quatuor partes diſtributa eſt. Has igitur varietates ſi ſequamur & adhibeamus, multis quaſi luminibus diſtinguemus orationem.

### DE COMMVNITATIBVS.

Communis eſt autem generi cum differentia formarum complexio, κοινὸν δὲ, γένους καὶ διαφορᾶς τὸ περιεκτικὸν τῶν εἰδῶν.) Latini aliter ac Græci in hoc genere loquuntur. Neq; enim duos genitiuos dare ſolent huic verbo commune, ſed datiuum cum ablatiuo adiecta, cum præpoſitione. Id intelligi licet ex eo loco Topicorum Cice. quem ſuprà protuli. Sic igitur veteres præcipiunt: Cùm ſumpſeris ea quæ ſunt ei rei quam definire velis, cum aliis communia, &c. Quòd ſi non ſint duo aut plura, genitiuus ei tribuitur. In 1. lib. de officiis, Cõmunis eſt animantiũ omnium procreandi appetitus.

Sed quia ſemper enumerantur deinceps, ex duobúſq; vna differentia relinquitur, ex tribus duæ, ex quatuor tres, ex quinque quatuor, profectò ex quatuor, tribus, duabus, & vna, decẽ fiunt, ἀλλ' ἀεὶ τῶν ἐφεξῆς καταριθμουμένων, καὶ τῶν μὲν δύο μία λειπομένων διαφορᾶ, διὰ τὸ ἤδη εἰλῆφθαι, τῶν δὲ τριῶν δυσὶ, τῶν δὲ τεττάρων τρισὶ, τῶν δὲ πέντε, τέτρασι, δέκα αἱ πᾶσαι γίνονται διαφοραὶ, τέτταρες, τρεῖς, δύο, μία.) Mihi ſic placuit hunc locum tractare & exponere, rectè, vt intelligi poteſt, non obliquè, vt cæteri. Atq; ne me quis putarit non conuertiſſe hunc locum, ſed peruertiſſe potius, hic mei conſilij rationem neceſſariò exponendam putaui. Ego cùm hunc locum ita obſcurè tractatum & conuerſum animaduerterem, vt vix à præceptoribus, nedum à diſcipulis intelligeretur, ſic eum tractare ac transferre malui, vt ab omnibus facilè intelligi poſſit. Nam cæteri obliquè eum tractauerunt, vt non rectè concludatur id quod vult Porphyrius, vult enim decem effici tantummodo differentias, quod concludit his verbis, δέκα αἱ πᾶσαι γίνονται διαφοραὶ, τέτταρες, &c. quod effici directè non poteſt ex iis quæ ſumuntur ad id probandum. Sumptio enim eſt eiuſmodi. Sed quoniam enumerãtur deinceps, ſecundę autem vna differentia carent, propterea quòd iam ſumpta eſt, tertiæ duabus, quartæ tribus, quintæ quatuor. In hac ſumptione fit mentio de iis differentiis, quibus carent quinq; voces, verbi cauſa, cùm differentia cũ cæteris confertur, vna differentia relinquenda eſt, quæ iam ſumpta eſt, cũ differentia cum genere comparabatur, & ſic deinceps: in hac inquam ſumptione commemorantur ſolum eæ differentiæ, quæ deficiunt: idq; obliquè fit, quoniam inde efficitur, vt fiant decem: atq; ita obſcurè, vt vix intelligi poſſit. Tranſtuli igitur obliquam tractationẽ ad directam. Nec ſolũ eò feci quòd id obſcurũ eſt propter ſecundarũ tertiarum quartarũ & quintarum differentiarũ commemorationem, quæ reſpondent illis δυσὶ, τρισὶ, τέτρασι, & πέντε, quæ nõ idem valent, ſed etiam quòd hunc locum corruptum eſſe arbitror, vel certè ita explicandum vt feci. Nam λειπομένων verbum expono, non vt cæteri, deficientibus: quoniam hoc loco λείπεσθαι idem volo valere



lere quod relinqui, quod in ſumma facienda valet effici, concludi: & nomine duorum intelligo proprium & accidens, ex quorum comparatione inter ſe relinquitur, id eſt, efficitur & oritur vna differentia ex tribus, id eſt, accidente proprio & ſpecie relinquuntur duæ, quibus cum differentia cõfertur, efficiuntur ex quatuor, tres: cùm autem genus his quatuor comparatur, quatuor relinquuntur, id eſt, efficiuntur differentiæ. Atq; hoc ita intelligendum eſſe, hinc ſciri poteſt, quòd Porphyrius enumerat in ſumma facienda eodem ordine, ſed retro cõmeando differentias, quo ſumptę ſunt. Sunt enim verba eius, δέκα αἱ πᾶσαι γίνονται διαφοραὶ, τέτταρες, τρεῖς, δύο, μία. Quòd ſiquis diligenter expendat ea omnia, quæ deinceps docet hoc ipſo loco Porphyrius, is profectò nomine δυσὶ non intellexiſſe illum differentias ſecundas perſpiciet, ſed duas voces, proprium & accidens, ex quorũ collatione μία, vt ipſe ait, differentia relinquitur & efficitur. Sed eius verba ſubieci, vt res intelligeretur, τεσσάρων οὖν λαμβανομένων τοῦ γένους πρὸς τὰ ἄλλα διαφορῶν: τριῶν δὲ τῆς διαφορᾶς, δύο δὲ τοῦ εἴδους, μιᾶς δὲ τοῦ ἰδίου πρὸς τὸ συμβεβηκὸς, δέκα ἔσονται αἱ πᾶσαι. An non ex his intelligi facilè poteſt, quæ prius omnino δύο dixit eſſe proprium & accidens ex quibus vna ſumitur differentia: quæ tria, ſpeciem, propriũ, & accidens ex quibus duæ: quæ quatuor, differentiam, ſpeciem, propriũ, & accidens, ex quibus tres: quæ quinq;, genus, differentiã, ſpeciem, propriũ, & accidens, ex quibus quatuor oriuntur differentiæ: quæ quatuor, tres, duæ, & vna, ſi vnam in ſummam conueniant, profectò decem fient vniuerſę. Ego tamen cæterorum interpretationem hoc loco poſui, vt ſi cui probetur magis, illud λείπεσθαι valere idem quod deficere, quod certè non nego, haberet quod ſequeretur.

## EIVSDEM OBSERVATIONES IN ARISTOTELIS CATEGORIAS.

Homonyma dicuntur, quorũ nomen ſolum commune eſt, ratio naturę nomini congruens, alia atq; alia, ὁμώνυμα λέγεται, ὧν τοὔνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος) Nomine Græco vtendum cenſeo pro Latino, vt in his facimus, quæ iam trita ſunt, Philoſophia, Rhetorica, Dialectica, aliiſq; generis eiuſdem. Quod idem iudicandum eſt eodẽ modo de ſynonymis. Nam æquiuoca & vniuoca quis vnquam dixit mediocriter duntaxat eruditus? Varronem in hoc auctorem adhibeo, qui in libro de Analogia nomen Græcum vſurpat, quod iiſdem propè verbis quibus *Ariſto. definit*. Nec eo minus, inquit, in altero quod eſt mille, pręponimus hi mille, horum mille, quoniam in eo eſt nomen commune, quam vocat ὁμωνυμίαν, obliqui caſus ab eodem capite, vbi erit homonymia, obliqui caſus quominus diſsimiles fiant, analogia non prohibet. Paulò infrà συνωνυμίαν dicit atq; definit his verbis: Reprehendunt cum ab eadem voce plura ſint vocabula declinata, quas ſynonymias appellant, vt Sapphus Sappho. Alcæus Alcæo. Latinis enim literis hæc ſcripta ſunt nomina. Quintilianus 7. lib. cap. 10. quid ſit ὁμωνυμία his verbis explicat, Singula adferunt errorem, cum pluribus rebus aut hominibus eadem appellatio eſt, ὁμωνυμία dicitur, vt Gallus. Quæ idẽ valet quod Ariſtotelis definitio. Dicit enim eandem appellationem, idem ſiue commune verbum. Cicero nunquam Gręca dicit, ſed ὁμώνυμα ambigua appellat ſemper, mea quidem ſententia. Quanquam

quam ſcio inter ἀμφίβολα & ὁμώνυμα intereſſe, ob eam cauſam ὁμωνύμως ambiguè interpretor interdum, & συνωνύμως eadem ratione & definitione.

Paronyma vocantur quæ orta ab vno variè commutantur, παρώνυμα δὲ λέγεται ὅσα ἀπό τινος διαφέροντα τῇ πτώσει τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει) Alij dicunt denominatiua. Mihi Græcum magis probatur. Ciceronis verba ſunt, quibus in paronymis definiēdis vſus ſum. In Topicis enim iis ipſis verbis definit coniugata, quæ idem prope valent quod Paronyma. Verba Ciceronis ſubieci: Coniugata dicuntur, quæ ſunt ex verbis eiuſdem generis. Eiuſdem autem generis verba ſunt, quæ orta ab vno variè commutantur. Nam προσηγορίαν ἔχειν ἀπό τινος, ſignificat ortum eſſe ab aliquo vno, & διαφέρειν τῇ πτώσει variè commutari, id eſt varias & differentes terminationes, vt dicunt, habere. Quod hinc intelligi licet, quia Cicero deinceps exemplum tale affert, vt ſapiens, ſapienter, ſapientia. Cicero diffinitionem cōiugatorum ab Ariſtotele mutuatus eſt, ſcribit enim in 2. Topicorum his ferè verbis, σύστοιχα δὲ λέγεται τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἅπαντα. Itaque haud ſcio an corruptum ſit nomē gręcum συζυγίας apud Cice. pro συστοιχία.

Eorum quæ dicuntur, partim coniuncta ſunt, partim ſimplicia, τῶν λεγομένων, τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται, τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς) Alij dicunt, cum complexione & ſine complexione, nomina complexa & nō complexa. Cicero diuidens eodem modo verba, modo coniuncta, modo copulata, nunquam complexa dicit. Atq; vt hæc crebris iam ſermonibus vſurpentur, id exemplis illuſtrabo. In Partitionibus, Prima vis eſt in ſimplicibus verbis, in coniunctis ſecunda. Paulò infra, quam συμπλοκὴν Ariſtoteles vocat, coniunctionem dicit. Habeo de ſimplicibus verbis, nunc de coniunctione quæro. In Oratore, Ergo eum cenſeo qui eloquentiæ laude ducatur, non eſſe carū rerū omnino rudē, ſed vel illa antiqua, vel hac Chryſippi diſciplina inſtitutus nouerit primā vim, naturā, genera verborū & ſimpliciū & copulatorū. In ſumma hoc intelligendum eſt συμπλέκειν nunquā complecti à Cicerone dici, ſed περιέχειν, quod etiā vertit cōtinere certis locis. Illud autē πλέκειν nectere dicit, & συμπλέκειν vel coniungere vel copulare, vel etiam cōnectere.

Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur) τῶν ὄντων, τὰ μὲν καθ᾽ ὑποκειμένου τινὸς λέγεται) τὸ ὑποκείμενον ſubiectum in neutro ferè dico, ne artem videar cōfundere aut tollere potius. Vocant enim dialectici ſubiectū, primum verbum enunciationis, cui aliquid tribuitur aut demitur. & prædicatum poſtremū, id quod tribuitur ſubiecto vel detrahitur, velut in hac enūciatione, Plato eſt philoſophus, Platonis vocabulum ſubiectum dicitur: ei enim tribuitur aut rei potius quam declarat, philoſophia. Vt igitur hæc conſtare poſsit diſtinctio, nomina de quibus dixi, vſurpare cōſtitui, his pręſertim locis quibus hæc agetur ſignificatio. Nam interdū ad regulam hæc neutrorum & reuoco, & reuocanda cēſeo. Rem enim quæ ſubiicitur dico, & id quod ſub aliqua re ſubiectum eſt, vt ſolet Cicero in Topicis, Cauſarū igitur genera duo ſunt, vnum quod vi ſua id quod ſub ea ſubiectū eſt certe efficit, vt ignis accendit. Appellat enim effectum id quod ſub cauſa ſubiectū eſt. Nam τὸ ὑποκείμενον nihil aliud eſt, quàm res quæ alteri ſubiicitur, id eſt, res quam alia complectitur quæ alia continetur. Ac in artibus materia dicitur. In hac autē diſſerendi ratione, ſi de verbis diſputemus, id ſubiectum dicitur, quod dixi: ſin de rebus, id in quo aliquid eſt non tanquā pars, extra quod eſſe nullo modo pōt. Sic enim definitur ab Ariſtotele deinceps.

Nec vnum ab altero continetur (καὶ μὴ ὑπάλληλα τεταγμένων) Alij ſubalternatim poſitorum. Itaq; vocant ſubalterna genera, quę Græci ὑπάλληλα, quę malo



malo Gręco nomine appellari, vt D. Auguſtinus facit, quàm illo nomine Barbaro. Vocantur autem genera ὑπάλληλα ab Ariſtotele hoc loco ea, quorum vnū genus eſt alterius, non contra. Porphyrius alio modo intelligit ea, quæ ſub idē genus ſubiecta ſunt. Ego enim ὑπὸ in hoc verbo vt in pleriſq; aliis, ſub, præpoſitionem noſtram, imminutionem quandam verbi cui adiungitur, declarare puto, vt in his noſtris, triſtis ſubtriſtis, rideo ſubrideo, ἄλληλα autem mutuam quādam rationem & viciſsitudinem indicat, ὑπάλληλα autem imminuit hanc viciſsitudinem ex altera parte. Vno autem verbo hæc commodè dici nō poſſunt latinè. Ergo vel Græcum dicendum eſt, vel pluribus his hoc quidem loco, genera, quorum alterum ab altero continetur, vel quorum vnum alteri genus eſt, vel ſubiicitur. Nam de Porphyriana intelligentia profecto nō poſſumus id vllis verbis exponere, quoniam in aliā rem tranſtulit minus propriam. videtur enim ὑπάλληλα γένη appellare ea, quę ad vnum genus & quaſi caput referuntur, qualia ſunt animal, & quod corporatum eſt. Ariſtotelem autem ea ὑπάλληλα τεταγμένα, quorum vnum ab altero continetur, ex his quæ deinceps ſubiicit, perſpici poteſt, τὰ γὰρ ἐπάνω τῶν ὑπ᾽ αὐτὰ γενῶν κατηγορεῖται. In hoc ergo vocabulo vnum ſpectandum cenſeo, duorum ſimplicium è quibus iunctum eſt ὑπὸ & ἄλληλα. Nam ſi dicamus ὑπάλληλα, quę eidem generi ſubiecta ſunt, non videbimur vim verbi ſpectaſſe, Quanquam ſic ab Ariſtotele accipi hoc loco puto, quoniā ait, nihil prohibet, οὐδὲν κωλύει. Ita illud ὑπὸ non minuet ſignificationem, ſed ſignificabit ſubiici illa eidem, quòd inter ſe hic affecta ſint ea genera, vt ſub idem genus ſubiiciantur. Hoc etiam modo intelligi poſſe exiſtimo, vt eadem ὑπάλληλα Porphyrius dicat, quæ Ariſto.

Animalis enim differentiæ ſunt, terrenum, bipes, volucre & aquatile, ζώου μὲν γὰρ διαφοραὶ, τό τε πεζὸν, καὶ τὸ δίπουν, καὶ τὸ πτηνὸν, καὶ τὸ ἔνυδρον.) πεζὸν alij greſsibile, ego cum Cicerone terrenum. In primo de Natura deorum, Beſtiarum autem terrenæ ſunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quaſi ancipites, in vtraq; ſede viuentes. ἀμφίβιον Græce dicitur genus beſtiarum quas ancipites & in vtraq; ſede viuentes appellat. Quòd ſi quis miretur terrenū appellari πεζὸν, ita habeat, quòd dicimus terra mariq;, dici à Græcis πεζῇ καὶ κατὰ θάλασσαν. Quod planum ac perſpicuum eſt iis omnibus, qui Græca cum Latinis ſoliti ſunt coniungere. πεζὸν ſiue πορευτικὸν (nam in libris de ortu animalium id dicit) Cicero gradiens dicit, quod hoc loco vſurpare potui, ſed id dicere malui, quod mihi minus tritum videbatur. In 5. Tuſcul. quæſtio. Namq; alias beſtias nantes, aquarum incolas eſſe voluit, alias volucres cælo frui libero: ſerpentes quaſdam, nonnullas gradientes, earum ipſarum partim ſolíuagas, partim congregatas, immanes alias, quaſdam autem cicures, nonnullas abditas terráq; tectas. Ex his locis facile intellectu eſt, quas illic aquatiles, hìc nantes appellare: quas illic terrenas, hîc gradiētes, τὸ πτηνὸν autem volucre appellat, πεζὸν vertit in libro de Vniuerſitate terreſtre, & πτηνὸν pennigerum. Quem locum eo proferam, vt oſtendam, quēadmodum reſtituendus ſit. Eſt enim corruptiſsimus, quod nō animaduerti tum, cum proxime totum librum cum Græco Platonis à quo tranſtulit Cicero, ederem. Platonis hæc ſunt, εἰσὶ δὲ τέτταρες. μία μὲν οὐράνιον θεῶν γένος. ἄλλη δὲ πτηνὸν καὶ ἀεροπόρον. τρίτη δὲ ἔνυδρον εἶδος, πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον τέταρτον. τοῦ μὲν θείου τὴν πλείστην ἰδέαν ἐκ πυρὸς ἀπειργάζετο. ὅπως ὅ τι λαμπρότατον, ἰδεῖν τε κάλλιστον εἴη. Hunc locum ſic conuertit Cicero: Erant autem animantium genera quatuor, quorū vnum diuinum atq; cæleſte, alterum pennigerum & aëreum, tertium terreſtre, quartum diuinæ animationis. Maxime ſpeciem faciebat ex igne,

ex igne, ita vt ſplendidiſsimus eſſet & aſpectu pulcherrimus. Ita eſt hic locus in omnibus libris, in quo deeſt verbum, quod par ſit illi Græco ἔνυδρον, quod aquatile dicimus, & verba multa male punctis diſtincta ſunt. Neque enim maiuſculis literis, maximè, aduerbium ſcribi debet, nec puncto ſeparari à duobus illis diuinæ animationis, qui genitiui duo ad ſpeciem pertinent. Eſt igitur reſtituẽdus hoc modo, Erant igitur animantiũ genera quatuor, quorum vnum diuinum atq; cęleſte: alterum pennigerum & aërium: tertium aquatile, terreſtre quartum. Diuinæ animationis ſpeciem maximè faciebat ex igne, &c. Sed ad rem redeamus. Hinc intelligi licet πτηνὸν etiam pennigerum dici. Quas Cicero beſtias vocat ſoliuagas, & quas cõgregatas, Ariſtoteles 1. Polit. σποραδικὰ καὶ ἀγελαῖα θηρία nominat: & quas ille immanes & cicures, hic ἄγρια & ἥμερα. Ariſtotelis verba ſubieci, ὥστε αἱ διαφοραὶ τῆς τροφῆς τοὺς βίους πεποιήκασι διαφέροντας τῶν ζώων. τῶν τε γὰρ θηρίων, τὰ μὲν ἀγελαῖα, τὰ δὲ σποραδικά ἐστιν. Itaq; varietatem paſtus varia viuendi animantiũ genera conſecuta ſunt. Beſtiarum congregatæ aliæ ſunt, partim ſoliuagæ. Alter locus ſequitur Ariſtotelis eodem libro. ὥστε ὁμοίως δῆλον ὅτι καὶ γενομένοις οἰητέον τά τε φυτὰ τῶν ζώων ἕνεκεν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα τῶν ἀνθρώπων χάριν, τὰ μὲν ἥμερα καὶ διὰ τὴν χρῆσιν, καὶ διὰ τὴν τροφήν. τῶν δ' ἀγρίων εἰ μὴ πάντα, ἀλλὰ τά γε πλεῖστα τῆς τροφῆς καὶ τῆς ἄλλης βοηθείας ἕνεκεν, ἵνα καὶ ἐσθὴς, καὶ ἄλλα ὄργανα γίνηται ἐξ αὐτῶν. εἰ οὖν ἡ φύσις μηδὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν, id eſt, Quapropter eodem modo de perfectis naturis iudicandum eſt, eas quæ è terra gignantur animantium, beſtiáſq; omnes hominum cauſa paratas eſſe, vt cicures & ad vſum & ad victũ, immanes & feræ ſi non omnes, at certè plurimę ad victum cultúmq; natæ videantur, vt ex iis & veſtes & cæteræ cõmoditates opportunitatéſq; caperẽtur. Si igitur nihil nõ ſuis partibus & numeris omnibus abſolutum, neq; ſine cauſa facit natura, neceſſe hæc ipſa omnia hominũ cauſa feciſſe naturã. Hunc locũ diffuſe tractat Cic. in 2. & extremo lib. de Natura deorũ.

## DE SVBSTANTIA.

SVbſtantia autem, &c. οὐσία δὲ) οὐσίαν modo ſubſtantiam dico, modo eſſentiam, modo naturam: quorum poſtremum tantummodo eſt apud Ciceronem, quod in libro de optimo genere interpretandi oſtendi. Verbum autem vſitatum ne hoc quidem loco mutare volui.

Si quis enim quid ſit prima ſubſtantia explicet) ἐὰν γὰρ ἀποδιδῷ τὶς τὴν πρώτην οὐσίαν τί ἐστι.) Omnes dicunt ἀποδιδόναι aſsignare, quod verbum in hac re latinum non eſt. Nam ſi ſit latinum, idem valet quod tribuere & attribuere, vt in libro de optimo genere interpretandi docui. Eodem modo ἀπόδοσις dicitur aſsignatio. pro hoc explicatio dici debet: pro illo explicare, tradere, docere, exponere.

## DE QVANTITATE.

DEiunctum, coniunctum, ἀφωρισμένον, σύνεχον) Alij omnes diſcretum & continuum. Ego his duobus vti malui, Varronis & Ciceronis authoritate adductus, qui proportiones quas alij diuiſam & continuam vocant, deiunctam, & coniunctam nominant. Et certè hæc duo verba magis rem declarant quàm ſuperiora. ἀφωρισμένον enim ποσὸν quod appello deiunctum, ab Ariſtotele appellatur id, cuius partes nulla extremitate continentur & copulitur, quod facile ex deiunctione intelligi poteſt, & σύνεχον id cuius partes certo quodam termino coaptantur. Quanquam interdum τὸ σύνεχον etiam continuum appello, quod libentius dicam cohærentem & cõtinuatam naturam.



Sic enim appellari à Cicerone τὸ σύνεχον in libro de optimo genere interpretandi docui. D. Auguſtinus hęc duo nominat, ſeparatũ & cohęrẽs: quibus vtendũ potius cenſeo, quàm illis vulgatis iam ac tritis nominibus.

Extremitas ἐπιφάνεια) Alij ſuperficies, quod verbum eſt barbarum. In ſecũdo enim de natura deorum Cicero vocat aëris extremitatem, quam alij dicunt ſuperficiem, his verbis: Quæ complexa ſumma pars cæli quæ æther dicitur, & ſuum retinet ardorem tenuem & nulla admixtione cõcretum, & cum aeris extremitate coniungitur. Et quanquam ab Ariſtotele 4. libro de natura πέρας & ἔσχατον dicitur quod appellat Cicero extremitatem, tamen cum dicit locum non eſſe aliud, niſi τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον, id eſt extremitatem immobilem primam eius corporis quod complectitur & continet, nomine τοῦ πέρατος non aliud intelligit quã ἐπιφάνειαν. Neq; enim aliud eſt ἐπιφάνεια niſi extremitas corporis, longitudinis & latitudinis particeps, craſsitudine autem carens. Cicero in 4. Acad. quæſtio. ita mihi videtur exponere ἐπιφάνειαν: Non quæro ex his illa initia mathematicorum, quibus non conceſsis, digitum progredi nõ poſſunt, punctum eſſe, quod nullam magnitudinem habeat: extremitatem & quaſi librametum, in quo nulla omnino craſsitudo ſit. Nam cætera quæ ſequuntur deprauata ſunt. D. Auguſti. vtitur Græco verbo, quòd, vel hoc vſitatum & tritum in philoſophorũ diſputationibus nõ probaret, vel nondum inuẽtum eſſet.

Niſi forte dicat aliquis, & multa paucis, & magna paruis eſſe contraria. εἰ μὴ ἄρα τὸ πολὺ τῷ ὀλίγῳ φαίη τις εἶναι ἐναντίον ἢ τὸ μέγα τῷ μικρῷ.) Hic locus eſt, in quo me de neutris adiectiuorum pollicitus ſum eſſe dicturum. Cicero quidem hæc ipſa nomina niſi in paucis, non ſolet ſimpliciter neutro genere vno verbo exponere, ſed pluribus. De nõnullis diximus in Porphy. de multis in libro de optimo genere interpretandi. Nunc de iis tantũmodo dicemus, quæ nobis hoc loco propoſita ſunt, τὸ πολὺ & τὸ ὀλίγον. τὸ μέγα & τὸ μικρὸν, non ſingulari numero vertit multum, paucũ, &c. vt vulgus ſolet, ſed plurali multa pauca, magna parua. Vnus locus ſatis erit is qui poſitus eſt in quarto Academicarum quæſtionum: Sed nulla omnino in re minutatim interrogãti diues, pauper, clarus, obſcurus ſit, multa pauca, magna parua, longa breuia, lata anguſta: quanto aut addito aut dempto, quid certũ reſpondeamus non habemus. Eodem libro paulò infra vnũ dicit pro vnitate, quod ſecutus ſum in cõuertẽdis libris de moribus: Si ad eũ numerum vnũ addidero, multa ne erũt? Afferam locũ alterũ ex quo id erit euidentius. In Topicis, Nã alia quoq; ſunt contrariorũ genera, velut ea quæ cũ aliquo cõferũtur, vt duplũ ſimplũ, multa pauca, longũ breue, maius minus.

Contraria enim definiuntur quę in eodem genere plurimum differunt, τὰ γὰρ πλεῖστον ἀπ' ἀλλήλων διεστηκότα, τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐναντία ὁρίζονται) iiſdem verbis contraria definit Cicero in Topicis: Contrariorum autẽ genera ſunt plura, vnum eorum, quæ in eodem genere plurimùm differunt, vt ſapientia & ſtultitia. Ipſe autem aliter accipit, quæ in eodem genere atq; philoſophi. Nam philoſophi contraria eſſe in eodem genere exiſtimant, ita vt ſi vnũ ad qualitatem pertineat, alterum etiã ex eodem ſit genere. Cicero autem hoc modo, Eodem autem genere dicuntur, quibus propoſitis occurrunt tanquã è regione quædã contraria, vt celeritati tarditas, nõ debilitas.

## DE IIS QVAE CVM ALIQVO CONFERVNTVR.

EA autem cum aliquo conferuntur, quorum vis omnis & natura refertur ad alia, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur, πρός τι δὲ τὰ τοιαῦτα

τοιαῦτα λέγεται, ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶν ἑτέρων εἶναι λέγεται, ἢ ὁποσοῦν ἄλλως πρὸς ἕτερον.) Hęc definitio quàm obſcure à cęteris omnibus explicata expreſſáq; ſit Latine, omnes intelligere arbitror. Tantas enim tenebras offuderunt, vt ne verba quidem a quoquam vnquam potuerint intelligi. ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶ, verbum è verbo exprimentes, quæ ipſa quæ ſunt, obſcuriſsime vt alij diceremus: quorum vis omnis idem valet ac declarat, (ita tamen nemo vt ſit qui id quod inuolutum videbatur explicare poſsit) omnis enim vis eorum quæ cum aliquo conferuntur ſic implicata eſt, vt neutrum ſine altero intelligi queat. Ego interdum illud ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶ expono, quæ quicquid ipſa ſunt, id omne, &c. vt enim ſoliti ſumus dicere, Quicquid ipſe ſum, quicquid habeo, id tuum ſum exiſtimaturus, vel tibi acceptum refero: ſic quicquid eſt vel habet vnum eorum quę ſunt ex hoc genere, id omne alteri attribuunt, non ſibi. Sed hoc intereſt, quòd illic etiam vnum ſine altero mente & cogitatione intelligi poteſt, hic non poteſt. Itaq; vim ſuam omnẽ & naturam, id eſt id quod ſunt (quam vocãt barbari quidditatem) ſibi alterum alteri tribuunt. τὰ autem πρός τι ea quæ cum aliquo conferuntur appello cum Cicerone in Topi. Nam alia quoq; ſunt contrariorum genera, velut ea quæ cum aliquo conferuntur, vt duplum, ſimplum, &c. Itaq; illud barbarum cenſeo reiiciendum omnibus, Ad aliquid, Ea quæ ſunt ad aliquid etiam ſi eo Quintilianus vtatur.

Sunt etiam quædam ſitus genera, vt accubatio, vt ſtatus, vt ſeſsio, ἐστὶ δὲ καὶ ἡ ἀνάκλισις, καὶ ἡ στάσις, καὶ ἡ καθέδρα, θέσεις τινές.) Alij dicunt ἀνάκλισιν accubitum, Cicero appellat accubationem. In 1. de natura deorum, Non enim ſentitis quàm multa vobis ſuſcipienda ſint, ſi impetraueritis vt concedamus eandem hominum eſſe & deorum figuram, omnis cultus & curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, quæ adhibetur homini, ingreſſus, curſus, accubatio, inclinatio, ſeſsio, comprehenſio. στάσιν vertit non ſtationem, ſed ſtatum. In primo de Officiis, Status, inceſſus, ſeſsio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. θέσιν ſitum dixi, vt ille, non vt alij, poſitionem. Alio loco θέσις aliud ſignificat, quod nomen vertit conſultationem aliàs, aliàs propoſitum: vt ὑπόθεσιν, cauſam.

Omnia verò quæ in hoc genere ſunt, reciprocantur, πάντα δὲ τὰ πρός τι πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται) alij, ad conuertentia dicuntur. Ego ἀντιστρέφειν quibus modis à Cicerone conuertatur & dicatur, inſtitui hoc loco docere. Primum ἀντιστρέφειν dicit reciprocari. In primo de Diuinatione, Ego enim ſic exiſtimo, ſi ſint ea genera diuinandi vera de quibus accepimus, quæq; colimus, eſſe deos: viciſsimq; ſi ſint dij, eſſe qui diuinent. Arcem tu quidẽ Stoicorum, inquam, Quinte, defendis: ſiquidem iſta ſic reciprocantur, vt ſi diuinatio ſit, ſint dij: & ſi dij ſint, diuinatio. Nónne ita apertè vim conuerſionum mutuarum, quas vocant, expoſuit & explanauit, vt nemo contradicere queat, quin ἀντιστρέφειν idem valeat quod conuerti? Itaq; eodem modo argumentationem tractaui in fine harum Categoriarum. Eſſe autem eius generis quædam, hinc intelligi poteſt, quòd eſſe hominem, & vera de homine oratio ſic reciprocantur, vt ſi homo ſit, vera oratio eſſe hominem: & ſi eſſe hominem vera ſit oratio, ſit homo. Græca Ariſto. ſubiiciam, vt res intelligatur. Ea autem poſita ſunt in hoc libro de Categoriis, quo modi & genera prioris docentur ὅτι δὲ ἐστί τινα τοιαῦτα, δῆλον. τὸ γὰρ εἶναι ἄνθρωπον ἀντιστρέφει, κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν πρὸς τὸν ἀληθῆ περὶ αὐτοῦ λόγον. εἰ γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ἀληθὴς ὁ λόγος ᾧ λέγομεν. ὅτι ἐστὶν ἄνθρωπος. καὶ ἀντιστρέφει γε, εἰ γὰρ ἀληθὴς ὁ λόγος ᾧ λέγομεν, ὅτι ἐστὶν ἄνθρωπος, ἐστὶν ἄνθρωπος. Breues conciſáſq; plures Ariſtotelis



ſtotelis orationes in vnam concluſi & contuli, quod in lib. de optimo genere interpretandi docui eſſe faciendum. ἀντιστρέφειν interdum dicit Cicero viciſsim, retro, & retrorſum commeare, vim eius vocabuli explicans. ἀντὶ enim in iunctis verbis viciſsitudinem quãdam indicat, vt in his ἀντιφιλεῖν, ἀντιποιεῖν, id quod in libro quem modo nominaui, docui. In 3. de Natura deorum, Præterea omnia hæc tum intereunt, cum in naturam aliam conuertuntur, quod fit quum terra in aquam ſe vertit, & cum ex aqua oritur aër, & cum ex aëre æther, cúmq; eadem viciſsim retro commeant. In 2. Et cum quatuor ſint genera corporum, viciſsitudine eorum mũdi natura eſt continuata. Nam ex terra aqua, & ex aqua oritur aër, & ex aëre ęther: deinde retrorſum viciſsim, ex æthere aër, & inde aqua, ex aqua terra infima. Atque hæc ille. Hæc autem non tam aperta eſt quàm ſuperior ſignificatio. ἀντιστρέφειν etiam Cice. diſertè interpretatur ex altera parte reſpõdere. Principium enim artis Rhetoricæ Ariſto. quod ſequitur, ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ, conuertit his verbis in Oratore ad Brutum, Atq; etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis rhetoricæ dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ. Sic in 1. Acade. quæſtio. Huic quaſi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuæ, ad perſuadendum accommodatæ. Idem efficit & valet ſplendida illa eius oratio, Alterum alteri conſequens eſt, in 5. Tuſcula. quæſtionum: Ego enim aſſentior eorum quæ poſuiſti, alterum alteri conſequens eſſe, vt quemadmodum ſi quod honeſtum ſit, id ſolum ſit bonum, ſequatur beatam vitam virtute confici: ſic ſi vita beata in virtute ſit, nihil eſſe niſi virtutem bonũ. Sed hoc poſtremũ dicitur vulgo, ſi hæc duo ſequũtur mutuo vel adinuicẽ.

## DE QVALITATE.

Affectio διάθεσις.) Alij diſpoſitionem dicunt, quod barbarum eſt. D. Auguſtinus ſic conuertit vt feci. Cicero nihil vult intereſſe inter habitum & affectionem. Vnum enim pro altero ſæpe dicit in 4. Tuſculanarum quęſtionum. Vitioſitas autem eſt habitus ſeu affectio in tota vita inconſtans, & à ſeipſa diſſentiens. Itaq; paulo infra definit virtutem his verbis, Virtus eſt affectio animi conſtans conueniénſq;, laudabiles efficiens eos in quibus eſt. ἕξιν enim modo habitum, modo affectionem dicit, quoniam ἔχειν affectum eſſe dicit ſæpiſsimè, quod alio loco oſtendi.

Valentes ὑγιεινοί, imbecilli νοσώδεις) Cicero in libro de Fato, Nam tum nihil eſſet in noſtra poteſtate, ſi res ita ſe haberet: Nunc verò fatemur acuti hebetéſue, valentes imbecilliue ſimus, non eſſe id in nobis: ἀδυναμίαν autem appellat imbecillitatem.

Patibiles qualitates, παθητικαὶ ποιότητες) alij paſsibiles. Cicero τὸ παθητικὸν, dicit, patibile. In tertio de Natura deorum, Cúmq; omne animal patibilem naturam habeat, nullum eſt eorum quod effugiat accipiendi aliquid extrinſecus, id eſt quaſi ferendi & patiendi neceſsitatem. Ex quo loco intelligi debet ac notari genus interpretandi illuſtriſsimum, Nam πᾶν τὸ ζῶον παθητικὸν dicit, Omne animal patibilem naturam habeat, & πάσχειν vertit accipere, non ferre ac pati, niſi adiecto verbo quaſi, quòd durum videbatur. Quòd ex loco facilius intelligi licet, qui eſt apud eum in primo Academicarum quæſtionum, Ergo illa initia, &, vt è Græco vertam, elementa dicũtur, è quibus aer & ignis mouendi vim habent & efficiendi, reliquæ partes accipiendi & quaſi patiendi: aquam dico & terram. Quod dicit vim habet accipiẽdi & patiendi, eſt apud Ariſtotelem παθητικὸν & ποιητικόν: quod vim

habet mouendi & efficiendi,in quarto Meteororum,ἐπὶ δὲ τέτταρα διώρισται αἴτια τῶν ςοιχείων, τούτων δὲ κατὰ τὰς συζυγίας, καὶ τὰ ςοιχεῖα τέτταρα συμβέβηκεν εἶναι, ὧν τὰ μὲν δύο ποιητικά, τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν: τὰ δὲ δύο παθητικά, τὸ ξηρὸν καὶ τὸ ὑγρόν, id eſt,Cauſæ iam quatuor expolitæ ſunt initiorum & elementorum, ex quarum coniugationibus quatuor etiam elementa efficiuntur: è quibus duæ calor & frigus,mouendi vim habent & efficiendi:reliquę partes accipiēdi & quaſi patiendi,ſiccitatem dico & humorem. Eum enim locū Cic.mihi videtur ab Ariſt.tranſtuliſſe,paucis verbis mutatis.Alij interpretes dicūt paſsiuas & actiuas qualitates.De his nominibꝰ Grecis in lib.de optimo genere interpretandi multa tradidi. Ego duas Categorias potius efficere & accipere vel pati nominarim, quàm agere & pati, niſi hæc iam trita eſſent.

## DE CONTRARIIS, SEV OPPOSITIS.

Contrariorum autem genera ſunt quatuor:vnum eorum quæ cum aliquo conferuntur:alterum eorum,quæ aduerſa dicuntur: tertium eorum,quæ priuātia:quartum eorum,quorum alterum ait quid, alterum negat,λέγεται γὰρ ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς,ἢ ὡς τὰ πρός τι, ἢ ὡς τὰ ἐναντία, ἢ ὡς ςέρησις καὶ ἕξις, ἢ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις ) Ego non ſolum in ſingulis verbis vertendis Ciceronem ſecutus ſum, ſed in partitione tradenda. Scribit enim in Topicis his ferè verbis, Contrariorum autem genera ſunt plura, vnum eorum quæ eodem genere plurimū differunt.Paulò infrà,Hæc quæ ex eodem genere contraria ſunt,appellantur aduerſa. Sunt enim alia contraria,quæ priuantia licet appellemus Latinè, Græce ςερητικά. Paulò infrà, Nam alia quoq; ſunt contrariorum genera,velut ea quæ cum aliquo conferuntur.vt duplum,ſimplum: multa,pauca:longum,breue: maius,minus. Sunt etiam valde cōtraria alia genera,quæ appellantur negantia,ea ἀποφατικὰ Græci,contraria aientibus.vt ſi hoc eſt,illud non eſt. Ex his locis facile intellectu eſt, τὰ ἀντικείμενα contraria dici à Cicerone, τὰ ἐναντία aduerſa: τὰ πρός τι, ea quæ cum aliquo conferuntur, κατάφασις καὶ ἀπόφασις, aientia & negantia,quanquam Græcè dicuntur καταφατικὰ καὶ ἀποφατικά. ςερητικὰ etiam Græci dicunt,quæ vocat priuantia.ſed tamē eo nomine τὴν ἕξιν comprehendi,exempla quæ profert,indicant:vt dignitas & indignitas:humanitas & immanitas.Ea quæ in Topicis negantia appellat & aientia,contradictorie oppoſita vulgo dicuntur,in quarto Academicarum, & in libro de Fato,contraria nominat,& in 1.veteris Rhetoricæ diſparata.In 1. de Inuentione, Diſparatum autē eſt, id quod ab aliqua re per oppoſitionem negationis ſeparatur:hoc modo,ſapere & non ſapere.In 4.Academ.Nam ſi è contrariis diſiunctio ( contraria autem ea dico, cum alterum aiat,alterum neget) ſi talis diſiunctio falſa poteſt eſſe,nulla vera eſt.In libro de Fato,Cōtraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat. Ego his locis adductus κατάφασιν, id quod ait, ἀπόφασιν id quod negat malui dicere,quàm affirmationem & negationē,vel aientia & negantia, propter numerum pluralem,quanquam ea videtur Cicero appellare eo nomine.pro iis affirmationem etiam, negationémq; dico interdum hoc loco,ne nomina trita apud philoſophos omnino viderer velle tollere.

*Cui enim nondum natura aptus eſt aſpectus,is neq; cæcus eſſe, neq; deſpicere dicitur,* τὸ γὰρ μήπω πεφυκὸς ὄψιν ἔχειν, οὔτε τυφλόν, οὔτε ὄψιν ἔχον λέγεται) πεφυκὸς ὄψιν ἔχειν dixi,cui natura aptus eſt aſpectus, quoniam Cicero in prima Tuſculana ſic tranſtulit,Nos qui ſumus,num aut ſi cornibus caremus, aut pennis,ſit qui id dixerit?Certe nemo.Quid ita? quia cum id non habes, quod



quod tibi nec vſu nec natura aptum ſit, non careas,etiam ſi ſentias te non habere. Genus eſt dicendi ſplendidiſsimum ὄψιν ἔχειν, deſpicere dixi, cum Cice.in 4.de Finib. Iſta ſimilia non ſunt, in quibus quāuis multum proceſſeris,tamen illud in eadem cauſa eſt,à quo abeſſe velis donec euaſeris.Nec enim ille reſpirat antequam emerſit,& catuli æque cæci priuſquam deſpexerunt ac ſi ita futuri ſemper eſſent.Eodem lib. paulo ſupra eodem verbo vius eſt,pro quo etiā video,dicit:atq; illud ego adhibuiſſem, niſi hoc quod dixi & ab vſu remotum eſſe, & ab interitu vindicandum iudicaſſem. Ita βλέπειν hoc loco tranſtuli. *Prauus enim ſi ad meliorem vſum rationémq; ex mala deducatur,iam habeat ad virtutem progreſsionis aliquantum. Cū autem ſemel vel parum in virtute proceſſerit, profecto aut perfectam ſapientiam mutatione morum cōſequetur, aut certe magnam in virtute faciet progreſsionem.Semper enim aptiores animos habet ad virtutem,quāuis parum initio in ea proceſſerit, vt veriſimile ſit eum maiorem progreſſum eſſe facturum,* ὁ γὰρ φαῦλος εἰς βελτίους διατριβὰς ἀπαγόμενος καὶ λόγους, κἂν μικρόν γέ τι ἐπιδοίη εἰς τὸ βελτίων εἶναι.ἐὰν δὲ ἅπαξ, κἂν μικρὸν ἐπίδοσιν λάβῃ, φανερὸν ὅτι ἢ τελείως ἂν μεταβάλοι, ἢ πάνυ πολλὴν ἂν ἐπίδοσιν λάβοι.ἀεὶ γὰρ εὐκινητότεροι πρὸς ἀρετὴν γίνεται, κἂν ἡντιναοῦν ἐπίδοσιν εἰληφὼς ἐξ ἀρχῆς ᾖ, ὥστε εἰκὸς καὶ πλείω ἐπίδοσιν αὐτὸν λαμβάνειν. Hunc locum Cice. in 4. de Finib. Magna ex parte conuertit. ἐπίδοσις progreſsio & progreſſus, ἐπιδόναι progreſſum facere,μικρόν τι ἐπιδόναι εἰς τὸ βελτίων εἶναι, habere in virtute progreſsionis aliquantum.ἐπίδοσιν λαμβάνειν πρὸς ἀρετὴν procedere & progredi in virtute. Hæ ſunt orationes illuſtres & ſplendidæ,quæ nec à multis vſurpantur,& à paucis animaduerſæ. Quibus autem Græcis reſpondeant, aut illæ Græcæ, quibus noſtris,haud ſcio an quiſquam intelligat.Has igitur diuitias & opes Latini ſermonis explicemus.In 4.de Finib. Leuatio igitur vitiorum magna fit iis,qui habent ad virtutem progreſsionis aliquantum. Paulo ſuprà, Sed quia ſtudebat laudi & dignitati, multū in virtute proceſſerat. Paulo infrà, Veſtri autem progreſsionem ad virtutem fieri aiunt,leuationem vitiorum fieri negant.Paulo antè,Nihil enim adiuuat procedere & progredi in virtute,quominus miſerrimus ſit, antequam ad eam peruenerit. Paulo ſuprà, Stoici videlicet hoc viderunt,illos autem id fugerat ſuperiores:arbitrabātur homines ſceleribus & parricidiis inquinatos nihilo miſeriores eſſe, quàm eos,qui cum caſtè & integrè viuerent, nondum perfectam illam ſapientiam eſſent conſecuti.Hęc duo peruenire ad virtutem,& cōſequi perfectam ſapientiam dicit,ἀποκαθιςᾶναι εἰς τὴν ἐναντίαν ἕξιν τελείως & τελείως μεταβάλλειν. quoniam loquitur de homine ſceleribus contaminato πολλὴν ἐπίδοσιν λαμβάνειν, multum in virtute progredi & procedere, & alio loco magnum progreſſum facere, & hoc loco magnam progreſsionem facere ad virtutem. *Si enim Socrates nullus ſit omnino,nec ægrotare eum verū eſt nec valere,* οὔτε γὰρ τὸ νοσεῖν Σωκράτην, οὔτε τὸ ὑγιαίνειν ἀληθές, αὐτοῦ μὴ ὄντος Σωκράτους. μὴ ὢν qui non eſt dicitur:ſed ſplendidior illa eſt oratio,qui nullus eſt, vt μὴ ὄντες qui nulli ſunt, & μὴ ὄντα quæ nulla ſunt, de quo poſtremo iam diximus in inſtitutionibus Porphyrianis.In 1.Tuſculanarum:Mortuorum autem non vitæ modo commodis, ſed ne vita quidem ipſa quiſquam caret, de mortuis loquor, qui nulli ſunt. Nos qui ſumus,num aut ſi cornibus caremus aut pēnis,ſit qui id dixerit?Paulo ſuprà dixit,qui nō eſt, μὴ ὤν. An poteſt qui non eſt re vlla carere? Initio etiam eius libri iiſdem dicendi generibus vtitur.Ego quoq; vtroque genere vſus ſum: ſed hoc quod tracto ſæpius,vt teratur.Pro iiſdem etiam dico,In vita eſſe,& in vita manere, va-

riandæ orationis gratia & ornandæ. Sunt enim hæc adeò ſqualida, vt niſi quendam orationis nitorem adhibeamus, lectores aut ſtudioſos ad legendum allicere nõ poſsimus. Ita delectare cogimur eos,quos ſola vtilitas huius artis excitare debuit,niſi forte hæc adeò inuoluta adhuc fuerint,vt quę vtilitas ex iis percipi poſſet,nemo poſsit cognoſcere.

### DE EIVS QVOD PRIVS EST GENERIBVS.

PRimum genus eſt & aptiſsimum, tempore, ex quo aliud alio antiquius appellatur, (πρῶτον μὲν καὶ κυριώτατον κατὰ τὸν χρόνον, καθ' ὃ πρεσβύτερον ἕτερον ἑτέρου, καὶ παλαιότερον λέγεται) ego malui πρότερον κατὰ χρόνον, prius & antiquius temporum ordine dicere, quàm prius tempore omnino. Sicuti πρότερον τῇ φύσει,prius ordine naturæ dixi.Sic enim loquitur Cice.in 4.de Finib.loquẽs de Peripateticis, Atque ita re primo ſimpliciter collocata, reliqua ſubtilius perſequentes corporis bona facile quandam rationem habere cenſebant, de animi bonis accuratius exquirebant: in primiſq; reperiebant in his eſſe iuſtitiæ ſemina, primíque ex omnibus philoſophis à natura tributum eſſe docuerũt vt ij qui procreati eſſent,à procreatoribus amarẽtur: & id quod temporum ordine antiquius eſt, vt coniugia virorum & vxorum, à natura coniuncta eſſe dicerent. In Topicis loquens de Stoicis, Inueniendi verò autem quæ τοπικὴ dicitur,quæ ad vſum potior erat,& ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Quo circa illa etiam ἅμα κατὰ τὸν χρόνον eadem ratione ſimul temporis vel temporum ordine dicendum cenſeo,& ἅμα φύσει, ſimul naturæ ordine,non omnino ſimul natura & tempore.

Motus autem ſex genera ſunt,ortus,interitus,acceſsio, deceſsio,commutatio,loci commutatio, (κινήσεως δέ ἐστιν εἴδη ἕξ, γένεσις, φθορά, αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, καὶ ἡ κατὰ τόπον μεταβολή) Alio loco probaui γένεσιν & φθορὰν à Cicerone ſemper dici ortũ & interitum,in hoc duntaxat genere: μείωσιν dicit modo deceſsionem,modo abſceſsionem, modo etiam imminutionem, quibus etiam vſus ſum nominibus. ἀλλοίωσιν alij barbare alterationem appellant: ego vero commutationem cum Cicerone,& ἀλλοιοῦσθαι commutari. Immutari idem valet & immutatio. Sic etiam D. Auguſtinus loquitur,qui has Categorias magna ex parte latinis literis illuſtrauit. ἡ κατὰ τόπον μεταβολὴ, etiã à Cicerone loci commutatio & mutatio dicitur. Alio loco Ariſtoteles vocat φορὰν,quã alij barbarè vertunt lationẽ,cum dicendum ſit,loci mutationem.

Atq; hæc ſunt quæ hoc loco notanda putaui: plura potui,ſed iis prętermiſsis,quæ ſunt facilia intellectu,ea ſolum perſequutus ſum quæ admonitionẽ deſiderabant.

# EIVSDEM OBSERVATIONES
## IN LIBRVM ARISTOTELIS
## DE INTERPRETATIONE.

MENTIS quidẽ interpres eſt oratio, ſcripta orationis,(ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ) σύμβολον Cicerone interprete idẽ valet quod nota. Scribit enim in Topicis his ferè verbis: Multa enim ex notatione ſumũtur:ea autem eſt,cũ ex vi nominis argumentũ elicitur,quã Gręci ἐτυμολογίαν vocãt,id eſt,verbum ex verbo veriloquium. Nos autem nouitatem verbi non ſatis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia ſunt verba rerum notæ. Itaq;



Itaq; hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat,quod latinè eſt nota. Hæc ille. Nos autem hoc loco maluimus orationem aliam Ciceronis quæ huic Ariſtotelis par eſt perſequi. In primo enim de legibus,hac oratione vtitur: Interpréſq; eſt mentis oratio: quæ idem valere quod illa Ariſtotelis videtur, ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Neq; enim, vt ſæpe dixi & docui, verbum ex verbo exprimẽdum neceſſario eſt, vt τὰ σύμβολα notas ſemper dicamus,& τὰ ἐν τῇ φωνῇ ea quæ ſunt in voce. imò verò hoc poſterius nunquam dicendum puto,ſed verba & orationem,vt Cicero facit. Nam ſupra in exemplo eius quod protulimus ſcriptum eſt, Quia ſunt verba rerum notæ: & in primo de legibus eſt vt dixi, Interpréſq; eſt mentis oratio. Sed melius eſt verba eius ſubiici: Nam & ſenſibus eadem omnia cõprehenduntur,& ea quæ mouent ſenſus,itidem mouent animũ: quæq; in animis imprimuntur de quibus ante dixi inchoatæ intelligentiæ,ſimiliter in omnibus imprimũtur. interpréſque eſt mentis oratio, verbis diſcrepans,ſententiis cõgruens. In qua quidem oratione verbo mentis mihi cõplexus videtur totum hoc τὰ ἐν τῇ ψυχῇ παθήματα. Mens enim non ſolum animus dicitur, & pars ea animi qua Cicero nihil in nobis eſſe dicit diuinius,quæ νοῦς Græce eſt,ſed id quod animo ſentimus. Itaq; non inſcitè mihi facere videntur in diſputationibus ſuis Theologi noſtri,cum dicunt ſe vel intelligere mentem alterius,vel ſuam explicare & aperire. Cicero enim ſic loquitur in oratore ad Brutum, Et quoniam,inquit in omnibus quæ ratione docentur & via, primùm conſtituendum eſt quid quicq; ſit (niſi enim inter eos qui diſceptant conuenit quid ſit illud de quo ambigitur, nec rectè diſſeri,nec vnquam ad exitum perueniri poteſt) explicãda eſt ſæpe verbis mens noſtra de quaq; re, atq; inuolutæ rei notitia definiendo aperiẽda eſt. Ergo mentis vno nomine hoc loco τὰ ἐν τῇ ψυχῇ παθήματα expoſui. Nã hoc eodem libro paulò infra παθήματα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ magis ad verbũ expreſſi ſenſa animi: & in fine, ſenſus animi. quoniam his verbis τὰ ἐν τῇ ψυχῇ παθήματα à Cicerone expoſita reperio,non illo non latino paſsiones, quod cæteri ſequuntur. In 1. de Oratore, Hoc enim vno præſtamus vel maximè feris, quòd colloquimur inter nos, & quòd exprimere dicẽdo ſenſa poſſumus. In oratore ad Brutum, In verbis ineſt quaſi materia quædam, in numero autem expolitio. ſed vt cæteris in rebus neceſsitatis inuẽta antiquiora ſunt quàm voluptatis,ita & in hac re accidit,vt multis ſeculis ante ratio nuda ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimẽdos fuerit reperta, quàm ratio numerorum cauſa delectationis auriũmue excogitata, id eſt, περὶ τὸ τὰ ἐν τῇ ψυχῇ παθήματα δηλοῦν ἢ ἀποφαίνεσθαι. Exprimere autem dicendo ſenſa, δηλοῦν ἢ ἀποφαίνεσθαι τὰ παθήματα τῇ φωνῇ, ἢ τῷ λόγῳ, ἢ τῷ λέγειν. Quod autẽ in Topicis dicit Cicero, Quia verba rerum notæ ſunt, hoc loco Ariſtoteles ad ſenſus animi transfert. Sic enim dicit deinceps, ὧν μέντοι ταῦτα σημεῖα πρώτως, ταὐτὰ πᾶσι παθήματα τῆς ψυχῆς, id eſt, At verò ſenſa animi quorum primum verba notæ ſunt,idem apud omnes valent.

Nam ſi cum cæteris iunguntur,per ſe quidem conſtabit oratio: at ſi cum eſt,erat,vel erit,nec verum, id nec falſum eſt, (λόγος δέ ἐστιν αὐτὰ τὰ μὲν ἄλλα κατὰ τὰ αὐτά. ὅτι δὲ μετὰ τοῦ ἐστὶν, ἢ ἦν, ἢ ἔσται, οὐκ ἀληθεύει ἢ ψεύδεται.) Sunt q illud τὰ μὲν ἄλλα κατὰ τὰ αὐτὰ, ad definitionem nominis transferendum putẽt. vt ſit ſenſus,Caſibus ſeu obliquis recti in aliis cum recto cõuenit: niſi,quòd ſi iungantur cũ verbis eſt erat & erit,nec vera eſt nec falſa oratio. Ita illud, κατὰ τὰ αὐτὰ exponit eodem modo. Ego,per ſe dico,cũ Boetio. Et τὰ ἄλλα, vt deſit κατὰ,ſi cum cæteris iungãtur. Quod vt facerem,adductus ſum illo,

μετὰ δὲ τοῦ ἐστὶν,&c. Illud enim μετὰ quid ponatur in ſecundo membro non video, niſi in ſuperiore intelligatur, quaſi dixerit, λόγος ἐστὶν αὐτῶν μετὰ μὲν τῶν ἄλλων, κατὰ τὰ αὐτά. μετὰ δὲ τοῦ ἐστιν,&c. Quòd ſi mihi licet quod ſentio dicere, ſic hunc locum puto corrigendũ, λόγος ἐστὶν τὰ μὲν ἄλλα ἐξ αὐτῶν κατὰ τὰ αὐτά. μετὰ δὲ τοῦ ἐστὶν, ἢ ἦν, ἢ ἔσται, οὐκ ἀληθεύει ἢ ψεύδεται. vt λόγος ſit oratio, & αὐτὰ pertineat ad ἀληθεύει & ψεύδεται. Neq; enim quicquam aliud ad ea referri poteſt. Referendum ergo puto τὰ αὐτὰ ad ἀληθεύει, id eſt, neq; verum enunciant ipſi obliqui, nec falſum.

Sed non eſt ſimplicium iunctorũmque nominum eadem ratio, (οὐ μὴν δ᾽ ὥσπερ ἐν τοῖς ἁπλοῖς ὀνόμασιν, οὕτως ἔχει καὶ ἐν τοῖς πεπλεγμένοις) Ariſtoteles vocat hoc loco πεπλεγμένα ὀνόματα, quæ compoſita vocant grammatici, Cicero iuncta. Nam quæ complexa & cum complexione appellant dialectici, Ariſtoteles in Categoriis κατὰ συμπλοκὴν, Cicero coniuncta nominat, quemadmodum eo loco docui.

Eſt autem primum enunciationis genus, affirmatio & negatio, (ἔστι δὲ εἷς πρῶτος λόγος ἀποφαντικὸς κατάφασις, εἶτα ἀπόφασις) ἀπόφασιν modo enunciationem appello, modo enunciatum, modo pronunciatum, modo effatum, Ciceronis exemplo. Quanquam autem nunquam ille videtur hoc nomen Ariſtotelis vertiſſe, ſed ἀξίωμα: tamen quoniam idem valent, his tot eius verbis illud Ariſtotelis mihi vertendum putaui, diſtinguendæ illuſtrandæque cauſa orationis. Atq; hunc locum illuſtrandum duxi eius exemplis. In libro de fato, Concludit enim Chryſippus hoc modo, ſi eſt motus ſine cauſa, non omnis enunciatio, quod ἀξίωμα Dialectici appellant, aut vera aut falſa erit. Eo verbo deinceps eodem modo ſæpe vtitur. Semel dicit ibidem enunciatum & pronunciationé. Nec ſi omne enunciatum aut verum aut falſum eſt, ſequitur ilico eſſe cauſas immutabiles. Paulo ſupra, Quod cum ita ſit; quid eſt cur non omnis pronunciatio aut vera aut falſa ſit? id eſt, πῶς οὐκ ἂν πᾶσα εἴη ἀπόφανσις ἢ ἀληθὴς ἢ ψευδής, In 1. Tuſcul. vocat pronunciatum: An tu dialecticis ne imbutus quidem es? In primis enim hoc traditur, Omne pronunciatum (ſic enim mihi in præſentia occurrit, vt appellarem ἀξίωμα, vtar pòſt alio ſi inuenero melius) id ergo eſt pronunciatum, quod eſt verum aut falſum. In quarto Academ. quęſtionum, aliquoties dicit effatum. Nempe fundamentum dialecticæ eſt, quo quid enuncietur (id autem appellant ἀξίωμα, quod eſt quaſi effatum) aut verum eſſe aut falſum. Ergo quinq; verbis vnum Græcum expreſsit, vt intelligi poſsit quod & ille pluribus locis tradit, & ego in lib. de optimo genere interpretandi docui, Græcos à nobis interdum vinci copia. Nam πρότασις non dicitur omnino enunciatio, ſed ea quæ alicui proponitur ad diſputandum, ſeu prima pars ratiocinationis. Quod ex primo Topicorum & Priorum librorum de iudicandi arte intelligi poteſt. Enunciatio autem duplex eſt: altera dicitur affirmatio, altera negatio. Quas quidem vulgus dialecticorum appellat affirmatiuam & negatiuam. Dicamus ergo iam affirmationem & negationem vel autore Cicerone. In lib. de fato, Quæro enim ſi Chaldæi ita loquantur, vt negationes infinitarum coniunctionum, potius quàm infinita connexa ponant: cur idem medici, cur geometrę, cur reliqui facere non poſſunt? Negationes infinitarum coniunctionum appellat negatiuas propoſitiones copulatiuas quas vocant, qualis eſt hæc: Non & dies eſt & nox. Ergo coniunctio etiam dici debet latinè, quam vocant propoſitionem copulatiuam: & connexum, quàm vocant conditionalem. Prior eſt talis: Cicero & philoſophus fuit & eloquens. poſterior talis, Si ſol lucet, dies eſt. Quam etiam illi vocant disiun-

ctiuam



ctiuam, vocat Cicero diſiunctionem. In quarto Academ. Nam ſi è contrariis diſiunctio (contraria autem ea dico, cum alterum aiat, alterum neget) ſi talis diſiunctio falſa poteſt eſſe, nulla vera eſt. Vocat diſiunctionem ex contrariis, propoſitionem, quam vocant de diſiuncto extremo, cuius partes ſunt termini contradictorij. Quæ autem eius vis ſit & natura, paulo ſuprà oſtendit his verbis, Etenim cum ab Epicuro qui totam Dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent, vt verum eſſe concedat quod ita effabimur, Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet: cum dialectici ſic ſtatuant, omne quod ita diſiunctum ſit quaſi aut etiã aut non, nõ modo verum eſſe, ſed etiam neceſſarium: vide quàm ſit cautus is, quem tardum putant. Quæ etiam connexi vis ſit, paulo ſuprà oſtendit. Quid enim faceret huic cõcluſioni? Si lucet, lucet: lucet autem, lucet igitur. Crederet ſcilicet. Ipſa enim ratio connexi, cum conceſſeris ſuperius, cogit inferius concedere. In Topicis de diſiunctione præcipit hoc modo, in diſiunctione plus vno verum eſſe non poteſt. Multa alia commemorare poſſum, ſed hæc non ſunt inſtitutæ diſputationis. Quare vt ad rem reuertamur, Negatio dicitur à Cicerone, quam hodie dialectici propoſitionem negatiuam vocant. In Topicis etiam negantiam appellat. Deinde addunt cõiunctionum negantiam ſic, Non & hoc eſt, & illud: hoc autem nõ, igitur illud. Affirmationem dicit κατάφασιν in tertio de Officiis: Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa. Aſſertionis verbo bis vſus eſt, ídq; in primo extremo Academic. pro eodem, vt mihi videtur. Quibus de cauſis nihil oportere neq; profiteri, neq; affirmare quẽquam, neq; aſſertione approbare, &c. Quanquam pro decreto dici poteſt.

Sed omnis ex verbo aut caſu verbi conſtet oratio, qua quid enunciatur; neceſſe eſt, (ἀνάγκη δὲ πάντα λόγον ἀποφαντικὸν ἐκ ῥήματος εἶναι, ἢ πτώσεως ῥήματος.) Cicero ſic initio tertij libri de Oratore: Nam cum omnis ex re atq; verbis conſtet oratio &c. πτῶσιν & in nomine & in verbo caſum expoſui. In nomine pro caſu & obliquum & declinationem & declinatum. In verbo declinationem dixiſſem libentius, niſi & illud tritum eſſet, & me nonnulli artem totam putaturi eſſent velle euertere. In quo ſecutus Varronem fuiſſem. Sed vt docti quod ſequantur habeant, hoc loco exponenda putaui quæ apud illum legerim. In primo de Analogia, In verborum genere, quæ tempora adſignificant, quòd ea erant tria, præteritum, præſens, futurum: declinatio facienda fuit triplex: vt à ſaluto, ſalutabam, ſalutabo. Qui me locus admonuit, vt προσσημαίνειν adſignificare dicerem, cum quid eſſet verbũ exponerem. Conſignificare enim barbarum eſt. Eodem lib. paulò ſuprà eodem verbo bis vtitur in eadem oratione. Partes orationis ſunt duæ (niſi vt Dion) in tres diuiſerimus partes, res quæ verbis adſignificantur. Vnam, quę adſignificat caſus, alteram quæ tempora, tertiam quę neutrum. Sed quoniã deinceps Varro locum huius libri attingit, non potui præterire. De his, inquit, Ariſto. duas partes eſſe dicit, vocabula & verba, vt homo & equus, & legit & currit. ὀνόματα ergo vocabula appellat, verbum tamen nominis dicit ſæpius pro eodem. vt paulo poſt, Prius enim nomen eſt quàm verbum temporale: & reliqua poſterius quàm nomen & verbum. Verbum autem vocat temporale, quòd nomen verbi omnem ſignificat complectitúrq; locutionem. Quintilianus vocabulum non vult tam latè patere quàm nomé, quod Varro in eodem libro interdum facit. Facit enim nomina finita, ac ſignificare res proprias: vocabula infinita, & communes res deſignare.

Ac ſi quis aliquid omnino ineſſe aut non ineſſe in quadam re vniuerſa confirmet, cõtrariæ erunt enunciationes. Dico auté in re vniuerſa omnino

& totum dici, &c. ἐὰν μὲν οὖν καθόλου ἀποφαίνηταί τις ἐπὶ τοῦ καθόλου ὅτι ὑπάρχει, ἢ μή, ἔσονται ἐναντίαι αἱ ἀποφάνσεις, λέγω δὲ τὸ ἐπὶ τοῦ καθόλου ἀποφαίνεσθαι καθόλου) &c. καθόλου, hoc loco modo nomẽ eſt, modo aduerbium, vt res indicat. Cum nomen eſt, non dico vniuerſale vt cæteri, ſed rem vniuerſam, quemadmodum in libro de optimo genere interpretandi verti à Cicerone oſtẽdi. Cum autem aduerbiũ eſt, aliter atq; feci in eodem libro dico non vniuerſaliter quidẽ, vt reliqui, ſed omnino, & totum, vt Cicero. Proferã igitur locos ex quibus id intelligi poſsit, vt tandem barbara hæc vocabula repudiemus. In Oratore ad Brutum, De verbis componendis, & de ſyllabis propemodum dinumerandis & dimetiendis loquemur: quæ etiam ſi ſunt, ſicuti mihi videntur, neceſſaria, tamen fiunt magnificentius quàm docentur. Eſt id omnino verum, ſed proprie in hoc dicitur. Nam omnium magnarũ artium ſicut arborum, altitudo nos delectat, radices ſtirpéſq; non item: ſed eſſe illa ſine his non poteſt. Hæc ille. In hoc loco illud omnino idem quod καθόλου valere, argumento eſt, quod addidit ad id probandum. Nam omniũ magnarum artium, &c. Expono enim illud, Eſt id omnino verum, vniuerſaliter id verum eſt. Itaq; Ariſtoteles hoc loco exponens quid καθόλου ἀποφαίνεσθαι diceret, vtitur his verbis, τὸ γὰρ πᾶς οὐ τὸ καθόλου σημαίνει, ἀλλ' ὅτι καθόλου, id eſt, Illud enim omnis non quid totum ſignificat, ſed omnino dicit. Illud omnino etiam id ſignificat, quod vulgus philoſophorum dicit ſimpliciter, vt in his locutionibus, Si velim bonus eſſe, ſimpliciter & abſolutè neceſſe eſt virtuti dem operã. Quicquid eſt, quandiu eſt, non ſimpliciter neceſſario eſt. Ariſtoteles hoc dicit ἁπλῶς ἐξ ἁπλῶς. Quod ex eius loco qui eſt infra de futuris contingentibus quæ vocant, perſpici poteſt. Scribit enim hoc modo, οὐ μέντοι οὔτε τὸ ὂν ἅπαν, ἀνάγκη εἶναι, οὔτε τὸ μὴ ὄν, ἀνάγκη μὴ εἶναι, &c. id eſt, Attamen nec quicquid eſt, id eſſe neceſſe eſt: nec quod non eſt, non eſſe: quoniam non idem valet, omne quod in rerum natura ſit quia ſit neceſſe id eſſe, quod omnino eſſe neceſſario. Illud enim ἁπλῶς Cicero vertit omnino. In libro de Fato, Sic cum ſine cauſa animum dicimus moueri, ſine antecedente & externa cauſa, non omnino ſine cauſa dicimus, id eſt, οὐχ ἁπλῶς, quod dicunt non ſimpliciter ſine cauſa moueri dicimus. Cicero tamen admodum iuuenis dicit neceſsitates ſimplices & abſolutas alias, alias cum adiunctione, quod vulgus Dialecticorum dicit cũ addito. Scribit enim hoc modo in ſecundo de Inuentione, Atq; hoc etiam mihi videor videre, eſſe quaſdam cum adiunctione neceſsitudines, quaſdam ſimplices & abſolutas. Nam aliter dicere ſolemus, Neceſſe eſt Caſsilinenſes ſe dedere Annibali: aliter autem, Neceſſe eſt Caſsilinum venire in Annibalis poteſtatem. Illic in ſuperiore adiunctio eſt hæc, niſi malint fame perire. Si enim id malunt, non eſt neceſſe. Hoc inferius nõ item, propterea quòd ſiue velint Caſsilinenſes ſe dedere, ſiue famem perpeti, atq; ita perire, neceſſe eſt Caſsilinũ venire in Annibalis poteſtatem. Eodem extremo libro deinceps multa poſita ſunt, quæ ad hunc locum de neceſsitate abſoluta, & cum adiunctione, quam vocant conditionatam pertinent, ἁπλῶς autem nunquam dicit ſimpliciter duntaxat in hac re: ſed ſimpliciter dicit, quod Ariſtoteles dicit, τύπῳ, quemadmodum in libro quem modo nominaui, docui. Omnino ergo noſtrum his duobus Græcis καθόλου, & ἁπλῶς reſpondet. Semel pro omnino quod καθόλου efficit, apud Ciceronem totum inueni, ídq; in oratore ad Brutum. verba alte repetam, vt res intelligatur. Primum ergo origo, deinde cauſa, poſt natura, cum ad extremum vſus ipſe explicetur orationis aptæ atq; numeroſæ. Nam qui Iſocratem maxime mirantur, hoc in eius ſummis lau-

dibus



dibus ferunt, quòd verbis ſolutis numeros primus adiunxerit. Cum enim videret oratores cum ſeueritate audiri, poëtas autem cum voluptate: tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam in oratione vteretur, tum iucunditatis cauſa, tum vt varietas occurreret ſatietati. Quod ab his vere quadam ex parte, non totum dicitur. Nam neminem in eo genere ſcientius verſatũ Iſocrate confitendum eſt, ſed princeps inueniendi Thraſymachus, cuius omnia nimis etiam extant ſcripta numeroſe. Ex his perſpicuum eſt καθόλου dici totum, niſi forte in præpoſitio dempta eſt, vt in totum Cicero dixerit. Quod hinc coniicio, quia καθόλου iunctũ eſt verbũ ex κατὰ & ὅλου, & κατὰ in valet ſæpiſsime. Illud autem quod dicit, Quadam ex parte, Ariſtoteles dicit κατὰ μέρος & κατά τι, quorum poſterius vulgus dialecticorum effert, ſecundum quid & aliquid. vt ſi ſic enunciem, Omnis homo vigilat, magna ex parte id verè à me, non in totum dicitur. Nam ſic reprehendit enunciationem Cicero eorum qui Iſocratem primum dicebant verbis ſolutis numeros adiunxiſſe. vt ſi quis ſic enunciet, verbis ſolutis numeros Iſocrates primus adiunxit, quadam ex parte vere, non in totum dixerit. Illud ergo vniuerſaliter abiiciamus, dicamúſque pro eo tum in totum, tum omnino.

Affirmatio igitur negationi contradictorio nomine opponitur, quę rem vniuerſam in eodẽ ineſſe dicit, ſed non omnino ἀντικεῖσθαι μὲν οὖν κατάφασιν ἀποφάσει λέγω ἀντιφατικῶς, τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου) ἀντικεῖσθαι ἀντιφατικῶς, dico opponi cõtradictorio nomine, ſecutus Ciceronem, qui ἀντικεῖσθαι ἐναντίως, quo genere vtitur paulo infra Ariſtoteles, vertit contrario nomine opponi. In quarto libro Cicero de Finibus bonorum & malorum, quo loco κακίαν appellat vitium. Hoc, inquit, omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. Cum verò intelligerem magnam mihi inuidiam paratam, illis ſatisfactum volui. Sed ne voluntates eruditorum offenderem, ferè cum barbaro latinum coniunxi, vt dicam contradicentes & repugnantes enunciationes, ἀντιφάναι enim mihi videtur idem valere quod repugnare, duntaxat in hoc tractãdo loco Dialecticorum. Nam apud oratores ſæpe dicitur, Contra dicere, ſed fere aliquid interiectũ eſt, vt apud Ciceronem ſecunda Tuſculana. Quanquam non ſumus ignari multos ſtudioſe contra eſſe dicturos. ἀντὶ enim in iunctis verbis vel contra valet, vt in hoc, vel, ob, vt in ἀντιτίθεσθαι & ἀντικεῖσθαι, id eſt, opponi, vel re, quod non valet iterum, ſed contra & ex aduerſa parte, vt ἀντιπληγῆναι, ἀντιτυφθῆναι referire, quo in genere eſt illud repugnare. Licet aliis etiam verbis & nominibus has enunciationes exponere & appellare, quæ vulgo contradictoriæ & contrariæ vocantur. Nam contradictorias diſparatas & cõtrarias, id eſt, ἐναντίας, aduerſas dicamus licebit. quoniam τὰ ἐναντία in Categoriis oſtendi aduerſa appellari à Cicerone. Vt quemadmodum quatuor genera oppoſitorum alij vocant, contrariorum autem dixi vt Cicero. ſic hoc loco dicamus non quatuor genera oppoſitarum enunciationum, ſed contrariarum. Quas autem enunciationes appellat ſubcontrarias, eas malo vocare aduerſis contrarias, vt facit Ariſto. Sic enim & verbũ minus latinum vitabimus, & id quod autor & princeps huius artis tradidit retinebimus. Poſtea enim quàm paulo infra docuit contrarias, quas aduerſas poſſe appellari dixi non poſſe eſſe ſimul veras, tum hæc verba ſubiicit de iis enunciationibus de quibus agimus. τὰς δὲ ἀντικειμένας πάντας ἐνδέχεταί ποτε ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ συναληθεύειν, οἷον, οὐ πᾶς ἄνθρωπος λευκός, ἔστι τις ἄνθρωπος λευκός. id eſt, At his contrariis interdum ſimul in eodem veræ dici poſſunt, vt, Nõ omnis homo albus eſt, Aliquis homo albus eſt. Quartum genus eſt earum quas ſubalternas

vocant, de quibus Ariſtoteles nullam fecit mentionem, nec vero inter ſe opponuntur vllo modo: quum pręſertim vna alteri conſequatur. Itaq; falſo & improbe oppoſitæ nominatæ ſunt. Atq; vt hæc intelligi poſſent, deſcribendas omnes putaui.

Contrariæ ſeu aduerſæ.

Omnis homo eſt animal | Nullus homo eſt animal.




Aliquis homo eſt animal | Non omnis homo eſt animal.

Subcontrariæ, ſeu contrariæ aduerſis.

In inſtantibus igitur & præteritis ἐπὶ μὲν οὖν τῶν ὄντων καὶ γινομένων. Cicero in libro de Fato magna ex parte hunc locũ Ariſtotelis, quo de futuris diſſerit, mutuatus eſt: qui locus ſanè lubricus, cum ita à cæteris expoſitus ſit, vt obſcuritatis illi particulam nullam ademerint ſed auxerint potius, à nobis certe adiutore Cicerone, ita illuſtratus eſt, vt ab omnibus iam facile intelligi poſsit. Locos quoſdam, quos quidem ille mutuatus ſit indicabo. Illud ἐπὶ τῶν ὄντων, dixi in inſtantibus, quoniam ille τὰ ὄντα in eo libro vocat inſtantia, vt Ariſto. τὰ ὄντα pro ἐνεστῶτα dixiſſe videatur. Hoc enim loco de tribus temporibus quę enunciationibus ſignificantur loquitur Ariſtoteles, quę τὰ ὄντα καὶ τὰ γινόμενα, καὶ τὰ ἐσόμενα vocat, aut de rebus potius quæ illis tribus differẽtiis tẽporis declarãtur: Cicero eodẽ modo appellat inſtãtia, pręterita, & futura, neutro genere, pro quibus Dialecticorum vulgus dicit enũciationes de præſenti, præterito, & futuro. Atq; vt hæc Ciceronis vocabula probentur, hęc exemplis illuſtranda cenſui. Hęc tria, ne ſim longior, vno loco plana faciam. Poteſt igitur quicquã factũ eſſe, quod non fuerit verũ futurũ eſſe. Nam vt pręterita ea vera dicimus, quorũ ſuperiore tempore vera fuerunt inſtantia: ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus. Hęc ille. Ex quibus perſpicuum eſt, pręterita, inſtantia & futura pro enunciationibus ex præterito, præſenti & futuro dicta eſſe à M. T. Cicerone: & inſtantia pro eo quod vulgus dialecticorum dicit, propoſitiones de ineſſe. Nam & propoſitionem quam de futuro vocant, veram dicunt eſſe, quę habebit vnam de ineſſe veram, id eſt, vnam de pręſenti, vt dicant: & de pręterito eam quę habuit vnam de ineſſe veram. Has igitur ineptias & portenta verborum effugiamus, dicamúſq; pro illo priore pręterita vera ſunt quorum ſuperiore tempore fuerunt vera inſtantia. & pro poſteriore, futura ſunt vera ea, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia. Quòd ſi hęc magis ad res ipſas quàm ad verba & enunciationes pertinere videbuntur, dicamus licebit hoc modo, Enunciatio ex pręterito, Enunciatio ex inſtanti, Enunciatio ex futuro tempore, quemadmodum Cicero dicit eodem lib. Diſiunctio & coniunctio ex repugnantibus. Hoc etiã modo dicamus licet, Enunciatio quę de re futura aliquid dicit, quę de eo quod poſsit fieri aut non poſsit, quę de re pręterita. Sic enim Cicero principio lib. de Fato loquitur. Sed de his etiam infra diſſeremus.



Ita neceſſe eſt ex omni ęternitate vel affirmationem vel negationem veram fuiſſe vel falſam, ὥστε ἀνάγκη ἀεὶ τὴν κατάφασιν, ἢ ἀπόφασιν, ἀληθῆ εἶναι ἢ ψευδῆ) Cum ſępe apud Ciceronem ex ęternitate & ex omni ęternitate verũ aliquid & falſum legerẽ in libro de Fato, magnopere cupiebam ſcire quod Gręcum illi generi reſponderet. Hoc ergo coniungendis gręcis cum latinis aſſecutus ſum, ob eámq; cauſam cęteris decreui tradere. Illud quidem ἀεὶ cum agitur de pręteritis, animaduerti eum dicere, ex ęternitate, & ex omni ęternitate. Semper in hoc genere ſemel tantummodo dixit, in libro de Fato: Ratio igitur euentus aperit cauſam, ſed ex ęternitate vera fuit hęc enunciatio, Relinquetur in inſula Philoctetes. Sępius hoc poſitum eſt: Semel, ſemper, pro eodem. Eodem libro, Ita & ſemper verum fuit, morietur Epicurus, cum duos & ſeptuaginta annos vixerit Archonte Pytharato, &c. Semel etiã dicit pro eodem, omnibus ante ſeculis, eodẽ libro, Ex his igitur neceſſe eſt, inuito Epicuro alterum verum eſſe, alterum falſum: Ariſtotelis locum his verbis tranſtulit. Sic eſt enim paulo infra apud eum, τούτων γὰρ ἀνάγκη μὲν θάτερον μόριον ἀληθὲς εἶναι, ἢ ψεῦδος. Quod autem dixit, verum fuit ſemper, & ex ęternitate, & omnibus ante ſeculis, Ariſtote. hoc loco dicit, ἀεὶ ἀληθὲς ἦν λέγειν, ἢ εἰπεῖν, καὶ τὸ γινόμενον ἀληθὲς ἦν εἰπεῖν ἀεὶ ὅτι ἔσται. Ibidem, ὥστε ἀεὶ ἀληθὲς ἦν εἰπεῖν, ὁτιοῦν τῶν γινομένων ὅτι ἔστιν ἢ ἔσται. Ita loquitur ſępe. Semel dixit ἐν ἅπαντι χρόνῳ, quod valet, omnibus autem ſeculis, vel ex omni ęternitate, ὥστε εἰ ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ οὕτως εἶχεν, ὥστε τὸ ἕτερον ἀληθεύεσθαι, ἀναγκαῖον ἦν τοῦτο γενέσθαι. Sed ex his quid ferat latinus ſermo, quid reſpuat intelligi poteſt. Nam nunquam in his verbum εἰπεῖν exprimit Cicero. Dicit enim, verum fuit ſemper, Morietur Epicurus. non verum fuit dicere, quod vulgus dicit Dialecticorũ. Quòd ſi verbum dicendi vſurpet, aduerbium, vere dicere ſolet non nomẽ, non quidem cum verbo eſt, ſed cum ſolum verbum dico adhibet. In eodem libro, Omninóque cum hęc ſit diſtinctio, vt quibuſdam in rebus vere dici poſsit, cum hę cauſę antegreſſę ſint, non eſſe in noſtra poteſtate, quin illa eueniant, &c.

Nihil igitur euenit, neq; fit forte temere, caſu: nihil in alterutram partẽ aut cadet aut non cadet, ſed ex neceſsitate omnia fiunt quęcunque fiunt, οὐδὲν ἄρα οὔτε ἔστιν, οὔτε γίνεται, οὔτε ἀπὸ τύχης, οὔθ᾽ ὁπότερ᾽ ἔτυχεν, οὐδὲ ἔσται ἢ οὐκ ἔσται, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης ἅπαντα) ἀπὸ τύχης γίνεσθαι, fieri fortè temere caſu dicit Cicero, in lib. de Fato, Quęro igitur, atq; hoc late patebit, ſi fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis eſſet, & forte, temere, caſu, aut pleraque fierent aut omnia, num aliter ac nunc eueniunt, euenirent? ἐξ ἀνάγκης γίνεσθαι ἅπαντα dicit, ex neceſsitate omnia fieri. Hinc Democritus author atomorum accipere maluit ex neceſsitate omnia fieri, quàm à corporibus indiuiduis naturales motus auellere, ὁπότερον dicam alterutrum non vtrumlibet vt cęteri. Cicero eodem libro, Vt enim Epicurus veretur, ne ſi hoc conceſſerit, concedendum ſit omnia fato fieri quęcunque fiant: ſi enim alterutrum ex ęternitate verum ſit, eſſe id etiam certum, & ſi certum, etiam neceſſarium, ita & neceſsitatem & fatum confirmari putat: Sic Chryſippus metuit, &c. In quarto Academicarum, Si enim, inquit, alterutrum conceſſero neceſſarium

rium eſſe, neceſſe erit cras Hermachũ viuere, aut non viuere. Simile quiddam hoc loco dicit Ariſtoteles, εἰ δὲ μήτε ἔσαι μήτε μὴ ἔσαι εἰς αὔριον, οὐκ ἂν εἴη τὸ ὁπότερον ἔτυχεν, οἷον ναυμαχίαν. hoc dico alterutram in partem cadere & euenire, non in vtramlibet. Neque enim prælium nauale cadit in vtramlibet partem, quoniam fortuna in bello dominatur, non volũtas: & in alterutram, id eſt, in hanc vel illam partem inclinare ſolet. In quo imitatus ſum illud Ciceronis ex primo de officiis, Quanquam hoc animi, illud etiam ingenij magni eſt, pręcipere cogitatione futura, & diu ante conſtituere, quid accidere poſsit in vtranq; partem. ὁπότερον idem efficit pleriſq; locis. Quod verbum ita in Categoriis expoſui. Abuſi ſunt ergo proprietate verbi cęteri. Illud autem intelligendum eſt, nobis non licere idẽ quod Gręcis, qui εἶναι ἀπὸ τύχης dicunt, in quo illud εἶναι eſſe non poſſumus apte dicere, ſed cadere, vel euenire, vel fieri. Dicimus enim fiunt caſu pleraque & forte & temere: non ſunt pleraque caſu.

Pręterea ſi quid album ſit hoc tempore, ſuperiore tempore fuit verum, album id futurum eſſe. Ita ex ęternitate fuit verum, quicquid fit, id aut eſſe iam, aut futurum eſſe. ἔτι δὲ εἰ ἔστι λευκὸν νῦν, &c.) Paulò antè dixi de illo genere ἀληθὲς ἦν εἰπεῖν ἀεὶ, πρότερον expono ſuperiore tempore vt Cicero, nam vt pręterita ea vera dicimus, quorum ſuperiore tempore vera fuerunt inſtantia &c. ὕστερον etiam eodem modo dicamus licebit, conſequenti tempore, vt idem Cicero, Sic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus. Illud autem ὅτι ἦν τῶν γινομένων, &c. Cicero conuertit in eo quem ſępe nominaui libro, hoc modo: Qui locus attingit hanc quęſtionem, nihil fieri quod non neceſſe fuerit: & quicquid fieri poſsit, id aut eſſe iam, aut futurum eſſe.

Quicquid igitur futurum eſt, id fieri neceſſe eſt, ἅπαντα ἄν τὰ ἐσόμενα ἀναγκαῖον γίνεσθαι) Iiſdem verbis id conuerti quibus Cicero. Loquens enim de Diodori ſententia, Ille enim, inquit, id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit verũ, aut verũ futurũ ſit, & quicquid futurũ ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe.

Atque hęc ſunt incommoda & alia eiuſdem generis, quę ſuſcipere cogimur, &c. τὰ μὲν δὴ συμβαίνοντα ἄτοπα ταῦτα, καὶ τοιαῦτα ἕτερα) τὰ ἄτοπα inconuenientia, & ἄτοπον inconueniens, dialecticorum vulgus appellat: Cicero incommodum & incommoda, & abſurdum & abſurda. In ſecundo de Inuentione refellens ſententiam Hermagorę de generibus cauſarum: Atq; hoc, inquit, incommodo vrgebitur, ſiue conſtitutionem primam cauſę accuſatoris confirmationem dixerit, ſiue defenſoris primam deprecationem. Nam eum eadem omnia incommoda ſequentur. Dicere mihi videtur, vrgeri incommodo, quod vulgus Dialecticorũ duci ad impoſsibile & inconueniens. συμβαίνειν ἄτοπα dixit ſequi incommoda, quoniam συμβαίνειν in argumentationibus tractandis valet ſequi, effici, concludi, vt alio loco oſtendi.

Eadémque ratione omnis è vita tolletur actio & deliberatio, ὥστε οὔτε βουλεύεσθαι δέοι ἄν, οὔτε πραγματεύεσθαι.) Eiſdem verbis Cicero in libro de Fato, Recte genus hoc interrogationis ignauum atq; iners nominatum eſt, quòd eadem ratione omnis è vita tolletur actio. Paulo ſuprà, Nec nos impediet illa ignaua ratio quę dicitur. Appellatur enim quidam à philoſophis ἀργὸς λόγος, cui ſi pareamus, nihil omnino agamus in vita. Hoc poſteriore magis ad verbum illud expreſsit οὐδὲν δέοι ἂν πραγματεύεσθαι.

Perſpicuum eſt enim, rerum eam vim eſſe & naturam, δῆλον γὰρ ὅτι οὕτως ἔχει τὰ πράγματα. Paulò infra, ὥστε εἰ ἐν ἅπαντι τῷ χρόνῳ οὕτως εἶχεν ὥστε τὸ ἕτερον ἀληθεύεσθαι, ἀναγκαῖον ἦν τοῦτο γίνεσθαι, id eſt, ita ſi omnibus ante ſeculis res eã naturam



naturam in ſe ipſę continent, vt alterum vere diceretur, certe id fieri fuit neceſſe. Cice. enim his duobus modis illud οὕτως εἶχεν, conuertit in libro de Fato: Rurſus autem ne omnes à Phyſicis irrideamur, ſi dicamus fieri quicquam ſine cauſa, diſtinguendum eſt, & ita dicendum, ipſius indiuidui hanc eſſe naturam, vt pondere & grauitate moueatur: eámq; ipſam eſſe cauſam cur ita feratur. Paulò infrà, Motus enim voluntarius eam naturam in ſe continet, vt ſit in noſtra poteſtate, nobíſq; pareat.

Nihil enim prohibet, hunc dicere aliquid fore etiam ad decem millia annorum, illum vero idem negare futurum, οὐδὲν γὰρ κωλύει καὶ εἰς μυριοστὸν ἔτος τὸν μὲν φάναι τοῦτο ἔσεσθαι, τὸν δὲ μὴ φάναι) εἰς μυριοστὸν ἔτος, Cicero conuertit ad decem millia annorum in 1. Tuſculanarum. Cur igitur & Camillus doleret ſi hęc poſt trecentos & quinquaginta ferè annos euentura putaret? & ego doleam ſi ad decem millia annorum gentem aliquam vrbe noſtra potituram putem? Hunc locum attigit bis Cicero in libro de Fato, ſed ſignificationem futuri ad pręteritum retulit. An hoc falſum potuiſſet eſſe, ſi eſſet ſexcentis ſeculis antea dictum? Secunda ferè pagina: Tu etiam quę non ſunt futura, fieri poſſe dicis, vt frangi gemmam hanc, etiam ſi id nunquam futurum ſit: neq; neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corinthi, quanquam id milleſimo ante anno Apollinis oraculo editum eſſet. Prius membrũ huius circuitus & ambitus mutuatus eſt etiam ab Ariſtotele paulo infra, niſi quòd gemmam dixit pro veſte, καὶ ὅτι ὅλως ἐστὶν ἐν τοῖς μὴ ἀεὶ ἐνεργοῦσι, τὸ δυνατὸν εἶναι, καὶ μὴ εἶναι ὁμοίως, ἐν οἷς ἄμφω ἐνδέχεται καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι, ὥστε καὶ τὸ γενέσθαι καὶ μὴ γενέσθαι, καὶ πολλὰ ἡμῖν δῆλα ἐστὶν οὕτως ἔχοντα, οἷον ὅτι τουτὶ τὸ ἱμάτιον δυνατόν ἐστι διατμηθῆναι, καὶ οὐ διατμηθήσεται.

Hęc habui quę dicerẽ de futuris, quę & euenire & non euenire poſſunt, quę contingentia dicuntur à Dialecticis. Nam multa pręterea afferre poſſum, quę ab Ariſtotele mutuatus eſt Cicero, quoniam nullum eſt ferè verbum quod nõ ſit imitatus, ſed hæc mihi ſatis multa viſa ſunt, ne de ingeniis multorum viderer diffidere, qui his noſtris adducti, coniungendis noſtris cum Ciceronianis facile imitationem perſpicere poſsint. Quapropter ad alia veniamus.

### DE ENVNCIATIONIBVS MODORVM.

His autem expoſitis, nunc quemadmodum inter ſe affectę ſint enunciationes, quę de eo aliquid dicunt, quod poſsit fieri aut non poſsit: déque eo quod euenit, aut non euenit: de eo deniq;, quod neceſſarium ſit, diſſeramus. Quã enim vim habeant magna quęſtio eſt, τούτων δὲ διωρισμένων, σκεπτέον ὅπως ἔχουσιν αἱ ἀποφάσεις καὶ καταφάσεις πρὸς ἀλλήλας, αἱ τοῦ δυνατὸν εἶναι, καὶ μὴ δυνατὸν, καὶ ἐνδεχόμενον καὶ περὶ τοῦ ἀδυνάτου τε καὶ ἀναγκαίου. ἔχει γὰρ ἀπορίας τινάς.) Cicero hunc totum locum disertè interpretatus eſt principio lib. de Fato, Quia pertinet ad mores quos ἤθη Græci vocant, nos eam partem philoſophiæ de moribus appellare ſolemus: ſed decet augentem linguam latinam nominare moralem. explicanda vis eſt ratióq; enunciationum, quas Græci ἀξιώματα vocant, quæ de re futura cùm aliquid dicunt, déque eo quod poſſit fieri, aut non poſsit, quam vim habeant obſcura quæſtio eſt. Atque hæc ille. Ego autem non totam orationem eius ſum imitatus. Ille enim in vnam orationem duas Ariſtotelis concluſit, ego numerum etiam ſecutus ſum, ὅπως ἔχουσι dixit, quemadmodũ affectæ ſunt: Ille autem diſerte dixit, vis ratióque enunciationum explicanda eſt, quaſi non σκεπτέον ſed διοριστέον. Obſeruare ergo debemus illud genus interpretandi, vis & ratio, pro illo quod ſæpe occurrit ὅπως ἢ πῶς ἔχει. Sic paulo ſupra docui, οὕτως ἔχει τὰ πράγματα à Cicerone expoſi

exponi,ea vis eſt rerum, & eam vim res continent. Hoc autem ex loco intelligi licet Ciceroné enunciationes quæ de re futura aliquid dicunt,déque eo quod poteſt fieri,aut non poteſt appellare eas,quas dialectici propoſitiones de futuro,& de poſsibili & non poſsibili & impoſsibili omnino nominant. Iam ergo hæc portenta verborum repudiemus , próque iis Ciceronis verba adhibeamus.Sed neſcio quis contra, quem quidem breuitas delectet, hæc prolixiora & longiora damnabit. Quaſi vero quo breuior eſt oratio, eo ſemper ſit & aptior & ornatior.Ego non breuitate ſemper,ſed conſuetudine doctorum orationis ornatum & ſplendorem ponderandum iudico. Neque enim ſi breuis aut longa ſit, ilico latina eſt oratio. Quæ ergo breuis ex eo genere ſit,quæ longa,in eo doctorum iudicium requirédum eſt.Quòd ſi iſti ſuo iudicio doctiſsimi ſunt, vt ne Ciceronis quidem tantum apud eos, quantum ſua ipſorum valeat authoritas,non ſunt illi quidem audiendi.Neque enim ad eorum ſenſum , latine & apte dicendi ratio accommodanda eſt.Dicamus ergo enũciationes non de futuro,neque de poſsibili,& impoſſibili:neque de neceſſario: ſed quæ de re futura, quæ de eo quod poteſt fieri aut non poteſt,quę de eo quod neceſſarium eſt,aliquid dicunt & enunciant. Quod idem de cæteris iudicandum eſt.Ad hanc etiam regulam dirigendæ ſunt eæ quæ ſingulares & vniuerſales nominantur. Aptius enim dicentur, enunciationes quæ de rebus ſingulis & vniuerſis omnino dicunt & enunciant,quàm etiam ſingulæ & vniuerſæ,quoniam hæc vocabula aliam quãdam habent ſententiam & intelligentiam:quanquam hæc potius quàm ſuperiora,& vſurpo,& vſurpanda cenſeo.δυνατὸν ergo,quod fieri poteſt dicẽdum eſt, non poſsibile. Id enim neque Cicero dicit vnquam , nec ipſe. Impoſsibile quidem interdum hoc loco dixi,ſed neceſſario. aliter enim genera omnia enunciationum oppoſitarum,quæ hoc loco ab Ariſtotele traduntur,non licuit exponere.Nam ἀδύνατον ab Ariſtotele pro affirmatione dicatur.ſi id dixiſſent,quod fieri non poteſt,negationem adhibuiſſem. Ita ἀδύνατον & μὴ δυνατὸν pro eodem dixiſſem. Atqui μὴ δυνατὸν negatio eſt huius, δυνατόν : & μὴ ἀδύνατον huius , ἀδύνατον. Cum igitur ex his quatuor efficiat enunciationes repugnantes,neceſſario mihi fuit dicendum ἀδύνατον, quod impoſsibile eſt fieri, & μὴ δυνατὸν , quod non impoſsibile eſt fieri : δυνατὸν quod fieri,& μὴ δυνατὸν,quod non poteſt fieri. Quanquam autem ſatis erat dictum,quod fieri poteſt,quod non poteſt fieri,interdum tamen ſic expono, quod fieri poteſt vt ſit,quod fieri non poteſt vt ſit:idque feci,quod Ariſtoteles adhibet εἶναι, δυνατὸν εἶναι, itémque in cæteris ἐνδέχεσθαι in aliis libris omnibus idem quod poſſe efficit , nec aliter verti debet : ſed hoc loco tum euenire,tum accidere,& contingere exponendum eſt neceſſario. Nam aliter genera enunciationum aliqua prætermitteremus.

Vt ignis vim habet ille quidem caloris οἷον τὸ πῦρ θερμαντικόν.) Alij, calefactiuus eſt.. Quomodo hæc in ικὸν nomina ex Cicerone conuerti oporteat, alio loco docui.

Quæ igitur facultates ratione ad agendum impellantur , αἱ μὲν οὖν μετὰ λόγου δυνάμεις.)Scio apud Ciceronem facultatis verbum in plurali non reperiri,ſed ab eo diſcedẽdum eſt interdum neceſſario. Cornelius quidem Celſus ſæpe vtitur , μετὰ λόγου δυνάμεις, quæ ratione ad agendum impelluntur, mouentur,& ducuntur,quaſi dixerit,λογικοὶ.quoniam contrarias vocat ἀλόγους,id eſt,quæ non ducuntur ratione ad agendum.Sic enim Cicero multitudinem dicit ratione non duci ad agendum. Expertes enim rationis voco ἀλόγους. De his facultatibus Ariſto.θ.τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Et quoniam hic locus



tus difficilis eſt,eóque in libro eiuſmodi poſita ſunt,quæ cum illuſtrare poſſint,non erit alienũ proferre. καὶ αἱ μὲν μετὰ λόγου πᾶσαι τῶν ἐναντίων αἱ αὐταί. αἱ δ' ἄλογοι,μία ἑνός. οἷον τὸ θερμὸν τοῦ θερμαίνειν μόνον, ἡ δὲ ἰατρικὴ, νόσου καὶ ὑγιείας. Affert deinceps cauſam, cur facultates eæ, quæ rationis ſunt participes , in contrariis cernantur. αἴτιον δὲ, ὅτι λόγος ἐστὶν ἡ ἐπιστήμη. ὁ δὲ λόγος ὁ αὐτὸς δηλοῖ τὸ πρᾶγμα,καὶ τὴν στέρησιν,πλὴν οὐχ ὡσαύτως καὶ ἔστιν ὡς ἀμφοῖν.ἔστι δὲ ὡς τοῦ ὑπάρχοντος μᾶλλον, ὥστ' ἀνάγκη καὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστήμας εἶναι μὲν τῶν ἐναντίων,εἶναι δὲ τοῦ μὲν καθ' αὑτάς, τοῦ δὲ μὴ καθ' αὑτάς. καὶ γὰρ ὁ λόγος τοῦ μὲν καθ' αὑτὸ , τὸ δὲ τρόπον τινὰ κατὰ συμβεβηκὸς , ἀποφάσει γὰρ καὶ ἀποφορᾷ δηλοῖ τὸ ἐναντίον. ἡ γὰρ στέρησις ἡ πρώτη,τὸ ἐναντίον.αὕτη δὲ ἀποφορᾷ θατέρου,id eſt, Ac rationis quidem participes facultates in rebus contrariis eædem cernuntur : earum autem quæ rationis expertes ſunt , vna in vna re contraria verſatur. veluti quod vim habet caloris, calefacit tantummodo, medicina verò in morbis & valetudine cernitur. Id cauſæ eſt quòd ſcientia & ars ratio eſt , ratióque eadem & rem declarat & rei priuationem,etſi non eodem modo,in quorum vtroque ſpectatur, ſed in re potius. Ita fit vt artes eiuſmodi in rebus contrariis cernantur neceſſario ita tamen vt in vna,ſua vi & per ſe,in altera non vi ſua, cum præſertim illud ſit per ſe propoſitum rationi, hoc quodam modo caſu, propterea quòd contrarium in negatione & amotione declarat. Nam contrariorum prima negatio eſt,& ſine alterius detractione declaratur.Hic ergo locus eum quem tractamus explanat, & exemplo, & cauſa expoſita, & longa adhibita oratione probat, & cum ait, medicinam in valetudine morbíſque verſari, intelligamus id quod ait hoc loco, facultates in cõtrariis rebus cerni:& cum eius cauſam affert, tum demũ ſcire & intelligere rem incipimus. & longa oratio docet, quemadmodũ facultas omnis rationis particeps, etſi in duabus rebus cõtrariis verſantur,in vna tũ vi ſua & per ſe, in altera caſu.

Et vno nomine poſſe eſſe,quod iã in actu ipſo ſit,id quod poſsit eſſe, dicitur,καὶ ὅλως δυνατὸν εἶναι ὅτι ἤδη ἐστὶ κατὰ ἐνέργειαν,καὶ λέγεται εἶναι δυνατὸν)ὅλως hoc loco dico vno nomine. Quod verbum in lib.de morib. eo modo aliquoties expoſui. Et quia id nouum eſt, nec in libro de optimo genere interpretandi venit in mentem tradere,hic commodè tradi poteſt.Locus eſt talis quidam in 1.de morib.cap.7.Quoniam auté plures fines ſunt, alióſque propter alios expetimus,vt diuitias,vt tibias,& vno nomine inſtrumenta, perſpicuum eſt non eſſe perfecta omnia.Cicero ſic expoſuit in 1.Academicarum. Errorem autem & temeritatem & ignorantiam & opinationem & ſuſpitionem , & vno nomine omnia quę eſſent aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis,à virtute ſapientiáque remouebat.In 2.de finib.hoc dicit vno verbo, Iam ſi modeſtia,ſi pudicitia,ſi vno verbo temperantia pœnæ aut infamiæ metu coercebuntur,non ſanctitate ſua ſe tuebuntur:quod adulterium,&c. Quanquam autem id Plato dicit in libro de Repub.verbum è verbo,ἑνὶ λόγῳ,tamen facilè apparet ὅλως ab Ariſtotele pro eodem dictum eſſe.

## EIVSDEM OBSERVATIONES IN PRIORA ANALYTICA.

**V**Tinam Ciceroni maius otiũ fuiſſet quàm fuiſſe videmus,vt diſſerendi partem alteram, quæ in iudicando poſita eſt tractandis ac diſponendis argumentis ipſe vt cogitarat , perſequi tractaréque potuiſſet.Nam & his Ariſtotelis libris,qui obſcuriſsimi ſunt, magnam lucem attuliſſet,& nos eius imitatione eos aliqua ex parte illuſtraſſemus

mus, multóſque locos nunc quos tranſtuliſſet quemadmodum in Topicis feci, proferre poſſem. Nunc cum id quod cogitabat, vel quia otium ei defuit, vel aliæ occupationes illud eius conſilium non retardarunt, ſed omnino impediuerunt, non effecit: nec propriis ego locis quos conuerterit, in his transferendis libris adiuuari potui, ſed nonnullis tantũ verbis, quæ ſparſim apud eum obſeruaui, nec locos niſi perpaucos in his obſeruationibus oſtendere. Itaque libẽter hoc loco ſiue animaduerſiones, ſiue obſeruationes omiſiſſem, niſi & iam cæteris in libris quos adhuc tranſtuli, hoc officium præſtitiſſem, & quædam, imò verò multa aliter ac reliqui interpretes tranſtuliſſem, quorum à nobis rationem plerique poſtulare potuiſſent. His igitur ego cauſis vt magnis grauibúſque adductus, aliqua mihi notanda cenſui, quæ bonis ac doctis probatum iri, ſtudioſis Dialecticæ non inutilia fore confido. Quare aggrediamur ad noſtrum inſtitutum.

Primum dicendum eſt qua in re verſetur, quáque de re ſit ea quã inſtituimus diſputatio. Eam ſcilicet & in demonſtratione verſari, & artis demonſtrandi, aliquídque neceſſaria ratione concludendi præcepta tradere. πρῶτον εἰπεῖν περὶ τί καὶ τίνος ἡ σκέψις ἐστιν, ὅτι περὶ ἀπόδειξιν, καὶ ἐπιστήμης ἀποδεικτικῆς.) Alio loco docui σκέψιν in tali re vel diſputationem dici oportere vel tractationem, non conſyderationem vt alij tranſtulerunt. ἀπόδειξιν demonſtrationem interdum dico, interdum rationẽ neceſſariam. Nam illud prius vt tritum retinui, quod apud Latinos ſemper latius patet (demonſtrare enim & monſtrare apud Ciceronem non plus efficit, quàm docere ac probare) poſterius autem à Cicerone arripui.

Ἐπιστήμη ἀποδεικτικὴ hoc loco fortaſſe dicitur demonſtrationis concluſio, id eſt tertia pars ratiocinationis quæ ad demonſtrandum & cogendum valet. Sic enim interpretor ſæpe συλλογισμὸν ἀποδεικτικὸν, id eſt ratiocinationem quæ ad demonſtrãdum valet, vt paulò infrà πρότασιν ἀποδεικτικὴν propoſitionem quæ valet ad demonſtrandum. Demonſtratiuus enim & cætera ferè eiuſdem generis, reſpuo. Alio autẽ modo ἐπιστήμη ἀποδεικτικὴ dici debet, cum ἐπιστήμη idem valet quod ars, & cum tertia demonſtrationis pars intelligitur. Cum enim ars intelligitur ἀποδεικτικὴ ἐπιστήμη ἢ τέχνη, ars ſiue ſcientia demonſtrãdi dici debet, vt ῥητορικὴ ars dicendi, διαλεκτικὴ & λογικὴ ars diſſerendi, quod verbum apud Ciceronem duobus modis intelligitur. Nam & ad vniuerſam λογικὴν refertur, & ad eam partem quæ eſt in iudicido: quorum poſterius Stoicorum eſt qui poſteriorem partem διαλεκτικὴν, vt Cicero in Topicis, & lib. 4. de Finib. docet, vocabant. Quoniam autem non eſt dubium quin verbum diſſerendi ad totam Dialecticã pertineat, alterius tantum exemplum ponam. Cice. in 4. de Finib. Cùmque (inquit) duæ ſint artes quibus perfecte ratio & oratio compleatur: vna inueniendi, altera diſſerendi: hãc poſteriorem & Stoici & Peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt, hi *omnino ne* attigerunt quidẽ. Sed ad inſtitutum reuertamur. Ἐπιστήμη ergo ἀποδεικτικὴ ita vno modo dicitur. Quod etiã de Græcis artibus quæ in κος exeunt, iudicandum eſt eodẽ modo. Cum autem ἐπιστήμη ἀποδεικτικὴ pars tertia demonſtrationis intelligitur, non poteſt ſuperiore modo dici (neque enim demonſtrat ſed demonſtratur concluſio) ſed ſcientia demonſtratione confecta aut conſtans. Ita interdum verba in κος patiendi verbo transferenda ſunt.

Tum exponendum eſt quid ſit propoſitio, quid verbum. εἶτα διορίσαι τί ἐστι πρότασις καὶ τί ὅρος) Non fuit animus ὅρον terminum dicere, vt cæteri omnes dixerunt. Hoc enim vocabulum retentum magnam in philoſophiam barbariem





bariem inuexit. Quæ enim in propoſitione ſunt, nunquã vocabula aut verba dicuntur in ſcholis, ſed termini. Repudiemus igitur hoc verbum iam vt barbarum, pro eóque nunc verbum, nunc vocabulum, interdúmque nomẽ dicamus. Hoc his in libris feci ſemper. Eodem modo coniuncte dico πρῶτον ὅρον, primum verbum & vocabulum. τὸν δὲ ἔσχατον, modo poſtremum, modo vltimum, aliâs extremum.

Hęc aut generalis eſt, aut ſpecialis, aut indefinita, αὕτη δὲ ἢ καθόλου ἢ ἐν μέρει, ἢ ἀδιόριστος.) Hæc pronomen non ad propoſitionem, id eſt πρότασιν pertinere αὕτη pronomen Græcum indicat, quod ad λόγος pertinet, λόγον autem ſiue πρότασιν τὴν καθόλου hoc loco generalem dico, alio eam quæ ad vniuerſum genus accommodatur. Malim enim ego generalem aut certe vniuerſam quàm vniuerſalem dicere. Itémque τὴν ἐν μέρει, ἢ κατὰ μέρος ſpecialem dico interdum, *nonnunquam* eam quæ ad partem accommodatur, nunquã particularem. *Sic* generale decorum Cice. vocat, & quæſtionem quæ ad totum genus *accommodatur*, & quæ ad partem. id quod aliis locis docui.

*Et de toto* genere dici, λέγω δὲ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι.) Hæc quidem dicendi genera, De omni dici & de nullo dici, adeo obſcura ſunt, vt & multæ *paginæ* à multis in iis explicandis ſcriptę ſint, & quendam eruditum hominem *qui logicam* Ariſtotelis conuertendam ſuſceperat, cum ad hęc genera ventum eſſet, à ſuſcepto propoſitóque conſilio reuocauerint. Adiuncto autẽ verbo vno vt ita dicamus, Dici de toto aut vniuerſo genere, aut dici de nulla totius, aut generis parte, has obſcuritates tenebráſque vitabimus. Dici enim aliquid de vniuerſo aut toto genere, perinde eſt, vt ſi dicas, exempli cauſa, Omnis homo eſt animal: in qua propoſitione, animalis verbum de toto hominum genere dicitur. Dici etiã de nulla ſpecie generis, aut de nulla parte totius, eſt vt ſi dicas, Nullus lapis eſt animal. hoc enim ſignificas & enuntias, non ſolum nulli generi lapidum, ſed nulli lapidum ſingulorum animalis verbum conuenire.

IN SECVNDVM CAP.

Earum autem quæ ſpeciales ſunt, ad partémque accommodantur, aiens ex parte neceſſario conuertitur, τῶν δὲ ἐν μέρει, τὴν μὲν καταφατικὴν ἀντιστρέφειν ἀνάγκη κατὰ μέρος) Καταφατικὴν appello aientem, & ἀποφατικὴν negantẽ propoſitionem vno verbo: pluribus, eam quæ ait & dicit, & eam quæ negat. Iiſdémque verbis dico κατηγορικὴν & στερητικήν. Nam prædicatiuam & priuatiuam affirmatiuam & negatiuam reſpuo. *Sic enim* Cicero loquitur vt alio loco docui, cum de verbis in κος exeuntibus dicerem. Ἀντιστρέφειν modo reciprocari, modo conuerti, modo retrouiciſsim commeare dico. Tot enim modis hoc verbum Cicero exponit. ἀντιστρέφειν κατὰ μέρος conuerti, reciprocari ex parte. Καθόλου, in totum omnino & vniuerſe, nunquam vniuerſaliter, quemadmodum nec ſuperius ſecundum partem.

IN CAP. V.

Cum autem idem verbum vnius omni, alterius nulli parti conuenit, aut vtriuſque omni aut nulli parti, hanc talem voco ſecundam formam collocationis. ὅταν δὲ τὸ αὐτὸ τῷ μὲν παντὶ, τῷ δὲ μηδενὶ ὑπάρχῃ, ἢ ἑκατέρῳ παντὶ, ἢ μηδενὶ, τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον καλῶ δεύτερον.) Quoniam Ariſtoteles his libris de diſpoſitione tractationéque argumentorum diſſerit, triáque eius genera tradit, σχῆμα dico explicandæ illuſtrandæque rei cauſa, formam & genus diſpoſitionis vel diſponendorum & tractandorum argumentorum. πρῶτον σχῆμα primam formam, primúmque genus ratiocinationis, collocationis, diſpoſitionis. Quod in cæteris etiam facio. Ariſtoteles quidẽ σχῆμα Geome-

trarum more ad delineationes accommodat quod Cicero ferè formam appellat, raro figuram. In 2. de Natu. deorum. Cúmq; duæ formæ præſtantes ſint, ex ſolidis globus &c. Μέσον etiam appellat, non quod medium locū ſemper obtineat ἐν τῇ θέσει, id eſt in collocatione (ſic enim θέσιν in formis interpretor, non vt cæteri, poſitionem aut ſitum) ſed quod faciat, vt primū verbum & poſtremum inter ſe in concluſione conſentiant. In prima quidem formas, primum, in ſecūda ſecundum, in extrema poſtremum locum tenet. Atq; hoc quidem Ariſtoteles dicit qui hæc, quemadmodum dictum eſt, ad formas figuráſque accommodat. Nos autem ſi verborum ordinem ſpectemus, id in prima & extrema primum, in media ſecundum locum occupare dicemus. In formarum autem modorúmq; cuiuſque generis explicatione, raro tres propoſitiones, ex quibus quæque ratiocinatio conſtat, duabus literis, vt Ariſtoteles ferè facit, exprimo, duáſq; eas ex quibus concluſio efficitur, alteram quæ ad maius extremum, alteram eam quę ad minus extremum pertinet, nunquam his multis verbis dico, ſed priorem ferè propoſitionem, alteram ſumptionem aut aſſumptionem nomino. Sic enim omnes multo facilius quæ dicuntur, intelligent. Quantum enim temporis in eo conſumi oportet, vt quæ literæ propoſitionem quæ ſumptionem ſignificent intelligamus?

IN CAP. VII.

Illud quoque perſpicuum eſt, omnes imperfectas ratiocinationes prima forma poſſe perfici. Aut enim directò docendo, aut incommodo vrgendo concluduntur omnes. φανερὸν δὲ καὶ ὅτι πάντες οἱ ἀτελεῖς συλλογισμοὶ τελειοῦνται διὰ τοῦ πρώτου σχήματος. ἢ γὰρ δεικτικῶς, ἢ διὰ τοῦ ἀδυνάτου περαίνονται ἅπαντες) δεικνύναι, oſtendere, monſtrare, demonſtrare & probare dicitur. Interdum autem ad vnum genus argumentorum refertur, quod recta fronte ad fidē ſpectat. Itaq; paulo pòſt Ariſtoteles de hoc genere argumentandi quod ſit, & de altero multa diſputat. Vocat enim prius id de quo agimus, δεικτικὸν συλλογισμόν. hinc δεικτικῶς. Alij quidem oſtenſiuum ſyllogiſmum appellāt, & δεικτικῶς oſtenſiue, nec ſatis latine, nec verò ſatis intelligenter. Ego autē δεικτικὸν συλλογισμὸν ratiocinationem voco, quæ directò ad fidem ſpectat, quæ directò rem probat, quę ſtatim & recta fronte monſtrat. & illud δεικτικῶς directò. Cicero ferè hoc modo in Partitionibus, Argumentandi autē duo ſunt genera, quorum alterum ad fidem directò ſpectat, alterum ſe inflectit ad motum. Dirigitur cū propoſuit aliquid, quod probaret, ſumpſitq; ea quibus monſtretur, atq; his confirmatis ad propoſitum ſeſe retulit atq; concluſit.

Quoniam igitur omnes medię formę ratiocinationes ad primæ eas quę vniuerſi generis ſunt, reuocantur, ὥστε ἐπεὶ οἱ μὲν ἐν τῷ μέσῳ σχήματι συλλογισμοὶ πάντες ἀνάγονται εἰς τοὺς ἐν τῷ πρώτῳ καθόλου συλλογισμούς.) In tertio libro eorum quos de Dialectica ſcripſimus, demonſtratum eſt, ἀνάγεσθαι, quod ab aliis reduci diceretur, tum reuocari, tum redigi à Cicerone dici.

IN CAP. XXII.

OMnis quidem demonſtratio, omniſq; ratiocinatio, aut conuenire aliquid aut non conuenire doceat neceſſe eſt, idq; vel omnino & in totum, vel ex parte: præterea aut directò, aut ex conceſsione. Eius autem quę ex conceſsione progreditur, pars eſt quædam ea ratiocinatio quæ incommodo vrget aduerſarios. ἀνάγκη δὴ πᾶσαν ἀπόδειξιν καὶ πάντα συλλογισμὸν, ἢ ὑπάρχον τι, ἢ μὴ ὑπάρχον δεικνύναι. καὶ τοῦτο ἢ καθόλου ἢ κατὰ μέρος. ἔτι ἢ δεικτικῶς ἢ ἐξ ὑποθέσεως. τοῦ δ' ἐξ ὑποθέσεως μέρος ἐστὶ τὸ διὰ ἀδυνάτου.) Nonnulli falſo putant



tant hoc loco Ariſtotelem de ſyllogiſmis hypotheticis diſſerere iis quorū vna pluréſue propoſitiones ex pluribus ſimplicibus conſtant. Ratiocinationes autem ἐξ ὑποθέσεως, modo ex conceſsione, modo ex eo quod poſitum eſt, & conceſſum voco. Huic generi multæ partes ſubiiciuntur, vt ratiocinatio ea quæ διὰ τοῦ ἀδυνάτου aliquid docet. Hanc appello nunc ab incommodo, nunc ex eo quod fieri non poteſt, aliâs, qua incommodo vrgemus aduerſarios, aliâs qua ad incommodum aduerſarios compellimus. Ab impoſsibili à Quintiliano dicitur. Superiori etiam generi ſubeſt quædam ratiocinatio quæ ἐξ ὁμολογίας ab Ariſtotele hoc ipſo capite vocatur. ἐξ ὑποθέσεως autem omnes dicuntur, quia tractata iam argumentatione, aut non tractata aliquid conceditur & ponitur (multis enim locis docui ὑποθέσθαι quod alij non Latine dicunt ſupponere, dici ponere à Cicerone) ex eóque quod volumus efficimus. De quibus in Dialectica noſtra copioſe dictum eſt. Hoc autem genus à δεικτικῷ differt, quòd δεικτικὸν ſtatim ac directò ad fidem ſpectat id eſt tendit. Hoc autem non directò ſed ex eo quod iam datum eſt.

IN SECVNDI LIBRI CAP. I.

AC ex veris quidem falſum effici non poteſt, ex falſis autem verum effici poteſt. ἐξ ἀληθῶν μὲν οὖν οὐκ ἔστι ψεῦδος συλλογίσασθαι, ἐκ ψευδῶν δὲ ἔστιν ἀληθές.) Alio loco docui hoc ipſum à Cicerone contrà dici. Is enim in 2. de Diuinatione de ſententia Stoicorum ſcribit his verbis: Ex falſis enim vt ab ipſis didicimus, verum effici non poteſt. Ariſtoteles autem initio huius libri ſecunda ferè pagina, hoc ipſum copioſe docet ex falſis verum effici cōcludíque poſſe. Ac primum hoc modo: Omnis lapis eſt animal: Omnis homo lapis eſt: Omnis igitur homo eſt animal. Cætera qui volet legere, locū indicaui. Pauca his libris vt prædixi notabimus, quoniam in aliis qui ad Dialecticam pertinent, plurima notata ſunt, quæ inde aſſumi debent, ne eadem ſępe dicere cogamur. Triangulum ſemper neutro genere Ciceronē ſecuti diximus, qui in 2. de Diuinatione, triangula dicit loquens de Chaldæorum prædictionibus: Cum autem in eam ipſam partem orbis venere, in qua ſit ortus eius qui naſcatur, aut in eam quæ coniunctum aliquid habeat aut conſentiens, ea triangula illi & quadrata nominant.

IN CAP. V.

PRobare autem in orbem, & alia aliis viciſsim oſtendere, aliud nihil eſt niſi &c. τὸ δὲ κύκλῳ καὶ ἐξ ἀλλήλων δείκνυσθαί ἐστι, &c. τὸ κύκλῳ δείκνυσθαι eo dico modo quo κύκλῳ φέρεσθαι Cicero appellat in orbem verti, torqueri, ferri, incitari. In ſecundo de Natura deorum proferens Ariſtotelis de motu ſententiam: Quæ autem (inquit) natura mouerentur, hæc aut pondere deorſum, aut leuitate in ſublime ferri, quorum neutrum aſtris contingeret. propterea quòd eorum motus in orbem circúmq; ferretur. In Timæo dici in orbem incitari κύκλῳ στρέφεσθαι. Superioris loci exemplo, τὴν κύκλῳ δεῖξιν probationem qua in orbem aliqua docentur, recte dici poſſe arbitror, & κύκλῳ δείκνυσθαι in orbem probare & docere. Hoc etiam dico aliis verbis idem efficientibus. Nam circulo aut circulariter probare, omnino barbarum eſt. Illud autem alterum ἐξ ἀλλήλων δείκνυσθαι multo facilius eſt. Latine enim dici debet, alia aliis probare, vt quędam reciproca mutuáque probatio in his verbis intelligatur. Velut cum Cicero dicit eò natos nos eſſe, vt alij aliis proſimus. Quoniam autem hoc genus alio etiam modo intelligi poteſt, vt cum eleganter hoc idem verbum repetitur, ob eam cauſam viciſsim aduerbium adiunxi, Quoniámq; τὴν κύκλῳ δεῖξιν durum eſt ac mo-

leſtum,ſemper iis verbis,quæ paulo ſuprà commemoraui,exponere,interdum mutuam probationem appello,vt mutuum amoré: Nam κύκλῳ δείκνυσθαι & ἐξ ἀλλήλων idem efficiunt,vel ipſo Ariſtotele interprete.

IN CAP. XXIII.

QVoniam hoc loco de figuris diſſerit,quæ Græcis Latina paria ſint, dicam. εἰκὸς veriſimile dicit Cicero in Partitionibus. Quo enim loco de coniecturæ locis diſputat, ſcribit his verbis:In veriſimilibus & in propriis rerum notis poſita eſt tota:Sed appellemus docendi gratia veriſimile,quod plerunque ita fiat , vt adoleſcentiam procliuiorem eſſe ad libidinem.Propriæ autem notæ argumentum , quod nunquam aliter fit certúmque declarat, vt fumus ignem. In iis quæ in Topicis obſeruauimus & hæc verba protulimus,& ea Ariſtotelis ex primo de arte Rhetorica quę Cicero ſuperioribus conuerterit.Hoc etiam loco eadem ab Ariſtotele veriſimilis definitio traditur(Veriſimile enim eſt Grece εἰκὸς)ſed tamen multo eſt hic abſolutior.ὃ γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἴσασιν οὕτως γινόμενον, ἢ μὴ γινόμενον, ἢ ὂν, ἢ μὴ ὄν, τοῦτ' ἔστιν εἰκὸς,id eſt, Quod enim ſciunt plerunque ita fieri aut non fieri,aut eſſe aut non eſſe , id veriſimile dicitur. Verba omnia Ciceronis quibus veriſimile definit , in his Ariſtotelis continentur. Ita in hoc toto ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ illud ὡς redundat. Propriæ autem notæ argumentum vocat Cicero, quod eſt apud Ariſtotelem tum hoc locó tum in primo de arte Rhetorica τεκμήριον,id quod primus animaduertiſſe videor.

IN CAP. XXVIII.

NAturæ autem moréſque animantium ita denique pernoſci poſſunt, ſi quis det, animam vnà mutari cum corpore , τὸ δὲ φυσιογνωμονεῖν δυνατόν ἐστιν, εἴτις δίδωσιν ἅμα μεταβάλλειν τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ) φυσιογνωμονεῖν Cicero dicit mores naturáſq; ex vultu,corpore, oculis, fronte pernoſcere. In lib.de Fato, Quid Socratem nónne legimus quemadmodum notarit Zopyrus phyſiognomos,qui ſe profitebatur hominum mores naturáſq; ex corpore,oculis,vultu,fronte prenoſcere ? In 4.extremo quæſtionum Tuſcula. perſpicere dicit ex forma naturam, vt Socrates dicitur cum multa in conuentu vitia collegiſſet in eum Zopyrus,qui ſe naturam cuiuſque ex forma perſpicere profitebatur , deriſus eſt à cæteris qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent,ab ipſo autem Socrate ſubleuatus eſt, cum illa ſibi ſigna ineſſe,ſed ratione à ſe deiecta diceret.

## EIVSDEM OBSERVATIONES IN POSTERIORA ANALYTICA. IN CAP. I.

QVanquam duo libri ſuperiores quòd iudicij ſint , eius partis philoſophiæ quæ Logice dicitur, poſtremum locum tenere debent, ob eámq; cauſam multa quæ ſuperioribus libris explicandis commemorauimus inde aſſumenda ſunt, tamen quædam hic proprie exponemus , quæ nondũ ſunt à nobis explicata. Atque vt inſtitutum noſtrum perſequamur,illud primum occurrit animaduerſione explicationéq; digniſsimum.

Omnis quæ ratione conficitur & doctrina & diſciplina,ex pręcognitione gignitur , πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως.)διανοητικὴν dico artem quæ ratione conficitur. Alij intellectiuam dicunt,quod qua ſententia accipiendum ſit, prorſus ignoro. Equidem non arbitror idem valere τέχνην διανοητικὴν,quod θεωρητικὴν,id eſt quę in cognoſcendo & contemplando poſita eſt.



Γνῶσιν προϋπάρχουσαν multis modis voco. Hoc quidem loco ita transfero, vt ſi eſſet vnum verbum πρόγνωσις,propterea quòd tertio aut quarto verſu proximo ſemel Ariſtoteles verbo προγινώσκειν,iterum προγινωσκομένων in eadem re vtitur. Cicero autem προγινώσκειν vno verbo dicit prænoſcere & πρόγνωσιν prænotionem. Paulo infrà, aliíſque locis aliter idem verbum expono,modo anticipationem, modo anticipatam & informatam rei cognitionem , modo informationem & informatam notionem. Tot enim ferè modis à Cicerone dicitur. In primo enim de Nat.Deor. loquens de Epicuro ſcribit his verbis: *Solus enim vidit primum eſſe Deos,quod in omnium animis eorum notionem impreſsiſſet ipſa natura. Quæ eſt enim gens, aut quod genus hominum quod non habeat ſine doctrina anticipatione quandam Deorum? quam appellat* πρόληψιν *Epicurus, id eſt anteceptam animo rei quandam informationem,ſine qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec diſputari poteſt.*Paulo infrà mihi videtur προϋπάρχουσαν γνῶσιν inſitam *& innatam cognitionem vertere. Quod igitur fundamentum huius quæſtionis eſt,id præclare iactum videtis.Cum enim non inſtituto aliquo, aut more, aut lege ſit opinio conſtituta , maneátque ad vnum omnium firma conſenſio,intelligi neceſſe eſt eſſe Deos,quoniam inſitas eorum vel potius innatas cognitiones habemus.*Deinceps prænotionem vocat. De quo autẽ omnis natura conſentit,id verum eſſe neceſſe eſt.Eſſe igitur Deos confitẽdum eſt.Quod quoniam ferè conſtat inter omnes non philoſophos ſolum, ſed indoctos,fatemur conſtare illud etiam, hanc nos habere ſiue anticipationem vt ante dixi , ſiue prænotionem Deorum. Sunt enim rebus nouis noua ponenda nomina. vt Epicurus ipſe πρόληψιν appellauit , quam antea nemo eo verbo nominarat. πρόληψιν Epicuri verbum eſſe dicit,cum Ariſtoteles verbo vnde id nomen ductum eſt , tertio verſu vtatur his verbis: Διχῶς δ' ἀναγκαῖον προγινώσκειν. τὰ μὲν γὰρ ὅτι ἐστὶ προλαμβάνειν ἀναγκαῖον. Itaq; hoc totum his verbis expoſui: Duobus autem modis res aliqua neceſſario prænoſcitur. Neceſſe eſt enim anticipationem quarundam rerum inſculpi in nobis.Neque enim illud ὅτι ἐστὶ aliter exprimi debet.Illud enim ſuperius Ciceronis exemplum ſic Græce redderem : τί γὰρ ἂν ἔθνος , ἢ τί γένος ἐστὶν ἀνθρώπων , ὃ μὴ ἔχει ἀδίδακτόν τινα τῶν θεῶν πρόγνωσιν , ἢ προϋπάρχουσαν τῶν θεῶν γνῶσιν, ὅτι εἰσί.

Aliter enim vſuueniet ea quæ à Platone in Menone inducitur dubitatio. Aut enim nihil diſcet , aut quæ nouit. Εἰ δὲ μὴ, τὸ ἐν τῷ Μένωνι ἀπόρημα συμβήσεται. ἢ γὰρ οὐδὲν μαθήσεται, ἢ ἃ οἶδεν. Ἀπόρημα ſic expono vt ἀπορίαν. ἀπορεῖν enim eſt dubitare,quærere. Quanquam ἀπόρημα aptius fortaſsis Græce dicitur hoc loco id quod exponit Ariſtoteles in lib.8.Topicorum.Συλλογισμὸς διαλεκτικὸς ἀντιφάσεως,id eſt ratiocinatio vel concluſio potius probabilis repugnantiæ. Quod verba ſuperiora videntur indicare. hæc enim concluſio eſt repugnantiæ. ἢ γὰρ οὐδὲν μαθήσεται, ἢ ἃ οἶδεν. Mihi quidem ſuperior interpretatio magis probatur , propterea quòd apud Platoné ἀπορίας verbum eſt, ibiq; puſio inducitur, qui cum primũ neſciret quæ eſſet loci octo pedum linea,tamen ea ſcire ſe exiſtimabat.Itaq; qui ante ἀπορεῖν id eſt dubitare ſe non putabat,poſt ſibi id venire in dubium exiſtimauit. Præterea illo in libro puſionem illum interrogat Socrates geometrica, vt reſpondens ille,ea non didiciſſe in hac vita,ſed alio tempore videatur,idq; Menon coactus eſt concedere quod Socrates volebat, μάθησιν εἶναι ἀνάμνησιν,id eſt recordationem.Cicero hunc Platonis locum in 1. quæſtio. Tuſcula.explicat.

Triangulum verò hoc declarare. τὸ δὲ τρίγωνον ὅτι τοδὶ σημαίνει. Triangulum ſemper neutro genere dico, quemadmodũ Ciceronem dicere oſtẽdi in prioribus explicandis, cæteri maſculino dicunt. Cicero neutro mihi genere dicere videtur, quòd neutro etiã Græci dicunt, vt paulo infrà Ariſtoteles dicit πᾶν τρίγωνον.

Ex primis autem progredi, eſt ex principiis accommodatis & propriis. Idem enim appello primum & principium. Ἐξ πρώτων δ' ἐστὶ, ἐξ ἀρχῶν οἰκείων. ταὐτὸ γὰρ λέγω πρῶτον καὶ ἀρχήν.) Hoc loco πρῶτον primum, & ἀρχὴν principiũ. Aliis locis infra dico πρῶτον caput, & ἀρχὴν initium. Cicero enim mihi videtur πρῶτον caput vocare in 4. Academ. quæſtionum: ita nobis tacentibus ex vno Epicuri capite, altero veſtro, perceptio & comprehenſio tollitur. Quod caput Epicuri? Si vllum ſenſibus viſum eſt falſum, nihil poteſt percipi. Quod veſtrum? Sunt falſa ſenſus viſa quid ſequitur? vt taceam, concluſio ipſa loquitur nihil percipi poſſe. Hoc multo etiam euidentius eſt in lib. 4. de finib. quæ verba atq; ſuperiora quoniam cum Ariſtotelis Topica exponerem protuli, non habui neceſſe hoc loco ſubiicere.

Demonſtrationis autem principium eſt propoſitio quæ nulla alia doceri poteſt. Ea autem alia nulla doceri poteſt, quia nulla eſt prior. Ἀρχὴ δ' ἐστὶν ἀποδείξεως πρότασις ἄμεσος. ἄμεσος δὲ, ἧς μή ἐστιν ἄλλη προτέρα.) πρότασιν ἄμεσον quam cæteri immediatam vocant, modo appello eam quæ alia nulla doceri demonſtraríque poteſt, modo quæ nulla ratione doceri poteſt. Μέσον enim in his cauſæ atque rationis vim obtinet. interdum illud μέσον in hoc verbo ad vocabulum medium accommodo, vt dicam propoſitionem eam ἄμεσον, ad quam docendam nullum medium verbum ſumi poteſt, vel quæ medio verbo careat, vel quæ medium non habeat. Nam immediati verbũ vt barbarum repudiandum eſt.

Principij autem ratiocinationis quod medium non habet propoſitum appello. Ἀμέσου δ' ἀρχῆς συλλογιστικῆς, θέσιν μὲν λέγω.) θέσιν vel propoſitum dico, vt Cicero, vel Græcum pro Latino. ὑπόθεσιν autem quo verbo paulo infrà Ariſtoteles vtitur, non poſſum cauſſam appellare, vt Ciceronem imitatus appellaui nonnullis in locis. Aliud enim hoc loco hoc verbum, aliud aliis efficit. Itaq; Græcum pro Latino ferendum cenſeo potius quàm vſurpandum barbarum ſuppoſitionis. Ἀξίωμα autem poſtulatum malo dicere quàm dignitatem. Ἀξιοῦν enim poſtulare apud Dialecticos dicitur. Vnde ἀξίωμα.

IN CAP. X.

Scire autem rem omnino conuenire & cur ea conueniat, differunt. τὸ δὲ ὅτι διαφέρει καὶ τὸ διότι ἐπίστασθαι.) Sunt cum apud alios Græcos, tum vel maxime apud Ariſtotelem adeo breues conciſæque orationes dicendique genera, vt ſi ea verbum è verbo reddamus, maximæ tenebræ obſcuritateſque in oratione reliqua conſequantur. Cuiuſmodi eſt imprimis hoc quod nũc tractamus ἐπίστασθαι τὸ ὅτι, καὶ ἐπίστασθαι τὸ διότι. Nam ſi dicas, Scire quòd, aut ipſum quia, & quare, aut propter quid ſcire, quid quæſo dici fingíque poteſt obſcurius? Eadem eſt obſcuritas paulo infra apud Ariſtotelẽ. τοῦ ὅτι καὶ ὁ τοῦ διότι ἀπόδειξις, καὶ τοῦ ὅτι γέγονεν συλλογισμός. Vulgo appellatur eadem obſcuritate quia eſt, & propter quid demonſtratio. Ego autem rectè & dilucide alteram ex effectu, alteram ex cauſa demonſtrationem appellandã cenſeo & appello, interdum illam demonſtrationẽ qua res conuenire docetur, hanc qua cur, aut quamobrem res conueniat, vel qua cauſſa rei oſtẽditur. τὸ ὅτι ergo effectus, καὶ τὸ διότι cauſſa dici debet. Sic enim articulus ponitur. Ex quo intelligi poteſt quàm imperite faciant qui demonſtrationem

quia



quia eſt, & propter quid appellant. Eadem eſt ratio quæſtionum τοῦ ὅτι, & τοῦ διότι, de quibus Ariſtoteles initio proximi libri diſſerit. Quanquã quæſtionem τοῦ ὅτι qualitatis Cicero nominat. Tria enim genera cauſſarum facit: An ſit, Quid ſit, Quale ſit. quibus etiam addit id genus quo quæritur, quæ cauſſa effecerit. Ariſtoteles primum genus εἰ ἔστιν appellat. Secundum τί ἐστι. Tertium τὸ ὅτι, quartum τὸ διότι. Ego autem quæſtionem τοῦ ὅτι illo in loco, tum eam qua an conueniat, tum qua quale quid quæritur. Hęc autem ita eſſe transferenda hinc perſpici licet, quòd hæc quęſtio quã ibi ponit Ariſtoteles, An luna deficiat, & illa, An terra moueatur, ſint qualitatis.

IN CAP. XVII.

PErſpicuum etiam eſt inſiſtendũ eſſe in negante demonſtratione, ſi modo in aiente vtraque ex parte ſit inſtitutio, φανερὸν δὲ καὶ ἐπὶ τῆς στερητικῆς ἀποδείξεως ὅτι στήσεται, εἴπερ ἐπὶ τῆς κατηγορικῆς ἵσταται ἐπ' ἀμφότερα) ἵστασθαι in hac re inſiſti, inſiſtere dicitur, non ſtatum eſſe, aut dari ſtatum, vt vulgus Dialecticorum loquitur. Cicero in lib. 4. Academicarum quæſtionum: Sed neges te vſque ad obſcura progredi, illuſtribus igitur in rebus inſiſtis. Si id tantummodo vt taceas, nihil aſſequeris. Quid enim ad illum qui te captare vult, vtrum tacentem irretiat te, an loquentem? Sin autem vſque ad nouem, verbi gratia, ſine dubitatione reſpondes pauca eſſe, in decimo inſiſtis, etiam à certis & illuſtrioribus cohibes aſſenſum. hoc idem me in obſcuris facere non ſinis. Hoc idem verbum vſurpat cum de ſtellis loquitur. Itaque in primo libro quæſtionum Tuſculanarum, inſtitiones vocat ſtellarum, quas ſtationes vulgo dicimus. Aut qui errantium ſtellarum motus, curſus, progreſsiones, inſtitionéſque notauit. Nam libri corrigendi ſunt in quibus inſtitutiones legitur.

IN SECVNDI LIBRI CAP.

SVmere igitur ea omnia quæ ſunt eius generis & vſq; eò perſequi debemus, dum eiuſmodi ſumpta ſint primum quorum quicq; cum aliis cõmune ſit, vniuerſa tamen nullam in rem aliam transferri poſsint, &c. τὰ δὴ τοιαῦτα ληπτέον μέχρι τούτου, ἕως τοσαῦτα ληφθῇ πρῶτον, ὧν ἕκαστον μὲν ἐπὶ πλέον ὑπάρξει, ἅπαντα δὲ μὴ ἐπὶ πλέον, &c.) Hunc totum locum Cicero in Topica ſua tranſtulit. quemadmodum in iis quæ in Topicis Ariſtotelis obſeruata à nobis ſunt, diximus. Itaque ſi quis hæc velit conferre, inde aſſumat.

# EIVSDEM OBSERVATIONES IN ARISTOTELIS TOPICA.

QVod in ceteris libris, quos adhuc ab Ariſtotele tranſtuli, feci, vt quibus locis commode fieri poterat, rationem cõuertendi noſtram à Cicerone nõ omnino diſſentire & abhorrere docerem, id mihi in his Topicis transferendis ac multo etiam magis faciundum putaui. Nam cùm ab aliis libris multos locos Ciceronem mutuatũ eſſe & tranſtuliſſe probaui, tum id me ſpero de his ipſis libris, quos ipſe ſibi ad imitandum propoſuiſſe dicit, facilius eſſe probaturum. Atque id ita faciam, ſi ante de ordine librorum Ariſtotelis, qui ad Dialecticam pertinent, pauca dixero. Ego ſic exiſtimo, tribus his libris Inſtitutioni Porphyrij, Categoriis, & de Interpretatione Ariſtotelis, ſtatim hos octo Topicorum adiungendos eſſe, tum vnum de Reprehenſionibus captioſis & fallacibus: poſtremo quatuor de Ratione & arte iudicandi. Me in hanc ſententiam hæc potiſsimum ratio

ducit. Nam cùm his libris octo diſciplina ( vt & inſcriptio & ipſe Cicero indicat ) inueniendorum argumentorum contineatur, aliis autem quatuor ars iudicandi: iudicare autē de re nulla, niſi quæ ſit inuenta, poſsimus: fit vt hęc pars alteram antecedere debeat. Nec verò de hac re ſic diſſentio á cæteris, quaſi verò nullum auctorem & defenſorem habeam huius ſententiæ. Vel ipſe Cicero hoc in primis tradit, cum multis aliis libris, tum vel maxime initio Topicorum. Eſt enim eius libri hoc initium, Cùm omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi: vtriuſque princeps, vt mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit. Stoici autem in altera elaborauerunt. Iudicandi enim vias diligenter perſecuti ſunt, ea ſcientia quam Dialecticen appellant. Inueniendi vero artem, quæ Topice dicitur, quæ ad vſum potior erat, & ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in vtraque ſumma vtilitas eſt, & vtranque ſi erit otium, perſequi cogitamus, ab ea quæ prior eſt, ordiemur. Hæc ille. Proferam etiam locum alterum ex quarto de Finibus, Cúmque duæ, inquit, ſint artes, quibus perfecte ratio & oratio compleatur, vna inueniendi, altera diſſerēdi: hanc poſteriorem & Stoici & Peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt, hi omnino ne attigerūt quidem. Nam è quibus locis quaſi theſauris argumenta depromerentur, veſtri ne ſuſpicati quidem ſunt, ſuperiores artificio & via tradiderunt. Proferrem etiam ea quæ in ſecundo de Oratore libro in eandem ſententiam ſcribit, niſi hęc ſatis multa viderentur. His quidem locis tota hæc res ſic confecta videtur, vt nihil præterea videam, quod requirere debeamus. Ait enim, vt intelligi potuit, Topicen ordine naturę priorem, & alteram poſteriorem. quum cur aliâs iudicandi partem, aliâs diſſerendi appellet, ſi quis requirat, ei reſpondendum puto, quoniam ille à Stoicis ait, poſteriorem partem dialecticen appellatam, in diſſerendo autem iudicium conſiſtit maxime: eo hanc ab eo partem modo iudicandi, modo diſſerendi, nominari. Certe Quintilianus priorem τοπικὴν, poſteriorem κριτικὴν à Dialecticis vocari tradit. Extremo enim quinto libro ſcribit his ferè verbis, Illi homines docti & inter doctos verum quærentes, minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia, & ad liquidū confeſſumq; perducunt, vt qui ſibi & inueniendi & iudicandi vendicent partes, quarū alterā τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Quare vt ad propoſitū reuertar, ſi vtriuſq; partis princeps, vt Ciceroni videtur, Ariſtoteles fuit, τοπικὴν autem priorem naturæ ordine idem ſtatuit, quæ his libris contineatur, certe eandem priorem exiſtimare debemus. Cúmque præter τὰ ἀναλυτικὰ libri nulli Dialecticæ extent, quibus iudicandi vias Ariſtoteles ſit perſecutus, ij profecto in hoc numero habendi ſunt. Itaq; ἀναλυτικὰ inſcribuntur, quod verbum videtur mihi vertendum, quoniam non eſt vſitatum, vt Topica, ars iudicandi. Quis enim ferat, Reſolutoria? Eſt enim Gallicum vocabulum. ἀναλύειν ergo iudicare, aut diiudicare eſt. Et profecto illi ipſi qui verbo hoc barbaro vtuntur, idem iudicant & ſentiunt. Aiunt enim reſoluere, idem valere quod explicare, diſſoluere, diſcutere, & iudicare. Itaque reſolutionem vocant, ſententiam de quaq; re & iudicium: & reſolutos homines eos qui rerum vel difficillimarum norunt nodos diſcutere, & de quaq; re etiā ex tēpore iudiciū ſuum interponere, vt nihil nouū nihil nō diu meditatū eis proponi queat. Sed quid in explicanda verbi huius vi atq; natura tantū laboris conſumimus, cùm ipſe Boetius, qui primus poſt Ciceronem quantum intelligere poſſumus, Philoſophiæ lumen afferre conatus eſt, vnus nos à tanta cura liberare poſsit? Scribit enim principio

librorum



librorum quos de differētiis Topicis inſcripſit, his verbis, Omnis ratio diſſerendi, quam logicem Peripatetici veteres appellauere, in duas diſtribuitur partes: vnam inueniendi, alteram iudicandi. Et ea quidem pars, quæ iudicium purgat atq; inſtruit, ab illis ἀναλυτικὴ vocata eſt, à nobis poteſt reſolutoria nuncupari. Ea vero quæ inueniendi facultatem ſubminiſtrat, à Græcis τοπικὴ, à nobis localis dicitur. Ac de illa quidem parte, quæ iudicandi magiſtra eſt, aliâs diſputabitur, &c. An potuit planius facere eandē eſſe illam Ariſtotelis, τοπικὴν & ἀναλυτικὴν, & Quintiliani, τοπικὴν & κριτικὴν diuiſionem? Sed tamen cùm alteram partem inueniendi, alteram iudicandi ſtatuerit, in tradenda earum diſpoſitione, quod permirum mihi videri ſolet, & ordine peccauit. Multis enim locis ἀναλυτικὰ antecedere, τοπικὰ ſequi putat oportere. in quo Alexandrum Aphrodiſeum ſecutus eſt, & à Philopono diſſentit. Philoponus enim in principio Commentariorum, quibus priorem librum eorum qui artem & diſciplinam poſteriorem iudicandi continent, illuſtrat, Topica ἀναλυτικοῖς ordine priora vult eſſe. itémq; librū quem de fallacibus & captioſis reprehēſionibus Ariſtoteles inſcripſit. Eius rationes Alexander poſteaquam diſcuſsit principio Commen. in σοφιστικοὺς ἐλέγχους, contrà ſentit. Ego Philopono de ordine aſſentior: de rationibus quę eum in hanc ſententiam duxerunt, neque planè aſſentior, neque diſſentio. Hoc vnum dico, illos duos magnos eos quidem philoſophos, ſi inſcriptionis librorum rationem habuiſſent, non generum ratiocinationum quorū illis libris diſciplina cōtinetur, aliter fuiſſe ſenſuros. Quis enim adeo ignarus eſt rerum quin prius inuenire, quæ quiſq; dicat, quàm de inuentis iudicare putet oportere? Atqui Topicis diſciplina inueniendorum argumentorum, ἀναλυτικοῖς iudicandi viæ continentur. Quo vehementius admiror, Boetium qui verè & rectè de vi inſcriptionis, vt probaui, iudicauit, in ipſo tradendi ordine aberraſſe. Quapropter rationem illam veram, quæ apud quemque plurimum valere debet, quámq; Ciceronem ſecutum videmus, ſequamur. Non igitur temerè ego aut caſu, ſed conſilio & ratione, abſolutis conuerſiſq; de Græcis tribus libris ſuperioribus, quibus Dialecticæ initia & quaſi elementa traduntur, me ad hos potiſsimum octo libros quibus ars & diſciplina argumentorum inueniendorum traditur atq; continetur transferendos vertendóſque contuli. Qua de re vt ego ab aliis diſſentio, ſic multos in alia ſententia fore ſentio. Hoc vnum me certè cōſolabitur, quoquo modo res cadat, quòd cùm non ſententiæ nouæ inuentor, ſed veteris defenſor ſim, facilius inuidiam ſi qua fortè impendeat, ſuſtinebo.

## CAPVT I.

HOc nobis loco propoſitum eſt, viam atq; rationem inuenire, (ἡ μὲν πρόθεσις τῆς πραγματείας μέθοδον εὑρεῖν) πρόθεσις, σκοπὸς hic dicitur & προαίρεσις, id eſt, inſtitutum & propoſitum. Ego nomen ad verbi ſignificationem tranſtuli, quoniam nomini verbum, eſt, adiectum, niſi ſit genitiui caſus, nō ſolet infinitum modum ſibi adiungere. De his alio loco diximus. πραγματεία dicitur id quod agitur, aliâs ab Ariſtotele θεωρία, aliâs σκέψις vocatur. Hęc Cicero dicit modo locum, modo tempus, aliâs diſputationem, aliâs ſermonem. In 1. de Leg. Neq; enim omnia ſunt huius diſputationis & temporis. Hoc genus ſic exprimit Ariſtoteles, cum multis aliis locis, tum de interpretatione, ἐπὶ δὲ ἄλλης τοῦτο πραγματείας εἰπεῖν.

Viam atq; rationem inuenire, μέθοδον εὑρεῖν) μέθοδον, alio loco docui viam atq; rationem dici à Cicerone in epiſtola quæ præpoſita eſt Topicis, Quam tibi cum expoſuiſſem, diſciplinam inueniendorum argumētorum, vt ſine

vllo errore ad illam ratione & via perueniremus ab Ariſtotele inuenta, libris illis contineri, &c. Viam quam ait ab Ariſtotele inuentam, μέθοδον τὸ εὑρεῖν τὰ ἐπιχειρήματα dici puto. Interdum hæc duo coniuncta reperies pro eodem, artificium & via, vt in 4. de Finibus, quẽ locum paulo ante protuli.

Diſſerere, συλλογίζεσθαι) Hoc verbum multis modis transferri licet, modo concludere, quod hoc loco fieri non poteſt, modo diſſerere, aliâs diſputare, aliâs ratiocinari. Et quanquã διαλέγεσθαι propriè dicitur diſſerere, tamẽ hoc loco συλλογίζεσθαι idem valet, quoniam ſequitur illud, περὶ παντὸς, &c.

Si quid in diſputationibus defendamus, λόγον ὑπέχοντες.) λόγον ὑπέχειν, ſiue διδόναι eſt eius qui poſcit quæſtionem, quem reſpondentem vocant. λαβεῖν λόγον, & συλλογίζεσθαι περὶ προβλήματος, eius qui quęſtionem ponit, & interrogat, quem opponentem nominant. Mihi quidem non videntur hæc duo vt plura alia poſſe transferri commodè & aptè ad conſuetudinem ſermonis noſtri, ſi verbum è verbo exprimamus. Neque enim ſi ſic dicamus, ὑπέχειν λόγον, ſuſtinere vel ſermonem, vel diſputationem, vel orationem, vel argumentationem, Latina videbitur oratio. Ego cùm diligenter exquiſiſſem, quomodo hęc Cicero diceret, comperi tandem eum pro ὑπέχειν dicere defendere: quod Galli facilè concedent, qui hęc duo in ſua lingua pro eodem ſumunt, defendere aliquid & ſuſtinere. Quanquam Græci proprium verbum habent quod huic noſtro defendere reſpondet. Ariſtoteles enim in 8. horum lib. aliquoties dicit διαφυλάττειν τὴν δόξαν, quod Cicero transfert, defendere ſententiam. Vnus hic locus ſat erit, ἂν δὲ ἑτέρου δόξαν διαφυλάττῃ ὁ ἀποκρινόμενος, δῆλον ὅτι πρὸς τὴν ἐκείνου διάνοιαν ἀποβλέποντα θετέον ἕκαστα καὶ ἀρνητέον. Sic ego, Quòd ſi alterius ſentẽtiam defendat is qui reſpondet, certè eius mentem & ſententiam ſpectare debebit, vt quid ſit concedendum, quid negandum intelligat. Cicero in primo de Finibus ſecũda pagina: Accuratè autem quondam à L. Torquato, homine omni doctrina erudito defenſa eſt Epicuri ſententia de voluptate. Initio 2. lib. de Finibus, Sed qui audiebant, quoad poterant defendebant ſententiam ſuam. Hoc etiam dicit tueri, ſed non addit ſententiam, ſed voluptatem, quod fortaſſe dicitur melius ἀπολογεῖσθαι. Suſtinere autem nunquam dicit in hoc duntaxat genere, ſed cum vertendum eſt verbum ἐπέχειν, idq; ſæpiſſimè in 4. Acade. Quamobrem cùm tam vitioſum eſſe conſtet, aſſentiri quicquam aut falſum aut incognitum, ſuſtinenda eſt potius omnis aſſenſio, ne præcipitet, ſi temere proceſſerit, id eſt, δεῖ μᾶλλον πᾶσαν συγκατάθεσιν ἐπέχειν. Ibidem paulo infra dicit, Cohibere aſſenſus. Atque vt intelligamus hoc eſſe verbum, ſuperiore pagina ἐποχὴν vertit retentionẽ. Ex his illa neceſſariò nata eſt ἐποχὴ, id eſt, aſſenſionis retentio. Ergo illud perſpicuum eſt, ὑπέχειν à Cicerone in hoc genere non dici ſuſtinere. Defendere autem mihi melius & aptius videtur, vt λόγον interpretemur rem quæ in diſputationibus verſetur. Dicã igitur ὑπέχειν λόγον defendere rem aliquam in diſputationibus, quoniam hoc totum defendere diſputationem, in conſuetudinem noſtram nõ cadit. Cicero in ſecundo de Orat. lib. ſic loquitur, Carneadis verò vis incredibilis illa dicendi & varietas per quàm eſſet optanda nobis, qui nullam vnquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probarit: nullam oppugnauit, quam non euerterit. Pro eodem mihi Cicero poſcere quæſtionẽ videtur dicere. Initio 2. lib. de Finib. Forum erat iſte mos, qui tunc Sophiſtę nominabantur. quorum è numero primus eſt auſus Leontinus Gorgias in conuentu poſcere quæſtionem, id eſt, iubere dicere, qua de re quis vellet audire. Hoc transfert ad eum quem opponentem vocant, Initio 5. Tuſcu-

lanæ



lanæ: Vt enim in Academiam noſtram deſcendimus, inclinato iam in pomeridianum tempus die, popoſci eorum aliquem qui aderant cauſam diſſerendi. Nam poſt in ea diſputatione cum hęc cauſa poſita eſſet ab Attico, videtur mihi cadere in ſapientem ægritudo: Cicero percontatur, Num reliquæ quoq; perturbationes animi? Atq; hoc interim notare debemus, cauſam Græcis dici ὑπόθεσιν in ſuperiore oratione. Transfert etiã ad eum qui reſpondet, ponere de quo quis velit audire. Initio 1. Tuſculanæ, Ponere iubebam de quo quis vellet audire, ac id aut ſedens aut ambulans diſputabam. Quod Ariſtoteles dicit θέσθαι θέσιν. Vocat enim θέμενον eum qui ponit aut poſuit de quo diſſeratur, quod θέσιν vocat. In 8. libro ποιοῦσι δὲ τοῦτο καὶ οἱ περὶ ἀλλήλων διαλεγόμενοι τὰς θέσεις. στοχάζονται γὰρ ὡς ἂν εἴποι ὁ θέμενος. Ex his tot locis illud etiam intelligi licet, Audire velle de aliqua re, aliâs ad eum qui percontatur, aliâs ad eum qui reſpondet à Cicerone accommodari. Ariſtoteles quidem eos qui inter ſe diſſerunt, his nominibus appellat, eum qui poſcit cauſam, aut poſitam diſputat, & contradicit, ἐρωτῶντα: eum qui ponit de quo audire vult, aliâs ἐρωτώμενον, aliâs ἀποκρινόμενον, dicit. Ego autem ἐρωτῶντα dico eum qui interrogat: eum qui percontatur, quoniam dicere interrogantem prohibet Latini ſermonis conſuetudo. Nam ſi nomina impoſita eſſent, qualia ſunt in arte Rhetorica accuſator & defenſor, iis certè vti liceret. Nunc cùm interrogatorem, & reſponſorem dicere non poſſimus, vt illi accuſatorem & defenſorẽ: nec participia vſitata ſint apud nos, pluribus verbis cogimur dicere, quod Ariſtoteles vno aptè & commodè ſolet. Et quoniam ἐρωτᾶν Cicero interdum ponere quæſtionem dicit, eodem verbo illud etiam interpretor, & ἐρωτῶντα eum qui ponit quæſtionem. In 1. de Oratore lib. Quid mihi nunc vos, inquit Craſſus, tanquam alicui Græculo otioſo & loquaci, & fortaſſe docto atque erudito, quæſtiunculam de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Cicero etiã contra diſputare ei aſsignat qui argumentatur, & contra dicere. Quorũ duorum prius προσδιαλέγεσθαι vno verbo dicitur, poſterius ἀντιλέγειν. Cicero in 2. de Finibus. Quod quidem fit etiam in Academia. Vbi enim is qui audire vult, ita dixit, Voluptas mihi videtur eſſe ſummum bonum, perpetua oratione cõtra diſputatur. Ex quo loco illud etiam intelligitur, quod ſupra docui, audire velle, eſſe eius quem reſpondentem vocant. Atque quo hæc facilius intelligantur & probentur, libet ex Gorgia Platonis ea quæ Cicero mutuatus eſt, ſubiicere. Principio eius libri, cum Socrates ſe velle quærere de Gorgia diceret, quid profiteretur ac doceret, Callicles ſic locutus eſt, οὐδὲν οἷόν τ' αὐτὸν ἐρωτᾶν, ὦ Σώκρατες. καὶ γὰρ αὐτὸ ἓν τοῦτ' ἦν τῆς ἐπιδείξεως. ἐκέλευε γοῦν νῦν δὴ ἐρωτᾶν, ὅτι τις βούλοιτο τῶν ἔνδον ὄντων, καὶ πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι. Paulo infra Chærephon Gorgiam percontatur, εἰπέ μοι ὦ Γοργία, ἀληθῆ λέγει Καλλικλῆς ὅδε, ὅτι ἐπαγγέλλῃ ἀποκρίνεσθαι, ὅ,τι ἄν τίς σε ἐρωτᾷ. Gorgias reſpondet, ἀληθῆ ὦ Χαιρεφῶν, καὶ γὰρ δὴ νῦν αὐτὰ ταῦτα ἐπηγγελλόμην, καὶ λέγω ὅτι οὐδείς μέ πω ἠρώτηκε καινὸν οὐδὲν πολλῶν ἐτῶν. Pagina 5. cum Callicles dixiſſet Socrati & Gorgiæ, eos ipſi gratum facturos, ſi diſputarent, Socrateſque ſe paratum denunciaret, ſi modo vellet Gorgias: tum Gorgias, αἰσχρὸν δὴ τὸ λοιπὸν ὦ Σώκρατες γίγνεται ἐμέ γε μὴ ἐθέλειν, καὶ ταῦτα αὐτὸν ἐπαγγειλάμενον ἐρωτᾶν ὅ,τι τις βούλεται. In his omnibus locis perſpici poteſt ſæpe & ἐρωτᾶν dictum, & ἀποκρίνεσθαι, cùm interim Cicero hæc transferens à Platone, nunquam viſus ſit verbo reſpondendi, aut interrogandi. Nam quod ait, πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι, in 1. de Oratore Cicero dicit, ſe ad omnia eſſe paratum denuntiauit. Quare vt ad propoſitum reuertamur, illud ὑπέχειν λόγον, his tot modis exprimendum puto. Nam idem valere,

ὑπέχειν

ὑπέχειν λόγον quod διδόναι, ídque officium eſſe eius qui ponit de quo diſſeratur: & λαμβάνειν λόγον, eius qui ponit quæſtionem, docet ipſe Ariſtoteles multis locis. In reprehenſionibus captioſis & fallacibus, extrema pagina, ἐπεὶ δὲ προκατασκευάζεται πρὸς αὐτὴν διὰ τὴν τῆς σοφιστικῆς γειτνίασιν, ὡς οὐ μόνον δύναται πεῖραν λαβεῖν διαλεκτικῶς, ἀλλὰ καὶ ὡς εἰδώς, διὰ τοῦτο οὐ μόνον τὸ λεχθὲν ἔργον ὑπεθέμεθα τῆς πραγματείας, τὸ λόγον δύνασθαι λαβεῖν, ἀλλὰ καὶ ὅπως λόγον ὑπέχοντες φυλάξωμεν τὴν θέσιν. id eſt, Quoniam autem ante confirmauimus, Dialecticen propter Sophiſtices, quam ſequuta eſt, vicinitatem, non ſolum poſſe probabili argumentatione periculum facere, ſed etiam neceſſaria: ob eam cauſam non ſolum eius officium in eo poſuimus, vt ea inſtructi argumenta ſumere poſsimus: ſed etiam vt argumentis reſiſtentes, cauſam diſſerendi defendamus. Quod autem ait ſupra confirmatum eſſe, id eſt initio eius libri quo loco id quod hic dicit ὑπέχειν λόγον, dicit, διδόναι ſeu δοῦναι λόγον, ἔστι δὲ, ὡς ἓν πρὸς ἓν εἰπεῖν, ἔργον περὶ ἕκαστον τοῦ εἰδότος, ἀψευδεῖν μὲν αὐτὸν, περὶ ὧν οἶδε, τὸν δὲ ψευδόμενον ἐμφανίζειν δύνασθαι. ταῦτα δ' ἐστὶ, τὸ μὲν ἐν τῷ δύνασθαι δοῦναι λόγον, τὸ δὲ ἐν τῷ λαβεῖν, id eſt, Eſt autem eius qui omnium rerum ſcientiam tenet, iis in rebus, quas quidem cognitas habeat, nec falli, nec decipi, alterius captiones & nodos indicare poſſe: quorum hoc in eo poſitum eſt, vt defendere, illud in eo vt refutare poſsis id de quo diſſeratur. Itaq; hoc loco Alexander Aphrodiſeus pro δοῦναι dicit ὑπέχειν, & in ſuperiore hæc duo ſæpe coniungit. Eius verba ſubiicerem, niſi vererer ne in re tam aperta eſſem longior.

Efficitur neceſſario, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει.) συμβαίνει in cócludédo effici, dici & transferri á Cicerone in libro de Optimo genere Interpretandi docui. Cuius verbi hanc interpretationem tenere debemus. A multis enim in ea peccatur. Dicunt enim contingere, quàm inſcienter, exiſtimare licet iis qui Latine ſciunt.

Demonſtratio autem eſt, cùm ex veris & perſpicuis, &c. ἀπόδειξις μὲν οὖν ἐστι, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων, &c.) Vſitatum verbum demonſtrationis reliqui. Cicero neceſſariam concluſionem vocat. πρῶτα autem dico perſpicua cùm eodem Cicerone. Is enim in quarto de Finibus libro loquens de Peripateticorum diſciplina: Iam argumenti, inquit, ratione concluſi caput eſſe faciunt, eáque perſpicua dicunt: deinde orationem ſequuntur, tum quid verum ſit in ſingulis, extrema concluſio eſt: πρῶτον caput videtur dicere. Hoc ex vno loco lib. 4. Academicarum quæſtio. facilius intelligi poteſt, Ita nobis tacentibus, ex vno Epicuri capite, altero veſtro, perceptio & comprehenſio tollitur. Quod caput Epicuri? Si vllum ſenſibus viſum eſt falſum, nihil poteſt percipi. Quod veſtrum? Sunt falſa ſenſus viſa. Quid ſequitur? vt taceam, concluſio ipſa loquitur. Nihil poteſt percipi. Argumétationis enim duo membra priora vocat capita.

Fallax autem & certandi ſtudio comparata ratiocinatio, ἐριστικὸς δέ ἐστι συλλογισμὸς.) Hoc loco non alienum erit ea tradere, quæ animos hominum poſsint angere, vt noſtra etiam conuertendi ratio probetur. συλλογισμὸν Cicero, niſi in libro qui eſt de Inuentione, ratiocinationem non ſolet dicere. Itaque aliâs aliis libris concluſionem appellat, non eam quidem quę totius argumentationis tertia pars eſt, ſed ipſam argumentationem: aliâs argumentum ratione concluſum. Atque hoc poſterius dicere mihi videtur, vt συλλογισμὸν ab ἐριστικῷ, ἢ φαινομένῳ συλλογιζομένῳ, ſeparet. Concluſionem autem proprie dicit ἀπὸ τοῦ συλλογίζεσθαι, quod eſt concludere, quod tamé verbum in tertia parte argumentationis, quæ Græce dicitur συμπέρασμα, intelligi ſolet,



ſolet, συλλογίζεσθαι porrò interdum apud Gręcos idem valere quod concludere, horum librorum interpres clariſsimus Alexander, quem potiſsimum ſecuti ſumus, auctor eſt. Atque quo facilius συλλογισμὸν, id eſt, argumentationem totam á Cicerone concluſionem, id eſt quam in lib. 1. de Inuentione ratiocinationem appellat, dici intelligamus, proferam duos locos, alterum Ciceronis, alterum Ariſtotelis, eiuſmodi, qui hanc rem planè monſtrabunt. Ariſtote. 8. lib. eorum quos expoſuimus, σόφισμα his verbis definit, σόφισμα δὲ συλλογισμὸς ἐριστικός. Cicero in quarto Academicarum hoc modo, Atqui habebam moleſtos vobis, ſed minutos, Stilbonem, Diodorũ, Alexinum, quorum ſunt contorta & aculeata quædam σοφίσματα. Sic enim appellantur fallaces concluſiunculæ. Qui me locus admonuit, vt ἐριστικὸν συλλογισμὸν fallacem concluſionem verterem. quoniam σόφισμα ſeu σοφιστικὸν συλλογισμὸν & ἐριστικὸν pro eodem etiam Ariſtoteles dicit. Itaque librum eum, quem verbo Græco Elenchi ſophiſtici inſcribunt, de reprehenſionibus fallacibus & captioſis & inſcribo, & inſcribendum puto. In quo quoniam inter σοφιστικὸν & ἐριστικὸν hoc ait intereſſe, quòd σοφιστικὸς oſtentationis gratia, ἐριστικὸς vincendi ſtudio, & aliâs ἀγωνιστικὸς ab eo dicitur: ob eam cauſam ἐριστικὸν συλλογισμὸν nõ ſolum fallacem, ſed certandi etiam ſtudio comparatam ratiocinationem, & aliis locis vincendi ſtudio tranſtuli, παραλογισμὸν etiam fallacem concluſionem & captioſam voco: videtur enim mihi παραλογισμὸς, contrarius eſſe συλλογισμῷ. Ita fit vt quoniam Cicero συλλογισμὸν appellat argumentum ratione concluſum, παραλογισμὸν etiam argumentum fallaciter (ſic enim σοφιστικῶς, & φαινομένως Cicero mihi videtur conuertere) concluſum appellandum eſſe videatur. παρὰ enim in iunctis verbis falſum quiddam & præpoſterum indicat, quod Ciceronis interpretatione perſpici licet, qui in Oratore, orationem παραπρεσβείας, falſæ legationis interpretatur. παραλογίζεσθαι ergo exponemus, falſo, fallaci, & captioſo genere argumentationis aut concluſionis vti ſeu capere. Quod verbum etiam in patiendi ſignificatione accipitur, in qua ſic expóni debet, falli & capi, captioſa & fallaci argumentatione decipi: Ariſtoteles in lib. de Reprehenſionibus captioſis & fallacibus, ὁ τῶν ὀνομάτων τῆς δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται, καὶ αὐτοὶ διαλεγόμενοι καὶ ἄλλων ἀκούοντες. Eſt tantum membrum orationis. Sic ego, Qui verborum vim ignorant, facilè & cùm ipſi diſputant, & cùm alios diſputantes audiunt, falluntur atque capiuntur. Itaque παραλογισμὸς vno verbo captio dicitur. Cicero in 4. Academica. Oportet igitur & ea quę pro perſpicuitate reſponderi poſſunt, in promptu habere, de quibus iam diximus: & eſſe armatos vt occurrere poſsimus interrogationibus eorum, captionéſque diſcutere, quod facere deinceps conſtitui. Paulò ſuprà fallaces & captioſas interrogationes appellat, ἐρωτήματα παραλογιστικά. Alterum eſt quod fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atq; decepti quidam, cùm eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcunt à veritate. Qui locus ſuperiorem Ariſtotelis magna ex parte exponere videtur, & exponeret certè ſi pro interrogationibus, dixiſſet, concluſionibus παραλογιζόμενος enim in patiendi voce fallacibus & captioſis cõcluſionibus circunſcriptus deceptúſq; dicitur. συλλογισμὸν autem à Cicerone argumentum ratione cõcluſum vocari, locus ille indicat, quem ex 4. de Finib. ſupra protuli, Iam argumenti ratione concluſi caput eſſe faciunt, &c.

## CAPVT II.

QVòd facultate in vtranque partem diſputandi inſtructi, ὅτι δυνάμενοι πρὸς ἀμφότερα διαπορῆσαι) διαλέγεσθαι Græco verbo noſtrum diſſerere par

par eſſe arbitror. Itaq; Cicero Dialecticen, rationem diligentem diſſerendi vocat initio Topicorum. Diſputare idem ſcio efficere, ſed tamen illi διαπορεῖν proprie reſpondet hoc loco, cùm dicat Ariſtoteles πρὸς ἀμφότερα διαπορῆσαι, quod non licet dicere, in vtranque partem dubitare, πρὸς ἀμφότερα ergo, & ἐπὶ ἀμφότερα & ἐφ' ἑκάτερα διαλέγεσθαι, & διαπορεῖν est quod Cicero eleganter dicit, diſſerere & diſputare in vtranque partem. Cuius rei diſciplinam & Ariſtoteles hoc loco ſe his libris velle tradere confirmat, & Cicero id eum facere tradit. Initio II. Tuſculanæ, Itaq; mihi ſemper Peripateticorum Academiæq; conſuetudo de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi non ob eam cauſam ſolum placuit, quòd aliter non poſſet quid in vnaquaq; re veriſimile eſſet, inueniri: ſed etiam, quòd eſſet ea maxima dicendi exercitatio, qua princeps vſus eſt Ariſtoteles, deinde eum qui ſecuti ſunt. In Oratore, Hæc igitur quæſtio à propriis perſonis & temporibus ad vniuerſi generis orationem traducta, appellatur theſis. In hac Ariſtoteles adoleſcentes, non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum in vtranq; partem vt ornatius & vberius dici poſſit, exercuit. Idémque locos (ſic enim appellat) quaſi argumentorum notas tradidit, vnde omnis in vtranq; partem traheretur oratio.

CAP. IIII.

DEfinitio eſt oratio, quæ id quod definitur, explicat quid ſit, ἔστι δὲ ὅρος μὲν λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Ciceronis eſt definitio in Topicis.

Attamen hoc referendum eſt ad definitionem, ὁρικὸν μέν τοι καὶ τὸ τοιοῦτον θετέον.) Hoc loco de ἐτυμολογίᾳ quam Cicero notationem verbi vocat, diſſerit, vel certe de deſcriptione quam etiã definitioni attribuit Cice. in Topicis, Cum autem quid ſit quæritur, notio explicanda eſt & proprietas, & diuiſio & partitio. Hæc enim ſunt definitioni attributa, additur etiam deſcriptio quam Græci καταγραφὴν vocant. ὁρικὰ ergo Cicero attributa definitioni vocat. Ita γενικὰ generis attributa appello, & ὁρικὰ definitioni attributa paulo infra ὥστε καθόλου, τύπῳ μέν, καθάπερ εἴρηται πρότερον, διαιρετέον, τῶν δὲ λοιπῶν τὰ μάλιστ' ἑκάστοις οἰκεῖα προσαπτέον, ὁρικά τε καὶ γενικὰ προσαγορεύοντας ταῦτα.

Itémq; hoc, idémne ſit ſenſus, & ſcientia, an aliud, definitioni attributũ eſt. In definitionibus enim, idémne ſit an alterũ, multus vſus eſt, &c. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ πότερον ταυτὸν αἴσθησις, καὶ ἐπιστήμη, ἢ ἕτερον. καὶ γὰρ περὶ τοὺς ὁρισμοὺς πότερον ταυτὸν ἢ ἕτερον ἡ πλείστη γίνεται διατριβή.) Cicero hunc locum attigit in Topicis, Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, vnum eſt de eodem & alio. vt ſi quæratur, quid interſit inter amicum & aſſentatorem, regem & tyrannum. Paulo infrà, Ad definitionem autem pertinet ratio & ſcientia definiendi. Atq; huic generi finitimum eſt illud quod appellari de eodem & alio diximus. quod genus forma quædam definitionis eſt. Si enim quæratur, idémne ſit pertinacia & perſeuerantia, definitionibus iudicandũ eſt. Ex quibus locis intelligi licet, quod Ariſtoteles dicit ἕτερον, & aliud & alterum Ciceronem dicere.

Quæſtio autem dialectica eſt quæſtio, &c. πρόβλημα δέ ἐστι διαλεκτικὸν θεώρημα, &c.) multi mirabuntur, me πρόβλημα quæſtioné dicere, & θεώρημα. hoc poſterius ſic Alexander exponit, ait enim θεώρημα idem valere quod ζήτησιν. Illud autem Cicero in Topicis, quo loco hunc totum locum imitatus eſt. Quæſtionum autem quacunque de re ſint, duo ſunt genera, vnum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis ſunt eæ quarum finis eſt ſcientia. vt ſi quæratur à naturáne ius profectum ſit, an ab aliqua quaſi condi-

tione



tione hominum & pactione. Actionis autem huiuſmodi exempla ſunt, Sitne ſapientis ad rem publi. accedere. Sed quoniam res rebus comparatæ facilius intelliguntur, libet hic totum locum Ariſtotelis afferre, πρόβλημα δ' ἐστὶ διαλεκτικὸν, θεώρημα τὸ συντεῖνον ἢ πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγήν, ἢ πρὸς ἀλήθειαν καὶ γνῶσιν, ἢ αὐτό, ἢ ὡς συνεργὸν πρός τι ἕτερον, &c. Sequitur deinceps, ἔνια γὰρ μὲν τῶν προβλημάτων χρήσιμον εἰδέναι πρὸς τὸ ἑλέσθαι ἢ φυγεῖν, οἷον πότερον ἡ ἡδονὴ ἀγαθὸν ἢ οὔ: ἔνια δὲ πρὸς τὸ εἰδέναι μόνον, οἷον πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος ἢ οὔ: ἔνια δὲ αὐτὰ μὲν καθ' αὑτὰ πρὸς οὐδέτερον τούτων, συνεργὰ δέ ἐστι πρός τινα τῶν τοιούτων. Cicero in Partitionibus hoc magis verbum ex verbo exprimit. Duo ſunt vt initio dixi, quæſtionum genera. Paulo infrà, Quamobrem prius de propoſito dicamus, cuius genera ſunt duo. Cognitionis alterum, eius ſcientia eſt finis, vt veríne ſint ſenſus? alterum actionis, quod refertur ad efficiendũ quid, vt ſi quæratur, quibus officiis amicitia colenda ſit. Paulo infra, Actionis autem duo ſunt genera, vnum ad perſequendum quid, aut declinandum, vt quibus rebus adipiſci gloriam poſsis: aut quomodo inuidia vitetur? alterum ad aliquod commodum vſúmque. Verbum enim ex verbo penè expreſsit, ἔνια γὰρ μὲν τῶν προβλημάτων χρήσιμα εἰδέναι πρὸς τὸ ἑλέσθαι ἢ φυγεῖν, vnum ad perſequendum quid, aut declinandum. Non igitur Latinè loquũtur Philoſophi morales, cum proſequi dicunt. Quæ autem ſit eorum locorum ſimilitudo & diſsimilitudo, intelligi poteſt. Simul etiam illud intelligitur, πρόβλημα quæſtionem dici.

Propoſitum autem, ſententia eſt admirabilis contráque opinionem omnium, Θέσις δέ ἐστιν ὑπόληψις παράδοξος.) Cicero θέσιν aliâs, propoſitum, aliâs conſultationem dicit, & ὑπόθεσιν modo cauſam omnino, modo cauſam cõtrouerſam. In Topicis, Quæſtionum duo ſunt genera, alterum infinitum. alterum definitum. Definitum eſt, quod ὑπόθεσιν Græci, nos cauſam: Infinitum quod θέσιν illi appellant, nos propoſitum poſſumus nominare. Cauſa certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus aut in pleriſq; eorum. Propoſitum autem in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Ibidem θέσιν, conſultationem appellat, quod haud ſcio an à quoquam ſit animaduerſum. Licebit igitur, diligenter cognitis locorum locis, non modo oratoribus & philoſophis, ſed iuris etiam peritis copioſe de conſultationibus ſuis diſputare. Quod ne quis improbet, proferam locum ex partitionibus, qui ſuperiori eſt ferè par & æqualis. Duo ſunt, vt initio dixi, quæſtionum genera, quorum alterum finitum temporibus & perſonis, controuerſam cauſam appello: alterum infinitum, nullis neq; perſonis neq; temporibus notatum, propoſitum voco. Sed eſt conſultatio quaſi pars cauſæ quædam & controuerſiæ. Ineſt enim infinitum in definito. Paulo infra ita concludit. Cognita igitur omni diſtributione propoſitarum conſultationum, controuerſarum cauſarum genera reſtant omnino. In quo loco θέσιν, non omnino conſultationem, ſed propoſitam cõſultationem vocauit. Multa in eandem ſententiam ſcribit in tribus libris de Oratore, multa in Oratore, quæ breuitatis cauſa omitto, & quod ſuperiores loci id de quo agitur, ſatis plane indicant. παράδοξα dicuntur à Cicerone ea quæ ſunt admirabilia, contráque opinionem omnium. Itaque hæc duo etiam coniunxi. In Paradoxis, Ego verò illa ipſa quæ vix in gymnaſiis & in otio Stoici probant, ludens conieci in cõmunes locos. Quæ quia ſunt admirabilia, contráq; opinioné omniũ, ab ipſis etiã παράδοξα appellantur.

Ac propoſitum quidem etiam quæſtio eſt, non omnis quæſtio propoſitum, ἐπεὶ μὲν οὖν καὶ θέσις πρόβλημα, οὐ πᾶν δὲ πρόβλημα θέσις.) Etſi ex hoc loco intelligitur

intelligitur

telligitur, πρόβλημα & θέσιν aliter intelligi ab Ariſtotele, atque à Cicerone quæſtionem & propoſitum (facit enim Cicero quæſtionem genus eſſe propoſiti) tamen ſatis eſt illud intelligi, quæſtionem πρόβλημα ab eo dici, & θέσιν propoſitum & conſultationem, quod etiam initio ſecundi libri planius faciam. In priore autem libro eorum qui ſunt de poſteriore arte iudicandi, θέσιν & ὑπόθεσιν aliter capit.

CAPVT X.

HIs autem expoſitis, deinceps quot ſint genera argumentationum Dialecticarũ dicẽdum eſt. Eſt autem vna, quæ Inductio, altera quæ ratiocinatio nominatur, (διωρισμένων δὲ τούτων χρὴ διελέσθαι πόσα τῶν λόγων εἴδη τῶν διαλεκτικῶν, ἔστι δὲ τὸ μὲν ἐπαγωγὴ, τὸ δὲ συλλογισμός.) λόγον hic dici oportere non orationem, neque rationem, neque ſermonem, ſed argumentationẽ hinc intelligi licet: quòd ſi eorum vocabulorum alicui has duas partes ſubiiciamus, inſcientiſsimè faciemus. Itaque Cicero in 1. de Inuentione libro hanc etiam fecit diuiſionem: Omnis igitur argumentatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem. Atque συλλογισμὸν, vt omnes Ciceronis libros euoluas, ratiocinationem dici niſi in libris de Inuentione non reperies. Quod ſupra admonui.

CAPVT XIII.

VOx enim & clara & fuſca dicitur, itémque color albus & niger. Non igitur nomine diſcrepant, φωνὴ γὰρ λευκὴ καὶ μέλαινα λέγεται, ὁμοίως δὲ χρῶμα. τοῖς μὲν οὖν ὀνόμασιν οὐδὲν διαφωνεῖ. Quoniam vox alba & vox nigra, ñ dicitur Latine, hoc loco aliter eſt atque dicit Ariſtoteles. Quę repugnantia cùm non ſit apud Ariſtotelem, ſit autem in his libris eius quos in Latinum conuertimus, ego ſcilicet culpandus venio, quaſi corruptor librorum. Ego verò omnino hunc locum prætermiſiſſem, aut libenter verba reliquiſſem quorum neceſſario faciundum alterutrum eſt, & feci iam multis locis, niſi id ex hoc vno loco qui primus eſt, omnes cognoſcere & intelligere maluiſſem. Quòd ſi dixiſſem vocem albam & nigram, ſenſus ille quidem integer, at latina non fuiſſet oratio. Dicimus enim vocem claram & fuſcam.

CAPVT XIIII.

LOcos autem, ad quorum vſum hæc accommodanda ſunt, deinceps trademus, (οἱ δὲ τόποι πρὸς οὓς χρήσιμα τὰ λεγόμενα, οἵδε εἰσίν.) Cicero quoties de locis ex quibus argumẽta eruuntur, loquitur, eorum Ariſtoteli aſsignat inuentionem. Et quoniam deinceps Ariſtotelis locos quorum inuentionẽ ei tribuit Cicero, eſt traditurus, libet hic quibus libris ea Cicero commemoret, docere. In Topicis, vt igitur earum rerum quæ abſconditæ ſunt demonſtrato & notato loco, facilis inuentio eſt: ſic cùm peruestigare argumentum aliquod volumus, locos noſſe debemus. Sic enim appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes, è quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire locum eſſe argumenti ſedem. Hi autem loci qui ab Ariſtotele his libris traduntur, quàm vtiles ſint & philoſophis & oratoribus, docet in 2. de Oratore, hoc modo, Sed Ariſtoteles is quem maxime admiror, propoſuit quoſdam locos ex quibus omnis argumentatio non modo ad philoſophorũ diſputationem, ſed etiã ad hanc qua in cauſis vtimur, inueniretur. In Oratore loquens de eo, Idémque locos (ſic enim appellat) quaſi argumentorum notas tradidit, vnde omnis in vtranque partem traheretur oratio. Multa de iis ſcribit in eandem ſententiam aliis libris. Sed miror Ciceronẽ, cum ex his libris ad diſputationem Oratorum argumentationem inueniri trahiq; dicat, non vſum fuiſſe eadem diuiſione locorum in Topicis præ-

ſertim



ſertim, qua Ariſtoteles his libris vtitur, ſed ea potius quàm ille in 1. de Arte rhetorica libro tradidit. Ariſtoteles enim his libris, quatuor proponit quædam genera, quæ nõ ſunt propoſitiones neq; quęſtiones, quæ eiuſmodi eſſe ait, de quibus omnis inſtituatur oratio & diſputatio. Itaq; vocat locos accidentis, vel ex accidẽte, ex genere, ex proprio, ex definitione. Cicero autẽ in Topicis, locorũ facit duo genera, & partes plures generũ ſingulorũ. Sed ex his locis in quibus argumẽta incluſa ſunt, alij in eo ipſo de quo agitur, hærent, alij aſſumuntur extrinſecus. Tum diuidit hæc duo genera in plures partes. Eadẽ vtitur diuiſione in Partitionibus, & in Oratore pluribus locis, in quibus omnibus illam quę eſt apud Ariſtotelẽ in 1. de Arte rhetorica, ſequutus eſt partitionẽ, τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν, αἱ δὲ ἔντεχνοι. ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι᾽ ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἷον μάρτυρες, βάσανοι, συγγραφαί. ἔντεχνα δὲ ὅσα διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι᾽ ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν, ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι, τὰ δὲ εὑρεῖν. Sed quoniã hũc locũ totũ penè verbũ ex verbo expreſsit Cicero in 2. de Orato. lib. vt infinitos alios, non erit alienũ hic eum ſubiicere. Ad probandũ autẽ duplex eſt oratori ſubiecta materies, vna rerũ earũ quæ nõ excogitantur ab oratore, ſed in re propoſita ratione tractantur: vt tabulæ, teſtimonia, pacta, cõuenta, quæſtiones, leges, ſenatuſconſulta, res iudicatæ, decreta, reſponſa, & reliquæ ſi quæ ſunt, quæ nõ ab oratore pariuntur, ſed ad oratorẽ à cauſa atq; è reis deferuntur. Altera eſt, quæ tota in diſputatione & argumẽtatione oratoris collocata eſt. Ita in ſuperiore genere de tractandis argumẽtis, in hoc autẽ etiã de inueniendis cogitandum eſt. Quo ex loco facile perſpici poteſt, ita in concluſione valere idem quod ὥστε. Illud etiã quod ſæpe vſurpaui in his libris transferendis, quódq; haud ſcio an quiſquã adhuc animaduertit, Tractare argumẽta & argumẽtationẽ eſſe Græce χρήσασθαι τοῖς ἐπιχειρήμασι, καὶ ταῖς πίστεσι. χρῆσιν autẽ vſum licebit dicere. Itaq; Quintilianus caput facit de vſu argumentorum. Cicero vocat tractationẽ, cui verbo apud Græcos par eſt σκέψις: In 3. huius operis, διχῶς δὲ ἀπὸ τοῦ ἕπεσθαι ἡ σκέψις, καὶ γὰρ πρότερον καὶ ὕστερον ἕπεται. Quis enim erit ſenſus, ſi dicas, dupliciter à conſequentibus fit cõſideratio? Dicendũ eſt igitur, Duplex eſt autẽ loci ex cõſequentibus tractatio. Itaq; σκέπτεσθαι, σκοπεῖν, ὁρᾶν, & ſi qua ſunt ſimilia, ſępe in his libris verto, ducere, elicere, trahere argumẽta, ὁρᾶν id ſignificare vel hic locus qui eſt in 3. indicat, ἔτι ὅταν δύο τινὰ ᾖ σφόδρα ἀλλήλοις παραπλήσια, καὶ μὴ δυνώμεθα ὑπεροχὴν μηδὲ μίαν συνιδεῖν τοῦ ἑτέρου πρὸς ἕτερον, ὁρᾶν ἀπὸ τῶν παρεπομένων. Nam ſequitur loci tractatio, ᾧ γὰρ ἕπεται μεῖζον ἀγαθὸν, τοῦθ᾽ αἱρετώτερον. σκοπεῖν idẽ valere ex hoc loco 2. lib. perſpici poteſt, μὴ εὐποροῦντι δὲ ἐπιχειρήματος πρὸς τὴν θέσιν, σκοπεῖν ἐκ τῶν ὁρισμῶν. Sed vt ad rem redeã, miror inquã Ciceronẽ in Topicis præſertim quę dum ſcriberet hos ſibi libros propoſuit, non ea vſum eſſe diuiſione locorũ, quã Ariſtotelẽ adhibere animaduerteret. Ariſtoteles quidẽ alterum genus quod vocat ἄτεχνον, ab hac arte reiecit, quã his libris tradit: vnũ, quod dialectici arte paritur, retinuit. Idémq; quicquid de eo quod in diſputationẽ incideret diceretúrve, id omne nominibus certis appellauit. Quatuor enim numero eſſe voluit, genus, propriũ, definitionẽ, & accidens. Cicero autem & vtrunq; genus, vt intelligi potuit, retinuit: & id quod cõueniret ei de quo ageretur, vel quęreretur, vel diſſereretur, nullo certo appellauit nomine. Ita fit, vt Cicero vnũ tantũ locorũ ordinẽ diſpoſuerit, eum quẽ ad id de quo ageretur, accõmodari oporteret. Ariſtoteles qui quatuor nominibus id quod cõueniret ei de quo ambigi poſſet, declaraſſet, parẽ ordinẽ locorũ iis rebus quæ iis de quibus ageretur, cõuenirent, neceſſe habuit diſponere. Nam cum hoc

primo libro quicquid ei de quo quæreretur, quod ſubiectum Dialectici appellant, conueniret, id omne vno aliquo illorũ quatuor contineri, & inductione & ratiocinatione quæ per enumerationem tractatur, concluſiſſet, locos deinceps ex quibus argumenta nobis ſuppetant ad quatuor illa probanda conuenire, aut nõ conuenire rei de qua ageretur proponere debuit.

## ANNOTATIONES IN LIBRVM SECVNDVM. CAP. I.

Q Væſtiones autẽ partim vniuerſæ ſunt, partim ſingulæ. vniuerſæ ſunt hæ, Omnis voluptas in bonis eſt. Nulla voluptas in bonis eſt. Singulę hę, Eſt quędã voluptas in bonis. Quędã voluptas nõ eſt in bonis. Vtrũq; aũt gen⁹ quæſtionũ vniuerſis quæſtionib⁹, q̃ & ad cõfirmãdũ & ad infirmãdũ valẽt, cõtinetur. Si enim docuerimus aliquid in totũ genus cadere, etiã in partẽ aliquã cadere oſtenderimus, &c. ἔστι δὲ τῶν προβλημάτων τὰ μὲν καθόλου, τὰ δὲ ἐπὶ μέρους, καθόλου μὲν οὖν, ὅτι πᾶσα ἡδονὴ ἀγαθὸν, καὶ ὅτι οὐδεμία ἡδονὴ ἀγαθόν. ἔστι δὲ πρὸς ἀμφότερα τὰ γένη τῶν προβλημάτων κοινὰ τὰ καθόλου κατασκευαστικὰ καὶ ἀνασκευαστικὰ, δείξαντες γὰρ ὅτι παντὶ ὑπάρχει, καὶ ὅτι τινὶ ὑπάρχει, δεδειχότες ἐσόμεθα.) Cicero in Oratore hunc locũ magna ex parte conuertit. Latius enim de genere quàm de parte diſceptare licet, vt quod in vniuerſo ſit probatũ, id in parte nõ ſit probari neceſſe. Hæc igitur quæſtio à propriis perſonis & tẽporibus ad vniuerſi generis orationẽ traducta appellatur θέσις. In hac Ariſtoteles adoleſcentes, non philoſophorũ morẽ tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorũ in vtranq; partẽ vt ornatius & vberius dici poſsit, exercuit. Vocat ergo Cicero τὸ καθόλου, vniuerſum genus, & τὸ ἐπὶ μέρους, partẽ generis, & τὸ πρόβλημα τὸ καθόλου, vniuerſi generis quęſtionem, & δεικνύναι probare, δεικνύναι ὅτι παντὶ ὑπάρχει, probare aliquid in toto & vniuerſo genere, δεικνύναι ὅτι τινὶ ὑπάρχει, probare aliquid in parte. Quod autẽ Cicero dicit, Traducere quæſtionẽ à ꝓpriis perſonis & tẽporibus ad vniuerſi generis orationẽ, Ariſtoteles ait, φεύγει ἐπὶ τὸ καθόλου φέρειν τοὺς συλλογισμούς. In 7. lib. huius operis αὐτοῦ δ᾽ ὅτι μάλιστα φεύγει ἐπὶ τὸ καθόλου φέρειν τοὺς συλλογισμοὺς, ἀεί τε δεῖ σκοπεῖν, τοὺς λόγους, εἰ ἐπὶ πλειόνων κοινῶν διαλέγονται. Sequitur locus alter quẽ Cicero multis locis expreſsit, πάντες γὰρ οἱ ἐν μέρει, καὶ καθόλου διειλεγμένοι εἰσὶ, καὶ εἰ ἔστιν ἐν τῇ κατὰ μέρος, ἡ τοῦ καθόλου ἀπόδειξις, διὰ τὸ μὴ εἶναι συλλογίσασθαι μηδὲν ἄνευ τῶν καθόλου. In partitionibus loquẽs de generibus quæſtionũ, Sed eſt inquit, cõſultatio quaſi pars cauſæ quædam, & cõtrouerſiæ. Ineſt enim infinitũ in definito, & ad illud tamẽ referuntur omnia. Hoc dicit ſæpe Cicero, propoſitũ eſſe partẽ cauſæ, cùm cõtra videatur. Quod ſupra dixit Ariſtoteles φέρειν εἰς τὸ καθόλου, verbũ è verbo penè dicit Cicero in 3. de Oratore, Cõferre ſe ad vniuerſi generis vim. Ornatiſsimæ ſunt igitur orationes eæ quæ latiſsimè vagantur, & à priuata ac ſingulari cõtrouerſia ſe ad vniuerſi generis vim explicandã cõferunt atq; conuertũt. Traducere autẽ ad vniuerſi generis quæſtionẽ, ἄγειν ἐπὶ τὸ καθόλου. θέσιν autẽ idẽ valere apud Ariſtotelẽ interdũ, quod πρόβλημα, ipſe hoc libro dicit. Hãc autem diuiſionũ quæſtionẽ, qua hic vtitur Ariſtoteles, à Cicerone in Topicis vſurpatã puto his verbis, Quæſtionũ duo ſunt genera, alterũ infinitũ, alterũ definitũ. Definitũ eſt quod ὑπόθεσιν Græci, nos cauſam: Infinitũ, quod θέσιν illi appellant, nos propoſitũ poſſumus nominare. Nã quas vocat Ariſtoteles quęſtiones προβλήματα τὰ καθόλου, ſunt θέσεις: quas τὰ ἐπὶ μέρους, ſunt ὑποθέσεις.

Nihil enim horũ poteſt aliqua ex parte cõuenire, οὐδὲν γὰρ τούτων ἐνδέχεται κατά τι ὑπάρχειν.) Docui in li. de Interpretatione, quod barbarè dicerẽt philoſophi, ſecũdũ quid, vt Petrus eſt albus ſecũdũ quid, dici à Cicerone, quadã ex parte





ex parte, & ab Ariſtotele κατά τι: cuius contrarium eſt καθόλου, quod Cicero diceret omnino & totũ. Hoc etiã καθόλου vt eſt aduerbiũ, Cicero exponit ex omni genere. In 2. de Inuẽtione, Stultitia eſt immẽſę glorię cupiditas, eſt hęc quidẽ ſtultitia, ſed ex parte quadã, non ex omni genere definita. Illud ergo κατὰ ferè ex dici debet, cùm accuſandi caſum habet quod alio loco docui.

Sæpe enim tradita definitione non intelligimus quod quęritur, πολλάκις οὖν μὲν τοῦ λόγου ἀποδοθέντος, οὐ δῆλον τὸ ζητούμενον.) τὸ ζητούμενον Cicero dicit & id quod quæritur, & id de quo quæritur. Raro Ariſtoteles hoc verbo vtitur in hac re, προκείμενον dicit ſæpius, quod verbum Cicero aliàs id quod agitur, aliàs id de quo agitur, aliàs id de quo ambigitur. In Topicis, Sed ex his locis in quibus argumẽta incluſa ſunt, alij in eo ipſo de quo agitur hęrẽt, alij aſſumũtur extrinſecus. τὸ κρινόμενον ſic exponit in eodẽ libro, ſed quòd ad Trebatiũ Iuriſperitũ ſcriberet, Sed quæ ex ſtatu cõtentio efficitur, eã Gręci κρινόμενον vocãt, mihi placet id, quoniã quidẽ ad te ſcribo, qua de re agitur, vocari. Niſi fortè hoc totũ, Qua de re agitur verbũ eſt Iuriſperitorũ, κρινόμενον oratorũ, &, προκείμενον philoſophorũ. Nam κρινόμενον in 2. de Oratore appellat id quod in iudiciũ venit. Nulla deniq; eſt cauſa, in qua id quod in iudicium venit, ex reorũ perſonis, ac non generũ ipſorũ vniuerſa diſputatione quæratur. Itaq; τὸ ζητούμενον interdũ id quod vocatur in quæſtionẽ nominat, & προκείμενον, id quod incidit in diſputationẽ. τὸ προκείμενον vocat etiã rem quæ propoſita eſt. In Topicis, Atq; etiã definitiones alię ſunt partitionũ, alię diuiſionũ, partitionũ, cùm res ea quæ propoſita eſt quaſi in mẽbra diſcerpitur.

Primum videndũ eſt, an id quod alio modo dicitur, pro accidenti explicarit, quod peccatũ in genere verſatur maxime, Εἷς μὲν δὴ τόπος, τὸ ἐπιβλέπειν εἰ τὸ κατ᾽ ἄλλον τινὰ τρόπον ὑπάρχον, ὡς συμβεβηκὸς ἀποδέδωκεν, ἁμαρτάνεται δὲ μάλιστα τοῦτο περὶ τὰ γένη.) Quoniã ſupra Ariſtoteles dixit ſe velle tradere locos ex quibus propoſita quacunq; re ad diſputandum, argumẽta depromemus ad eam probandã aut refellendã, quoniã docuit quatuor eſſe de quibus omnis inſtitueretur diſputatio, in hoc ſecũdo libro inſtitutũ ſuũ perſequitur, ac primũ accidentis locos tradit. Quoniámq; ſuprà dixi Ariſtotelẽ coactum eſſe ob ei cauſam quatuor locorũ ordines qui ad quatuor illa genera adhiberentur, proponere, Ciceronẽ autem vnum ſolũ, hic libet ſigillatim vtriuſq; locos inter ſe conferre, vt quid Cicero ab Ariſtotele mutuatus ſit in Topicis, qua in re ab illo diſceſſerit, intelligatur. Quod niſi in hoc ſecundo, & proximo non inſtitui facere. Nã principio quarti lib. ipſe Ariſtoteles de iis ſe profitetur eſſe dicturũ, quæ raro incidunt in diſputationẽ. Tradit enim elementa definiẽdi. Cicero autẽ nihil aut certe perpauca ex iis libris mutuatus eſt. Locus igitur quẽ hic tractat Ariſtoteles, ex genere dicitur, qui quidem ſolũ ad refellendũ valet. Et quoniã paulo infra locum generis tradet eum qui ad confirmandum valebit, eo loco aptius id fieri poſſe iudico.

Alter locus eſt, Si videas, id quod dictũ eſt, in totũ genus cadat: an in partẽ nullam. Quod in formis videndũ eſt, non in infinitis. Sic enim via & ratione tradetur, in paucioribúſq; cõſiſtet tractatio, &c. ἄλλος τόπος, τὸ ἐπιβλέπειν οἷς ὑπάρχειν, ἢ πᾶσιν ἢ μηδενὶ εἴρηται, σκοπεῖν δὲ κατ᾽ εἴδη, καὶ μὴ ἐν τοῖς ἀπείροις. ὁδῷ γὰρ μᾶλλον καὶ ἐν ἐλάττοσιν σκέψις, &c.) Hunc locũ vocat Cicero ex partibus totius, & ab enumeratione. In Topicis, Sed ad id totũ de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, &c. tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo. Si neq; cenſu, neq; vindicta, neq; teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: neq; eſt vlla earũ rerum, non eſt igitur liber. Cicero quidẽ quia ad Trebatiũ Iuriſperitũ ſcribebat, è iure exempla petenda cenſuit. Ariſtoteles

autem quia locus dialecticorū & philoſophorū tradebat, eorū etiam exemplis vſus eſt. Quemadmodū ergo in propoſito exemplo illa intētio ſeu propoſitio intelligitur, Titius eſt liber, ſic hoc loco Ariſtoteles cauſam diſſerendi hanc ſubiicit, Scientia verſatur in cōtrariis rebus. Et quoniā contrariorū multæ ſunt partes, monet, vt in aliquáne parte, an in nulla ita reperiatur videamus. Sic ergo Cicero ſi philoſophorū vſus fuiſſet exemplis aut ad philoſophū Topica inſcripſiſſet, hunc locū hoc modo tractare potuiſſet, Si ars aut ſcientia nec in iis quæ cum aliquo conferuntur, neque in aduerſis, neq; in aientibus & negantibus, neq; in priuantibus verſatur, ars eadem in contrariis non verſatur: nulla autē eſt earū rerum, non verſatur igitur ars eadem in rebus contrariis. Quòd ſi, inquit, propoſitio negetur, & in aduerſis eadem verſari dicatur aut in aliis tum aduerſa alias in partes, etiā vſque ad indiuiduas tribuēda ſunt. De aduerſis hoc modo, Si neq; in rebus iuſtis, neq; in iniuſtis verſatur, &c. Ariſtoteles quidem ait hunc locū & ad confirmandū quid, & ad infirmandū valere. Cicero neq; ait neq; negat, ſed ſuperius tantummodo exemplū proponit, quod quidē ſolū ad refellendū valet. Quod autem præcipit Ariſtoteles his verbis quæ ſubieci, σκοπεῖν δὲ κατ' εἴδη, καὶ μὴ ἐν τοῖς ἀπείροις, &c. id puto adumbraſſe Ciceronē in Topicis, Diuiſione autē ſic vtendū eſt, nullā vt partē relinquas, vt ſi partiri velis tutelas, inſcienter facias, ſi vllā prætermittas. At ſi ſtipulationū aut iudiciorū formas partiare, non eſt vitioſum in re infinita prætermittere aliquid: quod idē in diuiſione vitioſum eſt. Formarū enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubiiciantur. Partiū diſtributio ſæpe eſt infinitior, tanquam riuorum à fonte deductio. Facit his verbis intereſſe aliquid inter diuiſionem & partitionem. Diuiſioni formas ſubiicit quæ certæ ſint: partitioni partes. Itaq; Ariſtoteles dixit, σκοπεῖν κατ' εἴδη, (εἴδη autē formas Cicero nominat) καὶ μὴ ἐν ἀπείροις, quales ſunt partes formarum, id eſt indiuidua. Itaque Ariſtoteles multis locis τὰ καθέκαστα, id eſt res ſingulas, vocat τὰ κατὰ μέρος ἢ μέρη & μερίζω partior eſt Latine.

Alius locus dicitur ex definitione accidentis, & rei cui accidit, vel vtriuſque, vel alterius. In quo id cōſyderandū eſt, num quid in definitionibus nō verū pro vero ſumptū ſit. veluti ſi quęratur. Deúſne iniuriā faciat, conſtituendū eſt quid ſit iniuriā facere: &c. ἄλλος, τὸ λόγους ποιεῖν τοῦ τε συμβεβηκότος καὶ ᾧ συμβέβηκεν, ἢ ἀμφοτέρων καθ' ἑκάτερον, ἢ τοῦ ἑτέρου. εἶτα σκοπεῖν, εἴ τι μὴ ἀληθὲς ἐν τοῖς λόγοις ὡς ἀληθὲς εἴληπται. οἷον, εἰ ἔστι θεὸν ἀδικεῖν, τί τὸ ἀδικεῖν.) Locus hic ex definitione appellatur. Cicero in Topicis, Sed ad id totū de quo diſſeritur tum definitio adhibetur quæ quaſi inuolutum euoluit id de quo quęritur. Eius argumenti talis eſt formula, Ius ciuile eſt æquitas conſtituta iis qui eiuſdē ciuitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. Eius autē æquitatis vtilis eſt cognitio, vtilis eſt ergo iuris ciuilis ſcientia. Hoc exemplū valet ad probandū iuris ciuilis vtilē eſſe ſcientiā, ſi id quæratur, aut ſi negetur. Quod ad locum hunc Ariſtotelis transferri licet. vt ſi quęratur, Deúſne iniuriā faciat, aut id ponatur, conſtituendū eſt quid ſit iniuriā facere hoc modo, Iniuriā facere, eſt ſponte & voluntate ſua nocere: Deus autē nocere non poteſt, Deus igitur iniuriā facere non poteſt. Eodē modo ſi ponatur ſapiens inuidus eſſe, ſic conſtituendū eſt quid ſit inuidia, & quis inuidus. Inuidia eſt ægritudo ex rebus ſecundis alicuius boni viri. Non cadit autē eiuſmodi perturbatio in ſapientē. Nō eſt igitur ſapiens inuidus, vel, ne inuidia quidē igitur cadit.

Vt autē cōtraria in eadē re cerni doceamus, genus ſpectare debemus. veluti ſi volumus cōfirmare in ſenſu verſari integritatē & deprauationem: Si ſentire iudicare eſt, & iudicare licet rectè & non rectè: certe in ſenſu integritas & prauitas verſetur neceſſe eſt. Qui locus ex genere ducitur. Iudicare enim genus eſt ſentiēdi, quoniā qui ſentit, quodāmodo iudicat. πρὸς δὲ τὸ δεῖξαι τἀναντία τῷ αὐτῷ ὑπάρχοντα, σκοπεῖν ἐπὶ τοῦ γένους. οἷον εἰ βουλόμεθα δεῖξαι ὅτι ἐστὶ περὶ αἴσθησιν ὀρθότης καὶ ἁμαρτία, τὸ δὲ αἰσθάνεσθαι κρίνειν ἐστί. κρίνειν δέ ἐστιν ὀρθῶς καὶ μὴ ὀρθῶς, καὶ περὶ αἴσθησιν ἂν εἴη ὀρθότης καὶ ἁμαρτία: νῦν μὲν οὖν ἐκ τοῦ γένους περὶ τὸ εἶδος ἡ ἀπόδειξις. τὸ γὰρ κρίνειν γένος τοῦ αἰσθάνεσθαι, ὁ γὰρ αἰσθανόμενος κρίνει πως. Hic loc⁹ à genere ducitur: ſed ſolū ad vnā rē valet. Cicero hūc tractat hoc modo in Topicis, A genere ſic ducitur, Quoniā argentū omne mulieri legatū eſt, nō poteſt ei pecunia quæ numerata domi relicta eſt, nō eſſe legata. Forma enim à genere quoad nomē ſuū retinet, nūquā ſeiungitur. Numerata autē pecunia nomē argēti retinet, legata igitur videtur. In hoc exēplo intelligitur hæc quæſtio. Num pecunia numerata ſit legata mulieri? Proponamus igitur licet cauſam diſſerēdi quā Ariſtoteles ponit, vt tractemus argumentationem, An integritas & prauitas in ſenſu verſentur? Sic ducetur à genere argumētatio: Quoniā iudicare licet integrè & corruptè, ſentire etiā licet integrè & corruptè: Sentire enim iudicare eſt: Iudicare autē licet integrè & corruptè: Sentire igitur integrè & corruptè licet. Vel hoc modo, Iudicare integrè & corruptè licet. Sentire autem iudicare eſt, Sentire igitur licet integrè & corruptè. Hoc loco illud monebo, quoniā in tractāda argumētatione apud Ciceronē inueniri tantummodo in ſuperiori exemplo, quod ab Ariſtotele mutuatus eſt, apud quē ἐπεὶ in argumētis ſcriptū eſt ſæpiſsime. In 5. quidē libro omnibus propè argumētis adhibetur, & οἷον præponitur, quod verbū variis modis vt Cicero, interpretatus ſum, aliâs, hoc modo: aliâs, ſic modo, Eius loci tractatio eſt talis: Cuius loci argumentū eſt eiuſmodi. Cicero in Topicis, Tū partiū enumeratio, quæ tractatur hoc modo, Si neq; cenſu, &c. Tum notatio, cum ex vi verbi argumentū aliquod elicitur, hoc modo, Cum lex Ælia, &c. Hæc verborū cōiugatio συζυγία dicitur, ex qua huiuſcemodi eſt argumentū, Si cōpaſcuus eſt ager, &c. A genere ſic ducitur, Quoniā omne argentū. Ego, quoniā plenus eſt quintus liber huiuſcemodi exemplorū, vnum tantū proferēdū putaui, ἔπειτα ἐκ τῶν ἀντικειμένων σκεπτέον ἐστί. πρῶτον μὲν ἐκ τῶν ἐναντίων, ἀνασκευάζοντα μέν, εἰ τοῦ ἐναντίου μὴ ἔστι τὸ ἐναντίον ἴδιον: οὐδὲ γὰρ τοῦ ἐναντίου ἔσται τὸ ἐναντίον ἴδιον. οἷον, ἐπεὶ ἐναντίον ἐστὶ δικαιοσύνη μὲν ἀδικίᾳ, τῷ βελτίστῳ δὲ τὸ χείριστον, οὐκ ἔστι δὲ τῆς δικαιοσύνης τὸ βέλτιστον ἴδιον, οὐκ ἂν εἴη τῆς ἀδικίας τὸ χείριστον ἴδιον: Sic ego, Ex contrariis multa argumenta in vtranq; partem elici poſſunt. Primum ex contrariis quæ aduerſa dicuntur, erit in refutatione, quando contrarij non eſt contrarium proprium: neque enim contrarij contrarium futurum, hoc modo: Si iuſtitia iniuſtitiæ contraria eſt, & optimo id quod eſt deterrimum: iuſtitiæ autem optimum non eſt proprium: non erit iniuſtitiæ quod deterrimum eſt, proprium.

A forma etiā generis duci poteſt, Quæ enim ſpeciei accidunt, eadē etiā in genere intelliguntur omnia, hoc modo: Si ſcietia bona eſt & mala, affectio etiā recta ſit & praua neceſſe eſt: ſiquidē affectio genus eſt ſcietiæ. Ac prior quidē locus vitioſus eſt, ſi ad confirmandū adhibeatur, alter verus & commodus. neq; enim neceſſe eſt, quæcunq; generi accidant, eadē ſpeciei accidere. quandoquidē animal eſt penniger & quadrupes, homo nō item. Omnia autē quæ cadunt in ſpeciē, eadē neceſſe eſt cadere in genus. Si enim homo ſit probus, animal etiā probū. In refellendo contrà prior locus verus eſt, alter vitioſus. Nam & quæ generi non accidunt, ſpeciei accidere non poſſunt: & quæ in ſpeciem non cadunt, ea non neceſſe in genus non cōue-

nire. πάλιν δ' ἐκ τοῦ εἴδους τῷ γένει. ὅσα γὰρ τῷ εἴδει ὑπάρχει, καὶ τῷ γένει. οἷον, εἰ ἔστιν ἐπιστήμη φαύλη, καὶ σπουδαία καὶ διάθεσίς ἐστι φαύλη, καὶ σπουδαία. ἡ γὰρ διάθεσις, τῆς ἐπιστήμης γένος. ὁ μὲν οὖν πρότερος τόπος ψευδὴς εἰς τὸ κατασκευάσαι, ὁ δὲ δεύτερος, ἀληθής. οὐ γὰρ ἀναγκαῖον, ὅσα τῷ γένει ὑπάρχει, καὶ τῷ εἴδει ὑπάρχειν. ζῶον μὲν γάρ ἐστι πτηνὸν καὶ τετράπουν, ἄνθρωπος δ' οὔ, ὅσα δὴ τῷ εἴδει ὑπάρχει, ἀναγκαῖον καὶ τῷ γένει. εἰ γάρ ἐστιν ἄνθρωπος σπουδαῖος, καὶ ζῶόν ἐστι σπουδαῖον. πρὸς δὲ τὸ ἀνασκευάζειν, ὁ μὲν πρότερος ἀληθής, ὁ δὲ δεύτερος ψευδής. ὅσα γὰρ τῷ γένει οὐχ ὑπάρχει, οὐδὲ τῷ εἴδει: ὅσα δὲ τῷ εἴδει μὴ ὑπάρχει, οὐκ ἀναγκαῖον τῷ γένει μὴ ὑπάρχειν.) Hunc locum Cicero à forma, Quintilianus à ſpecie appellat. Et quoniã Quintil. lib. 5. hũc locũ magna ex parte expreſsit, eius verba ſubiiciẽda cenſui: Genus ad probandĩ ſpeciẽ minimũ valet, plurimũ ad refellendã. Itaq; nõ quia eſt arbor, platanus eſt: at quod nõ arbor, vtiq; platanus nõ eſt. Nec quod nõ eſt virtus, vtiq; põt eſſe iuſtitia. Paulo infrà, Cõtrà ſpecies firmã probationẽ habet generis, infirmã refutationẽ. Nã quod iuſtitia eſt, vtiq; virtus eſt: quod nõ eſt iuſtitia, põt eſſe virtus: vt ſi eſt fortitudo, continẽtia, conſtãtia. Nunquã itaq; tolletur à ſpecie genus, niſi oẽs ſpecies quæ ſunt generi ſubiectę, remoueãtur, hoc modo: Quod neq; immortale eſt neq; mortale, animal nõ eſt. Hæc quidẽ ille. Cicero autẽ in Topicis tractãs argumentũ à forma, relicto eo exemplo, quod ad hũc locũ pertinet, alterũ quod ad proximũ locũ ſpectat, ſubiicit. Scribit eñ his verbis, A forma generis, quæ interdũ quo planiꝰ accipiatur, partes enumerare licet, hoc modo: Si ita Fabię pecunia legata eſt à viro, ſi ea vxor materfamiliâs eſſet, ſi ea in manũ viri nõ cõuenerat, nihil debetur. Genus eſt enim vxor: eius duæ formæ, vna matrũfamiliâs, hæ ſunt quę in manũ conuenerũt: altera earũ quę tantũmodo vxores habẽtur. Qua in parte cũ fuerit Fabia, legatũ ei nõ videtur. Hæc Cicero. Vt autẽ ad hũc locũ pertineat, tractari põt, vt ex forma genus cõcludatur, hoc modo: Si materfamiliâs honeſta eſt & improba, vxor etiã honeſta eſt & improba. Eſt enim vxor matriſfamiliâs genus. Et locus eſt, Quæ formæ cõueniunt, ea etiã generi cõuenire debent. Ariſtotelis planus eſt locus, Si ſcientia bona eſt & mala, etiam affectio bona & mala eſt. Cicero igitur reliquit exemplum huius loci propriũ, quod ipſe indicat, cùm ait, A *forma generis: quæ interdum quo planius accipiatur, partes enumerare licet.* Cũ enim addit illud interdũ, profecto dat ſignificationem crebrioris tractationis, quã hoc loco Ariſtoteles adhibuit.

Quoniam autẽ neceſſe eſt, *in quibus genus dicitur, in iis etiã ſpeciẽ aliquam dici, quæcunq; etiam genus habent, aut quæ à genere nomen duxerunt, eadem etiã ſpeciem aliquã retineant neceſſe eſt, aut nomen ab aliqua ſpecie ducãt: veluti, ſi de aliquo ſcientia dicatur, certè de eodẽ vel grãmatica dicetur, vel muſica, vel aliqua ſciẽtia, &c.* ἐπεὶ δ' ἀναγκαῖον, ὧν τὸ γένος κατηγορεῖται, καὶ τῶν εἰδῶν τι κατηγορεῖσθαι: καὶ ὅσα ἔχει τὸ γένος, ἢ παρωνύμως ἀπὸ τοῦ γένους λέγεται, καὶ τῶν εἰδῶν τι ἀναγκαῖον ἔχειν, ἢ παρωνύμως ἀπό τινος τῶν εἰδῶν λέγεσθαι. οἷον εἴ τινος ἐπιστήμη κατηγορεῖται, καὶ γραμματικὴ ἢ μουσικὴ, ἢ τῶν ἄλλων τις ἐπιστημῶν κατηγορηθήσεται.) Locus hic à genere ducitur ex toto perſequẽdo partes. Sic enim à Cicerone appellatur. In Topicis, Cõmode etiã tractatur hæc argumẽtatio, quæ ex genere ſumitur, cũ ex toto perſequare partes, hoc modo, Si dolus malus eſt, cũ aliud agitur, aliud ſimulatur, enumerare licet quibus id modis fiat, deinde in eorũ aliquẽ id quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumẽti in primis firmũ videri ſolet. Exemplũ etiã quod de legata pecunia ſupiore loco à Cicerone ſumptũ ſubieci, eandẽ vim habet, vt mihi quidẽ videtur. Perſequitur eñ ex toto & genere partes per enumerationẽ. Suſcipit hoc ꝓbandũ, Fabię nihil de pecunia legata ex teſtamẽto



mẽto deberi. Quòd planiꝰ dicet hoc modo, *Si Fabię vxori ex teſtamẽto debetur pecunia legata à viro, Fabia materfamiliâs eſt: Nõ eſt aũt Fabia materfamiliâs, nihil igit ei de legata pecunia à viro ex teſtamẽto deberi videt.* Ita tractatus locus ad ſuperiorẽ pertinet. Partes ſic enumerarẽ licet, Si Fabię pecunia legata à viro debet, aut quia vxor eſt tantũmodo, aut quia materfamiliâs: nõ quia tantũmodo vxor, quoniã ex teſtamẽto debetur ei quæ ſit materfamiliâs: nec quia materfamiliâs, cũ in ea parte nõ fuerit Fabia: nihil igitur ei deberi videtur. Quanquã in ſuperiore partes intelliguntur. Cicero quidẽ hũc locũ ad confirmationẽ trãſtulit, neq; tamẽ, an in hanc ſolũ partem an ne in vtranq; valeat explicauit. *Ariſtoteles autẽ hunc valere locum in vtranq; partẽ ait.* Tractemus igitur id quod ſuſcipit refellendũ. Animum non moueri. Si animus nec creſcit, nec imminuitur, nec oritur, nec interit, nec immutatur, *nec locũ mutat*, nõ mouetur: Nõ *agitatur autẽ vllo horum generum*: *Non igitur mouetur*. Propoſitio etiã hæc eſſe poteſt in illa argumentatione, Si animus mouetur, is aut creſcit, aut imminuitur, aut, &c.

*Videndũ etiam eſt, cui res propoſita adiũcta ſit, aut quid neceſſario res propoſita ſi ſit, vnà ſecũ eſſe velit. &c.* σκοπεῖν δὲ καὶ τί τοῦ προκειμένου, τίνος ὄντος, τὸ προκείμενόν ἐστιν. ἢ τί ἐστιν ἐξ ἀνάγκης, εἰ τὸ προκείμενόν ἐστι.) Hic locus à conſequentibus ducitur Græcè autẽ ἀκόλουθα vocantur, vel autore Ariſtotele, qui explicans hunc locum paulo infrà, eo vocabulo vtitur, his verbis, ἐὰν γὰρ δείξωμεν τὸ ἀκόλουθον τοῦ προκειμένου μὴ ὄν, ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸ προκείμενον. Itaq; in 2. lib. artis rhetoricæ, ἐκ τοῦ ἀκολουθοῦντος hunc locũ nominat. Quintilianus eodem appellat nomine, quẽ ſecutus ſum in hoc loco explicando. Eadem enim vt ille, ſic ego cõſequentia & adiuncta voco. Hæc ſunt verba eius: Ex *conſequentibus ſiue adiunctis*, Si iuſtitia eſt bonũ, recte iudicandũ, &c. Paulo infra, Sed cõſequentia dico ἀκόλουθα: eſt enim conſequens ſapientiæ bonitas. Cicero autẽ inter conſequẽtia & adiuncta vult intereſſe aliquid. Et quoniã verba eius hunc locũ ex cõſequentibus eſſe perſpicue docẽt, ea ſubieci, Deinceps eſt locus Dialecticorũ proprius ex conſequentibus & antecedentibus & repugnãtibus, qui etiã ab adiũctis longe diuerſus eſt. Nã adiũcta de quibus paulò antè dictũ eſt, non ſemper eueniunt: conſequentia autẽ ſemper. Ea enim dico conſequentia, quæ rem neceſſario conſequũtur. Hunc locum à conſequẽtibus tractat Ariſtoteles paulo infrà diffuſius, quo loco monet, vt eum qui reſpondet ad locũ conſequentiũ traducamus, ſi apte id fieri poteſt. Sed ſi quis eius propriam tractationẽ requirit, multo vberiorem & copioſiorem infra in loco à contrariis offendet. Nunc ad alia veniamus.

Atque etiã argumentũ ducendũ eſt à notatione verbi, quæ multo aptior ſit, quam verbũ quod ſit vſitatũ, veluti εὔψυχον non fortẽ, vt tritum eſt, ſed eum qui bene animo ſit affectus, & confidentẽ eum qui bona expetat, &c. ἔτι τὸ ἐπιχειρεῖν μεταφέροντα τοὔνομα ἐπὶ τὸν λόγον, ὡς μάλιστα προσῆκον ἐκλαμβάνειν, ἢ ὡς κεῖται τοὔνομα. οἷον, εὔψυχον μὴ τὸν ἀνδρεῖον καθάπερ κεῖται, ἀλλὰ τὸν εὖ τὴν ψυχὴν ἔχοντα, καθάπερ καὶ εὔελπιν, τὸν ἀγαθὰ ἐλπίζοντα.) Hunc locũ formã eſſe eius, quẽ notationem verbi appellat Cicero, hinc perſpici licet, quòd totus poſitus eſt in expoſitione & interpretatione verbi. Hic à Cicerone in Topicis hoc modo explicatur, Multa enim ex notatione ſumũtur, ea autẽ cum ex vi nominis argumentũ elicitur, quã Gręci ἐτυμολογίαν vocãt, id eſt, verbũ ex verbo veriloquiũ: nos aũt nouitatẽ verbi nõ ſatis apti fugiẽtes, genus hoc notationem appellamus, quia ſunt verba rerũ notæ. Itaq; hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat, quod Latine eſt, nota. Tũ affert exemplũ poſtliminij, vt initio libri, aſsidui. Aſsiduus eñ locuples, vt ait Aelius, appellatus eſt ab ęre dando,

Ego in libro de Interpretatione docui σύμβολον dici ab Ariſtotele,quod hoc loco Cicero appellat notam , eúmque ex eo libro id ſumpſiſſe monſtraui.

Quoniam auté ſex modis inter ſe contraria iunguntur,& quatuor ſolum modis iuncta repugnantiã efficiunt : ſumenda ſunt contraria vt cõmodum erit,& ei qui confirmãdi & ei qui refellendi partes tuebitur,&c. ἐπεὶ δὲ τὰ ἐναντία συμπλέκεται μὲν ἀλλήλοις ἑξαχῶς. ἐναντίωσιν δὲ ποιεῖ τετραχῶς συμπλεκόμενα,δεῖ λαμβάνειν τὰ ἐναντία,καὶ ὅπως ἂν χρήσιμον ᾖ ἀναιροῦντι καὶ κατασκευάζοντι.) Locus hic proprius eſt eorũ contrariorũ quæ aduerſa à Cicerone appellantur. Quo quidé in loco quoniã reperi locũ eum quem maximã vocant, quem etiã Cicero tranſtulerit,vtriuſq; verba ſubiicienda cenſui. Ciceronis quidé verba ſunt in Topicis cũ tractat hunc locũ, Vt ſi hoc eſt,illud nõ eſt. Quid enim opus exẽplo eſt, tantũ intelligatur argumento quærendo, Contrariis omnibus cõtraria non cõuenire. Ariſtoteles paulo infra , εἰ γὰρ τοῦτο ὑπάρχει , ἐκεῖνον οὐκ ἂν ὑπάρχοι. ἀδύνατον γὰρ τἀναντία ἅμα τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν. Ex quibus locis inter ſe cõiunctis illud perſpici licet, ὑπάρχειν & eſſe & conuenire à Cicerone conuerti. Quod verbũ quoniã latiſsime patet in philoſophia,hanc Ciceronis interpretationé notare debemus. Equidé ſæpe dico ὑπάρχειν conuenire. Noſtro auté illi verbo Conuenire,Cicero interdũ dandi caſum tribuit , vt ex ſuperiore loco intelligi poteſt , interdum accuſandi præpoſita in præpoſitione. Interdũ etiã ὑπάρχειν dicit cadere. Vt in 3. Tuſculan. Non cadit igitur in ſapienté ægritudo. Sed quoniã ſemel cœpimus , omnia quæ Cicero de hoc loco à contrario in Topicis ſcripta reliquit,hic poni melius eſt, vt quid ab Ariſtotele mutuatus ſit, intelligatur. Deinceps, inquit,locus eſt, qui à contrario dicitur. Contrariorũ auté genera ſunt plura. Vnum eorũ quæ in eodé genere plurimũ differunt,vt ſapientia & ſtultitia. Eodé auté genere dicuntur,quibus propoſitis occurrunt tanquam è regione quædã contraria, vt celeritati tarditas, non debilitas. Ex quibus contrariis argumenta talia exiſtunt: Si ſtultitiã fugimus,ſapientiã ſequamur : & bonitatem,ſi malitiã. Hæc quæ ex eodé genere contraria ſunt,appellãtur aduerſa. Sunt enim alia contraria,quæ priuantia licet appellemus Latinè,Græcè appellãtur στερητικά. præpoſitio enim,in,priuat verbũ ea vi quã haberet, ſi,in, præpoſitum non fuiſſet,vt dignitas,indignitas, humanitas,inhumanitas,& cætera generis eiuſdé. Quorũ tractatio eſt eadé quæ ſuperiorũ,quæ aduerſa dixi. Nam alia quoq; ſunt contrariorũ genera, velut ea quæ cum aliquo conferuntur,vt duplũ,ſimplũ: multa,pauca: longũ,breue: maius,minus. Sunt etiã valde contraria alia quæ appellantur negãtia ea ἀποφατικὰ Græci,contraria aientibus , vt ſi hoc eſt, illud non eſt. Quid enim opus exemplo eſt? tantũ intelligatur,argumento quærédo, contrariis omnibus contraria non cõuenire. Hæc tantùmodo ille de hoc loco ſcripſit,qui ab Ariſtotele diffuſiſsime explicatur. Nec verò omnia hæc inde mutuatus eſt. Definitionem enim contrariorum mutuatus eſt ab eo libello qui inſcribitur Categoriæ, quemadmodũ in noſtris commentariolis oſtendimus. In Categoria enim quæ Quantitas appellatur,ſic definiuntur Contraria, τὰ γὰρ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει , ἐναντία ὁρίζονται. In δὲ τῶν μετὰ τὰ φυσικά,non ponitur ἀλλήλων,quemadmodũ nec Cicero par verbũ ei non addit, τὰ πλεῖστον διαφέροντα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει. Quuod autem ait Cicero, Contrariorum autem genera ſunt plura, in Catogoriis definite dicit λέγεται ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς, hic, ἀντιθέσεις τέτταρες. Cicero ergo ita dicit quaſi apud Ariſtotelé ita ſcriptũ eſſet ἀντικειμένων δὲ εἴδη πλείω. Ariſtoteles quidé hunc locum tractat diffuſius quàm Cicero: nec ſolum ſeparatim locos tradit, ſed

etiam



etiã quæ quodq; cõtrariorum genus cõſequatur, nõ ſolũ in argumẽtatione vna tractãda, ſed etiã cõuertenda. Quod fieri poſſe duobus modis docet, vel ἀνάπαλιν, vel ἐπ' αὐτὰ, ἢ ἐπ' αὐτό. Vocat auté ἐπ' αὐτὰ argumẽtũ firmũ eſſe, cũ duo inter ſe cõtraria, alia duo cõcludunt, idq; in aduerſis, hoc modo, Si fortitudo virtus eſt, ignauia vitiũ eſt. Et ſi fortitudo expetéda eſt, ignauia fugiéda. Cõtrà auté dicitur eſſe firmũ, cùm duo ſunt cõtraria, quorũ vnũ ſequitur contrariũ tertiũ, alterũ auté quartũ non ſequitur, ſed cõtra ex hoc illud cõcluditur, hoc modo: Si firma corporis affectio ſit, bona valetudo eſt: Si morbus eſt, cõtinuo mala affectio. Ac philoſophi quidem huiuſmodi argumentationibus duplicibus vtuntur , Oratores autem ſimplicem. concluſionem probant: illam duplicem nõ magnopere curant. Cicero in ſecundo de Oratore, Iam ex contrario, Si Gracchus nefariè, præclarè Opimius.

Rurſus à coniugatis , & caſibus ducendũ eſt argumentũ ſiue confirmemus quid, ſiue refellamus. Coniugata auté ſunt hæc, iuſta & iuſtus cum iuſtitia, fortia & fortis cũ fortitudine, πάλιν ἐπὶ τῶν συστοίχων, καὶ ἐπὶ τῶν πτώσεων καὶ ἀναιροῦντα, καὶ κατασκευάζοντα. λέγεται δὲ σύστοιχα μὲν τὰ τοιάδε. οἷον τὰ δίκαια καὶ ὁ δίκαιος τῇ δικαιοσύνῃ, καὶ τὰ ἀνδρεῖα, καὶ ὁ ἀνδρεῖος τῇ ἀνδρείᾳ. Locus eſt à coniugatis. Nã Cicero vno loco cõplectitur locũ à coniugatis & à caſibus. Quod facile intelligi poteſt ex hoc loco qui eſt poſitus in Topicis: Cõiugata dicũtur quæ ſunt ex verbis generis eiuſdé. Eiuſdé auté generis verba ſunt, quæ orta ab vno varie cõmutantur, vt ſapiens, ſapienter, ſapientia. Nã cùm aduerbiũ ſapienter numeret in cõiugatis , in caſibus auté Ariſtoteles ſola aduerbia ducat, efficitur, vt à Cicerone hi duo loci in vnũ cõcludantur. Quo auté modo Græce appellẽtur coniugata, ſiue cõiugatio, & quæ ſit huius loci tractatio, eodẽ lib. Cicero deinceps docet. Hęc verborũ cõiugatio συζυγία dicitur, ex qua huiuſcemodi eſt argumentum, Si cõpaſcuus eſt ager, ius eſt cõpaſcere. Ariſtoteles auté non συζυγίαν vocat, ſed συστοιχίαν, & σύστοιχα coniugata. Itaq; fieri poteſt, vt vnũ pro alio apud Ciceroné poſitũ ſit: cum præſertim Ariſtotelis Topica in ſcribendis ſuis ſibi propoſuerit ad imitandũ. Quod etiã in hoc loco perſpici poteſt. Nam coniugatorũ definitioné, quam paulo ante commemoraui, ab Ariſtotele mutuatus eſt. Paulo enim pòſt ita ea definiuntur , σύστοιχα δὲ λέγεται, τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἅπαντα , & quod ſequitur. Eiuſdé auté generis verba ſunt, eſt definitio παρωνύμων: παρώνυμα δὲ λέγεται ὅσα ἀπό τινος διαφέροντα τῇ πτώσει τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει. Quod etiã in commentariolis noſtris in Categorias admonuimus. In 2. de Oratore non coniugata vt in Topicis & in Partitionibus , ſed coniuncta hæc nominat. Ex cõiunctis hęc argumẽta ducũtur, Si pietati ſumma laus tribuéda eſt, debetis moueri, cũ quintũ Metellũ tã piè lugere videatis.

Præterea ab ortu & interitu rerũ, & ex cauſis efficientibus & corrũpentibus magna ſuppetit ad diſputandũ copia , ſiue confirmare velimus quid, ſiue refellere, Quarũ enim rerũ ortus & origo in bonis eſt, eæ etiã in bonis ſunt. ἔτι ἐπὶ τῶν γενέσεων καὶ φθορῶν, καὶ ποιητικῶν καὶ φθαρτικῶν, καὶ ἀναιροῦντι, καὶ κατασκευάζοντι. ὧν γὰρ αἱ γενέσεις τῶν ἀγαθῶν καὶ αὐτὰ ἀγαθά. Paulo infra , ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ ποιητικῶν καὶ φθαρτικῶν, ὧν μὲν γὰρ τὰ ποιητικὰ ἀγαθὰ, καὶ αὐτὰ τῶν ἀγαθῶν. ὧν δὲ τὰ φθαρτικὰ ἀγαθὰ, αὐτὰ τῶν κακῶν. Hic locus eſt rerũ effectarũ, & rerũ efficientiũ, ſiue cauſarũ efficientiũ. Mallo igitur γένεσιν effectũ dicere, quàm ortũ & originé. Hũc locũ cauſarũ efficientiũ diffuſius tractat & explicat Cice. quàm Ariſtoteles. Sed tamen ille mihi videtur magna ex parte ab Ariſtotele quæ de cauſis dicit, eſſe mutuatus. Diuidit primũ cauſas hoc modo, Cauſarum igitur genera duo ſunt : Vnũ quod vi ſua, id quod ſub ea

ſubiectū eſt,certe efficit,vt ignis accendit:Alterū quod efficiēdi naturā non habeat,ſed ſine quo effici nō poſsit,vt ſi quis æs cauſam ſtatuę velit dicere, ꝙ ſine eo nō poſsit effici.Tū vtrunq; genus rurſus in partes diuidit.Ac primū poſterius.Huius generis cauſarū ſine quo nō efficitur, alia ſunt quieta, nihil agētia,ſtolida quodāmodo,vt locus,tēpus,materiæ,ferramēta,& cætera generis eiuſdē.Alia autē præcurſionē quandā adhibent ad efficiendū, & quædā afferūt per ſe adiumēta,& ſi nō neceſſaria.vt amori cōgreſsio cauſam attulerit,amor flagitio. Ex hoc genere cauſarū ex æternitate pendētiū fatū à Stoicis nectitur.Atq; vt earū cauſarū ſine quib⁹ effici nō pōt,genera diuiſi,ſic etiā efficientiū poſſunt. Sunt enim aliæ cauſæ quæ planè efficiant nulla re adiuuante,aliæ quæ adiuuari velint, vt ſapiētia efficit ſapiētes ſola per ſe:beatos efficiat,necne ſola per ſe,quęſtio eſt.Quare cū in diſputationē inciderit cauſa efficiēs aliquid neceſſario, ſine dubitatione licebit quod efficitur ab ea cauſa cōcludere.Cùm autē erit talis cauſſa,vt in ea nō ſit efficiēdi neceſsitas,neceſſaria cōcluſio nō ſequetur.Atq; illud quidē gen⁹ cauſarū,quod habet vim efficiēdi neceſſariā,errorē afferre non ferè ſolet: hoc autē ſine quo nō efficitur,ſępe cōturbat.Nō enim ſi ſine parētibus filij eſſe nō poſſunt,propterea cauſa fuit in parētib⁹ gignēdi neceſſaria. Hoc igitur ſine quo nō fit,ab eo quo certe fit,diligēter eſt ſeparandū.Hęc ille.quę magna ex parte in diuerſis libris Ariſtotelis diſperſa & diſsipata in vnū cōtulit.Nā & in ſecūdo de Cognitione naturæ lib.& in quinto,eorū quæ τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ inſcribuntur, aliiſq; libris Ariſtoteles cauſarū genera diuidit, quāquā non eodē modo. Eas quidē cauſas quas vi ſua id quod ſub eas ſubiectū eſt ait efficere,αἴτια ἐνεργοῦντα καθ᾽ αὑτά: eas autē quæ adiuuari velint, συναίτια:eas quę per ſe quædā afferūt adiumēta,συνεργά.Id autē genus cauſarū quod efficiēdi naturā nō habere dicit,ſed ſine quo effici nō poſsit,ὕλην appellari vno modo vel exemplū quod affert , indicat. Itaq; Ariſtoteles II. de Cognitione naturæ lib.eodē exēplo vtitur,ἕνα μὲν οὖν τρόπον αἴτιον λέγεται, τὸ ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος,οἷον χαλκὸς τοῦ ἀνδριάντος.Alia etiā cauſarū genera Cicero ſubiicit.Atq; etiā eſt cauſarum diſsimilitudo,ꝗ aliæ ſunt, vt ſine vlla appetitione animi,ſine volūtate, ſine opinione ſuū quaſi opus efficiāt, velut omne intereat, quod ortū eſt.Aliæ autē aut volūtate efficiuntur, aut perturbatione animi,aut habitu,aut natura,aut arte,aut caſu.Voluntate,vt tu cū hūc libellū legis:Perturbatione,vt ſi quis euentū horū tēporū timeat: Habitu,vt facile & cito iraſcatur:Natura,vt vitium in dies creſcat:Arte,vt bene pingat:Caſu,vt proſpere nauiget. Nihil horū ſine cauſa, nec quicquā omnino, ſed huiuſmodi cauſæ nō neceſſariæ. Hāc extremā orationē ex II. de Arte rhetorica ſumpſit.Hūc enim locū cauſarū ſic explicat,ἄλλως ἀπὸ τοῦ αἰτίου,ἐάν τε ὑπάρχῃ ὅτι ἔστι,κἂν μὴ ὑπάρχῃ ὅτι οὐκ ἔστιν, ἅμα γὰρ τὸ αἴτιον, καὶ οὗ αἴτιον,καὶ ἄνευ αἰτίου οὐδέν ἐστι.Priorē partē huius orationis Ariſtotelis Cicero mihi paulo infrà exponere videt̄ his verbis, vt em̄ cauſa quid ſit effectū indicat: ſic quod effectū eſt, quæ fuerit cauſa demonſtrat. Et paulò poſt, Cauſarum enim cognitio cognitionē euentorum facit.Diuiſione autē ſuperiorē paulo ſec⁹ tradit Ariſtoteles li.I.de Arte rhetorica, quā Cicero in duas partit⁹ eſt. Lōga eſt oratio, tantū proferā quod ad rē pertinebit. Poſteaquā ita diuiſit, πάντες δὲ πράττουσι πάντα,τὰ μὲν οὐ δι᾽ αὐτούς,τὰ δὲ δι᾽ αὐτούς: his duob⁹ gñibus rurſus in partes diſtributis,tandē cōcludit, ὥστ᾽ ἀνάγκη πάντα ὅσα πράττουσι, δι᾽ αἰτίας ἑπτά,διὰ τύχην,διὰ βίαν,διὰ φύσιν,δι᾽ ἔθος,διὰ λογισμόν,διὰ θυμόν,δι᾽ ἐπιθυμίαν.Partē hui⁹ Ariſtotelis diuiſionis trāsfert in aliā Cicero paulo poſt, cū ait,etiā vt ea quę fiūt,partim ſint ignorata,partim voluntaria. Ignorata, quæ nec



neceſsitate effecta ſunt:volūtaria,quę cōſilio.Quāquā hęc diuiſio in tertio de moribus libro quæ Ethica nominantur, potius adhibetur. Principio enim huius libri Ariſtoteles περὶ τῶν ἀκουσίων, καὶ ἑκουσίων pollicetur ſe eſſe dicturū. Quæ ita definit, ὄντος δὲ ἀκουσίου τοῦ βιαίου, καὶ δι᾽ ἄγνοιαν,τὸ ἑκούσιον δόξειεν ἂν εἶναι οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ᾽ ἕκαστα,ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. βίαν enim neceſsitatem dicit,& Cicero paulo poſt ἄγνοιαν ignorationē & imprudētiā nominat. Cadunt,inquit,in ignorationē & imprudentiā perturbationes animi,quanquā ſint voluntariæ,admonitione enim & obiurgatione deiiciūtur:tamen habent tantos motus,vt ea quæ voluntaria ſunt,aut neceſſaria interdū,aut certe ignorata videantur. Quod enim dicit, Cadunt in ignorationē & imprudentiā perturbationes animi,penè ad verbū eſt in eodē libro, ἴσως γὰρ οὐ καλῶς λέγεται, τὸ ἀκούσια εἶναι, τὰ ἢ διὰ θυμὸν,ἢ δι᾽ ἐπιθυμίαν. vel certe illud totum,Cadunt in ignorationē & imprudentiā perturbationes animi, ἄγνωστα τὰ πάθη Græce dicitur. Verba enim Græca in τον deſinētia Cicero ſic ſolet exponere, quod in libro de Optimo genere interpretandi diffuſe tradidit. Quod vero ait , Quanquā ſint voluntariæ, admonitione enim & obiurgatione deiiciuntur,id Ariſtoteles ad partē animi quę ratione caret,primo libro de moribus extremo accōmodat, ὅτι δὲ πείθεταί πως ὑπὸ λόγου τὸ ἄλογον, μηνύει, καὶ ἡ νουθέτησις καὶ πᾶσα ἐπιτίμησίς τε καὶ παράκλησις. Quod in ea ipſa oratione extremū eſt, Tamē habēt tantos motus, vt ea quæ volūtaria ſunt,aut neceſſaria interdū,aut certe ignorata videantur,id Ariſtoteles primo li.de morib.3.ca.ad res iuſtas & præclaras transfert,τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι,φύσει δὲ μή. Mihi enim hunc ipſum locū aut certe vim eius expreſsiſſe videtur. Paulo ante hæc verba Cicero facit hāc cauſarū diuiſionē, Omniū autē cauſarū in aliis ineſt conſtantia,in aliis non ineſt. In natura & in arte cōſtantia eſt,in cęteris nulla.Ego cōſtantiā eū appellare puto quod Ariſtoteles vocat,τὸ τεταγμένον, & ὡρισμένον: & quod principio huius loci, certe efficere, effectū dixit cauſas aliquas , id ὡρισμένως & τεταγμένως Ariſtoteles nominat.vt ὡρισμένας αἰτίας, id eſt, cōſtantes,& certas & definitas Cicero dicat cauſas,in quibus ineſt cōſtātia. Eas aūt eiuſmodi Ariſtoteles appellat, quæ efficiunt effectū vel ſemper vel ferè certo quodā modo. ἀόριστα autem αἴτια quę vocat Ariſtoteles,eas cauſas dicat, in quibus nulla eſt conſtantia. Ariſto.in II.de Naturæ cognitione libro, ἀόριστα μὲν οὖν τὰ αἴτια ἀνάγκη εἶναι, ἀφ᾽ ὧν ἂν γένοιτο τὸ ἀπὸ τύχης,ὅθεν δοκεῖ ἡ τύχη τοῦ ἀορίστου εἶναι καὶ ἄδηλος ἀνθρώπῳ. Hoc poſtremū interpretatur deinceps hoc loco Cicero , cū ita cauſas quæ non ſunt cōſtantes diuidit,Sed tamē,inquit,earū cauſarū quæ nō ſunt conſtantes,aliæ ſunt perſpicuæ,aliæ latēt.Perſpicuæ ſunt, quæ appetitionē animi iudiciūmq; regūt.Latēt quę ſubiectę ſunt fortunæ.Cùm enim nihil ſine cauſa fiat,hoc ipſum eſt fortuna,euētus obſcura cauſa quæ latēter efficitur. Conſtātes etiam cauſas eſſe puto,quas vocat Ariſtoteles ὡρισμένα αἴτια. In eodē libro cū velle ſe de fortuna diſſerere dixit,hāc affert rationē,ἔνιοι γὰρ καὶ εἰ ἔστιν,ἢ μή,ἀποροῦσιν, οὐδὲν γὰρ γίνεσθαι ἀπὸ τύχης φασίν, ἀλλὰ πάντων εἶναί τι αἴτιον ὡρισμένον, ὅσα λέγομεν ἀπὸ ταυτομάτου γίνεσθαι, ἢ τύχης. Quòd ſi hæc duo verba Ariſtotelis paria eſſe concedamus,vt mihi quidē videtur, tamē non idem ſubiicitur vtriſq; Ariſtotelis Ciceroniſq; ſententia.Cicero enim in iis cauſis quæ non ſunt cōſtantes, non ſolū caſum & fortunā numerat, ſed etiā alia multa quas in diuiſione nominauit.Ariſtoteles autē ſolā fortunā & caſum ducit.Multa mihi quidē ex diuerſis locis collegiſſe videor, quæ hūc locū cauſarū illuſtrare poſsint,quæq; mea quidē ſentētia, ab Ariſtotele eſt Cicero

Cicero mutuatus. Quod autẽ attinet ad locũ cõmunẽ, Cicero hunc tradit, Quod à cauſa efficiẽte aliquid neceſſario efficitur, id licet ſine dubitatione cõcludere. Quod ab ea in qua nõ eſt efficiẽdi neceſsitas efficitur, in eo non ſequitur neceſſaria cõcluſio. Cuius talis eſt tractatio, Si boni eſſe volumus, virtuti ſtudeam⁹ neceſſe eſt. Virtus enim eos in quib⁹ eſt, ſic bonos efficit, vt ſine ea bon⁹ eſſe nemo poſsit. Ariſtoteles aũt hoc loco hũc locũ cõmunẽ proponit, Quorũ effectorũ cauſæ efficiẽtes ſunt in bonis, ea effecta ſunt in bonis. Et quarũ cauſarum effecta ſunt in bonis, eæ cauſę ſunt in bonis.

CAP. IIII.

PRoximus locus eſt à ſimili, in quo videndũ eſt, an res ſimiles eodẽ modo habeant. vt ſi ſciẽtia vna ſit pluriũ, etiã opinio, πάλιν ἐπὶ τῶν ὁμοίων, εἰ ὁμοίως ἔχει, οἷον εἰ ἐπιστήμη μία πλειόνων, καὶ δόξα.) Hunc locũ Cicero appellat à ſimilitudine, in Top. & ex ſimilitudine in II. de Orat. In Topi. quidẽ Ariſtotelẽ ſecutus eſt, quoniã ἐπαγωγῇ ſimilitudinẽ tractari vult, quẽadmodũ ille, Sunt enim, inquit, ſimilitudines, quæ ex pluribus collationibus perueniũt quò volunt, hoc modo, Si tutor fidẽ præſtare debet, ſi ſocius, ſi is cui mandaris, ſi qui fiduciã acceperit, debet etiam procurator. Hæc ex pluribus perueniẽs quò vult, appellatur inductio, quæ Græce ἐπαγωγὴ nominatur, qua plurimũ eſt vſus in ſermonibus Socrates. Ariſtoteles etiã ferè iiſdem verbis inductionẽ definit in primo lib. ἐπαγωγὴ δέ ἐστιν, ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος, οἷον εἰ ἔστι κυβερνήτης ὁ ἐπιστάμενος κράτιστος, καὶ ἡνίοχος, καὶ ὅλως ἐστὶν ὁ ἐπιστάμενος περὶ ἕκαστον ἄριστος. Extremo etiã libro quàm ad rẽ vtilis ſit ſimilitudinis cognitio, his verbis exponit, ἡ δὲ τοῦ ὁμοίου θεωρία, χρήσιμος πρός τε τοὺς ἐπακτικοὺς λόγους, καὶ πρὸς τοὺς ἐξ ὑποθέσεως συλλογισμούς, καὶ πρὸς τὴν ἀπόδοσιν τῶν ὁρισμῶν. πρὸς μὲν οὖν ἐπακτικοὺς λόγους, διότι τῇ καθ' ἕκαστα ἐπὶ τῶν ὁμοίων ἐπαγωγῇ τὸ καθόλου ἀξιοῦμεν ἐπάγειν. Diſſerens etiã de vſu huius loci, ſcribit his verbis, χρήσιμος δὲ ὁ τόπος πρὸς ἄμφω. εἰ μὲν γὰρ ἐπί τινος τῶν ὁμοίων οὕτως ἔχει, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁμοίων, εἰ δὲ ἐπί τινος μή, οὐδὲ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Cicero quidẽ παραβολήν, id eſt, collationẽ ſimilitudini ſubiicit. Nã ſcribit deinceps his verbis, alterũ ſimilitudinis genus collatione ſumitur, cũ vna res vni, par pari cõparatur: hoc modo, Quemadmodũ ſi in vrbe de finibus cõtrouerſia eſt, quia fines magis agrorũ videntur eſſe quàm vrbis, finibus regẽdis adiicere arbitrũ non poſſis: ſic ſi aqua pluuia in vrbe nocet, quoniã res tota magis agrorũ eſt, aquæ pluuiæ arcẽdæ adiicere non poſsis arbitrũ. Eidẽ loco exemplũ ſubiicit deinceps. Ex eodẽ, inquit, ſimilitudinis loco etiã exẽpla ſumuntur, vt Craſſus in Curiana cauſa exemplis multis vſus eſt, &c. Ariſtoteles in his libris παραβολήν, à ſimilitudine non ſeparat. Quod qui volet intelligere planiſsime, legat extremũ primũ lib. quo loco etiã differentiæ locũ, quem paulo poſt tractat Cicero, tractatum inueniet. In 2. autem de Arte rhetorica duo genera facit communiũ argumentorũ, vnũ enthymema, alterũ exemplũ. Exemplo duo genera ſubiicit: παραβολήν, quã Cicero collationẽ vocat. & λόγον, id eſt, fabulam. Si quis hæc legere velit, locũ indicaui. Ciceronẽ hoc loco ficta exempla appellare arbitror λόγους. Nã λόγους fabulas eſſe vel Terentius docet, qui interdũ græcum verbũ vſurpat, niſi forte τὴν ὑπόθεσιν ficta exẽpla appellat. Sic enim Quintilianus vocat, & de iis Ariſtoteles in tertio extremo diſſerit.

Sumuntur etiã ex maiore & minore argumenta. Súntq; ex maiore & minore quatuor loci. Vnus, ſi ex maiore maius ſit conſequẽs, hoc modo: Si voluptas bonũ ſit, maior voluptas maius ſit bonũ, ἔτι ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον, εἰσὶ δὲ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον τόποι τέσσαρες. εἷς μὲν εἰ ἀκολουθεῖ τὸ μᾶλλον τῷ μᾶλλον, οἷον εἰ ἡδονὴ ἀγαθόν, καὶ ἡ μᾶλλον ἡδονή, μᾶλλον ἀγαθόν.) In 2. de Arte rhetorica hũc locũ

iiſdem



iiſdem verbis appellat, ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον. Cice. transfert, vt ego feci, ex maiore & minore. In Topicis locũ communẽ ex maiore hunc tradit, Quod in re maiore valet, valeat in minore. vt ſi in vrbe fines nõ regũtur, neq; aqua in vrbe arceatur. Ex minore hunc. Itẽ contrà, Quod in minore valet, valeat in maiore: licet idẽ exemplũ conuertere. His extremis verbis de ſuperiore exemplo loquitur, quod ita conuertamus licet, Si aqua in vrbe non arcetur, neq; fines in vrbe regantur. Ex his licet intelligi, cùm locus cõmunis affirmatione declaretur, & exempla negationibus, a Cicerone his duobus locis affirmatiuos quos vocãt, etiã negatiuos cõtineri. Ariſtoteles autẽ nullũ tradit talẽ locũ ex maiore, ſed ſolũ ex minore, quod de affirmatiuis quos vocant, dictũ velim. ἑνὸς περὶ δυοῖν λεγομένου, εἰ ᾧ μᾶλλον εἰκὸς ὑπάρχειν, μὴ ὑπάρχει, οὐδ' ᾧ ἧττον· καὶ εἰ ᾧ ἧττον εἰκὸς ὑπάρχειν, ὑπάρχει, καὶ ᾧ μᾶλλον. Huius loci & orationis prius mẽbrũ reſpõdet priori exemplo quo vſus eſt Cicero, Nã in vrbe fines regi, maior res eſt: & minor, aquam in vrbe arceri: quibus negatio additur. Poſterius autẽ mẽbrũ loco Ciceronis ex minore reſpõdet. Nã illud ὑπάρχειν Cicero diſerte interpretatus eſt, valere: quod eodem modo expoſuiſſem, niſi quibuſdã ſatisfacere voluiſſem. Sunt enim qui ſi quid videãt remotũ ab intelligentia ſua, putẽt eſſe deprauatũ. Cicero ergo locis his duobus, qui affirmationibus explicantur, duos alios negatiuos quos vocant, voluit cõtineri.

Sequitur locus ex iis quæ eodẽ modo conueniunt, aut videntur cõuenire, atq; is triplex, ἔτι ἐκ τοῦ ὁμοίως ὑπάρχειν, ἢ δοκεῖν ὑπάρχειν, τριχῶς.) Hic locus à Cicerone ex pari nominatur, & ab Ariſtotele, ἐκ τοῦ ὁμοίως. Itaq; ſi omnes velint & aſſentiantur, malim, ex pari, pro iis quę dixi, ſubiici. Locũ communem Cicero in Topicis hunc ponit, Quod in re pari valet, valeat in hac quę par eſt. De hoc eodẽ modo quo de ſuperioribus locis iudicandũ eſt, cõplectitur enim vtranq; partẽ. Ariſtoteles tres locos communes ſtatuit, quorũ vnuſquiſq; in vtranq; partem valet. Multos Ariſtotelis locos ſciens prætermiſi, quos Cicero non attigit: quoniam locos Ciceronis cum Ariſtotelis cõparandos ſuſcepi. Quod idem facere inſtitui proximo libro qui tertius eſt.

## ANNOTATIONES IN LIBRVM TERTIVM. CAPVT I.

EX quo perſpicuũ erit, expoſita earũ rerum præſtantia vna aut pluribus, animũ aſſenſurũ & approbaturum, id eſſe magis aut minus expetendũ quod excellet, δῆλον οὖν ἐπὶ τούτων, ὅτι δειχθείσης ὑπεροχῆς μιᾶς ἢ πλειόνων, συγκαταθήσεται ἡ διάνοια, ὅτι τοῦτό ἐστιν αἱρετώτερον, ὁπότερον τυγχάνει αὐτῶν ὑπερέχον.) Non potui hũc locum præterire, qui mihi viſus eſt annotatione digniſsimus, etſi eũ in lib. de Optimo genere interpretandi attigi: συγκατατιθέναι, ſiue συγκατατίθεσθαι idẽ valet quod aſſentiri, ſeu approbare, vel Cicerone interprete, qui in libro 4. Academi. quæſtio. συγκατάθεσιν dicit aſſenſum, aſſenſionẽ, & approbationẽ. His ſatis cognitis, quæ iam explicata ſunt, nunc de ea aſſenſione atq; de approbatione, quam Græci συγκατάθεσιν vocant, pauca dicamus. Paulo infrà, Quare qui aut viſum, aut aſſenſum tollit, is omnem actionem tollit è vita.

Ac diuturniora quidẽ anteponenda ſunt breuioribus, πρῶτον μὲν οὖν τὸ πολυχρονιώτερον ἢ βεβαιότερον, αἱρετώτερον τοῦ ἧττον τοιούτου.) Quoniã Cicero in loco comparationis multos locos Ariſtotelis diſerte interpretatur, ego omnes quos inuenire potui vnũ in locũ hunc conferre inſtitui, vt vno quaſi aſpectu cerni poſsint. Quod quò faciã cõmodius, totũ illũ locũ Ciceronis proferendũ putaui. In Topicis igitur ſcribit his ferè verbis, Reliquus eſt cõparationis locus, cuius genus & exemplũ ſupra poſitũ eſt, vt cæterorũ. nunc

explicam

explicanda tractatio eſt. Comparantur igitur ea quæ aut maiora, aut minora, aut paria dicuntur, in quibus ſpectantur hæc, numerus, ſpecies, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Numero ſic comparabuntur, vt plura bona paucioribus bonis anteponuntur, pauciora mala malis pluribus, diuturniora bona breuioribus: longè & latè peruagata anguſtis: ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur & faciant. Specie autem comparantur, vt anteponuntur quæ propter ſe expetenda ſunt, iis quæ propter aliud, & vt innata atq; inſita aſſumptis & aduentitiis, integra cõtaminatis, iucunda minus iucundis, honeſta ipſis etiam vtilibus, procliuia laborioſis, neceſſaria non neceſſariis, ſua alienis, rara vulgaribus, deſyderabilia iis quibus facile carere poſsis, perfecta inchoatis, tota partibꝰ, ratione vtẽtia rationis expertibus, voluntaria neceſſariis, animata inanimatis, naturalia non naturalibus, artificioſa nõ artificioſis. Vis autẽ in cõparatione ſic cernitur, Efficiẽs cauſa grauior, quã nõ efficiẽs: quæ ſeipſis cõtenta ſunt meliora quã quæ egent aliis: quæ in noſtra, quã quæ in aliorũ poteſtate ſunt: ſtabilia incertis, quæ eripi nõ poſſunt iis quæ poſſunt. Affectio autẽ ad res aliquas eſt huiuſmodi, Principũ cõmoda maiora quã reliquorum: itẽmq; quæ iucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata. Atq; vt hæc in cõparatione meliora, ſic deteriora quæ iis ſunt cõtraria. Pariũ autẽ cõparatio nec elationẽ habet, nec ſubmiſsionẽ: eſt enim æqualis. Multa autẽ ſunt quæ æqualitate ipſa comparãtur, quæ ita ferè cõcluduntur, Si cõſilio iuuare ciues & auxilio, æqua in laude ponendũ eſt: pari gloria debent eſſe ij qui conſulunt & ij qui defendũt. at quod primũ eſt, quod ſequitur igitur. Atq; hæc ille. Nunc quos locos Ariſtotelis interpretatus ſit, videamus. Quod principio huius loci protuli, τὸ πολυχρονιώτερον, αἱρετώτερον τοῦ ἧττον τοιούτου, vertit, Diuturniora bona anteponuntur breuioribus. Vt perſpici poſsit id quod multis locis admonui & prædixi, quæ ſingulari numero præſertim neutro genere dicũt Græci, nos auctore Cicerone, plurali præterquã in paucis, vertere debere. Quanquã multitudinis numero in 1. de Arte rhetorica lib. atq; magis ad verbũ exprimitur hic locus, καὶ τὰ πολυχρονιώτερα τῶν ὀλιγοχρονιωτέρων intelligitur αἱρετώτερα. Sed vt ordinẽ locorũ quos Cicero expoſuit, ſeruemus, illud primũ plura bona paucioribus bonis anteponũtur, eſt apud Ariſtotelẽ in hoc lib. 3. τὰ πλείω ἀγαθὰ τῶν ἐλαττόνων. Illud autem quod ſequitur, Pauciora mala malis pluribus, non eſt apud Ariſtotelem: ſuperiori enim eſt cõſequens. Si enim plura bona paucioribus anteponũtur, pauciora etiã mala pluribus. In 5. de moribus lib. ſimile quiddam traditur. In duobus malis minus eſſe eligendũ, ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν, τὸ ἔλαττον αἱρεῖσθαι δεῖ. Quod Cicero ita conuertit in epiſtola ad Octauium, In duobꝰ autẽ malis cũ fugiendũ maius ſit, leuiꝰ eſt eligendũ. De illo quod ſequitur, Diuturniora bona breuioribꝰ, iam diximꝰ. Iam illud, Ex quibꝰ plura bona ꝓpagantur, in hoc lib. eſt, ὧν ἕπεται μεῖζον ἀγαθὸν, αἱρετώτερον, niſi q; μεῖζον, eſt pro πλεῖον. Illud etiã quod ſequitur, quæq; plures imitẽtur & faciãt, reperi, etſi aliquãto ſecus, ὅσα οἱ πλείους ἢ οἱ πάντες, cùm anteceſſerit verbũ ἕλοιντο ἄν, quod ſequi interdũ valet. In ſecũdo autẽ genere cõparationis illud primũ, Anteponunt quę propter ſe expetẽda ſunt iis quę ꝓpter aliud, iiſdẽ verbis eſt in hoc lib. explicatũ, καὶ τὸ δι᾽ ἑαυτὸ αἱρετὸν, τοῦ δι᾽ ἕτερον αἱρετοῦ αἱρετώτερον. Debet enĩ in his ſingularis numerꝰ ad pluralẽ trãsferri, vt dixi. Atq; etiã illud proximũ, Innata atq; inſita aſſumptis & aduẽtitiis, ita explicat, καὶ τὸ φύσει τοῦ μὴ φύσει. Quãquã hoc illud potiꝰ videt attingere, quod poſt ſequit, naturalia nõ naturalibꝰ. Itaq; mihi hũc locũ Ciceronis ille qui eſt apud Ariſtotelẽ in 2. de Arte Rhetorica, potiꝰ videt explicare, καὶ τὸ αὐτοφυὲς τοῦ ἐπικτήτου. ἐπίκ-



τητον enim aſſumptũ & aduẽtitiũ eſt. In eodẽ lib. illud eſt, Iucũda minus iucundis καὶ τὸ ἥδιον τοῦ ἧττον ἡδέος. Illud, honeſta ipſis etiã vtilibus, notũ eſt. Procliuia laborioſis. Cõtrà tractat hũc locũ Ariſtoteles in hoc libro. Ait enim, καὶ τὸ χαλεπώτερον ſcilicet, αἱρετώτερον. Affert rationẽ, μᾶλλον γὰρ ἀγαπῶμεν ἔχοντες, ἃ μή ἐστι ῥᾳδίως λαβεῖν. Hunc autẽ, Neceſſaria nõ neceſſariis, in vtranque partẽ tractat καὶ τὰ ἐκ περιουσίας τῶν ἀναγκαίων βελτίω, ἐνίοτε δὲ καὶ αἱρετώτερα. Cùm enim ait, ἐνίοτε δὲ καὶ αἱρετώτερα, profectò nõ ſemper anteponenda eſſe non neceſſaria neceſſariis indicat. Quod ad id tẽpus accõmodat, cùm non ſuppetunt cuipiã res ad viuendũ neceſſariæ. tũ enim melior eſt vita philoſophorũ: ei autẽ tali eſt minus expetenda, quàm ea quæ in quærẽdis pecuniis occupata eſt. Quo loco notare debemus τὰ ἐκ περιουσίας, diſertè exponi, non neceſſaria bona. Itaq; ἐκ περιουσίας θέλειν σκώπτεσθαι, Cicero elegãter dixit in oratione pro Sylla, At hic etiã, id quod tibi neceſſe minime fuit, facetus eſſe voluiſti. Sed de hoc verbo plura, deo iuuãte, in libro de Optimo genere interpretãdi oratores, quẽ vnà cũ orationibus inter ſe contrariis Aeſchinis & Demoſthenis ſumus edituri, diſputabimꝰ. Eſt enim locus propriꝰ in exordio orationis περὶ στεφάνου, quẽ ſuperior Ciceronis exponit. Sed ad alia veniamus. Sequitur ille locus, Sua alienis, quẽ in hoc libro paulũ cõmutatis verbis expoſitũ reperi, καὶ τὸ ἰδιαίτερον τοῦ κοινοτέρου. Iã ille, Rara vulgaribus, eſt in primo de Arte rhetorica, καὶ τὸ σπανιώτερον τοῦ ἀφθόνου. cuius tale exẽplũ eſt. οἷον ὁ χρυσὸς σιδήρου ἀχρηστότερος ὤν, μείζων γὰρ ἡ κτῆσις διὰ τὸ χαλεπώτερον εἶναι. Nõ ſolũ ergo locũ cõmunẽ proponit Ariſtoteles, ſed etiã cauſam affert, cur ita ſit. Quod in cæteris quoq; omnibus facit. Itaq; ſi quis hos cõmunes Ciceronis locos planè intelligere velit, hũc adhibeat neceſſe eſt. Nã quæ Ariſtoteles copioſiſsime expoſuit, ea Cicero tã anguſte tractauit, vt nõnullis negligentiæ, ne verbũ moleſtius proferã, ſuſpicionẽ afferat. Reſtãt quinq; hi loci, quos ab Ariſtotele non eſſe propoſitos hoc loco & in 1. de Arte rhetorica ſcio, propterea q; facile ex aliis intelligi poſſunt. Hi aũt ſunt, Deſiderabilia iis quibus facile carere poſsis, perfecta incoactis, tota partibus, ratione vtẽtia rationis expertibus, animata inanimatis. In tertia autẽ cõparatione in qua vis cernitur, illud primũ, Efficiẽs cauſa grauior quàm nõ efficiẽs, ita expreſſum reperi in hoc libro, ἔτι εἰ τὸ μὲν ποιεῖ ἀγαθὸν τὸν ἔχοντα, τὸ δὲ μὴ ποιεῖ, τὸ ποιοῦν αἱρετώτερον. Illud etiã, Quæ ſeipſis contẽta ſunt, meliora, quàm quæ egent aliis, in hoc lib. eſt pluribus verbis expoſitũ, καὶ ὅταν τῶν ἐχόντων μηδὲν θατέρου δεώμεθα ἢ οἱ ἔχοντες προσδεώμεθα τοῦ λοιποῦ. In 1. aũt de Arte rhetorica, hoc modo, καὶ ὅταν τόδε μὲν ἄνευ τοῦδε μὴ ᾖ, ἢ μὴ δυνατὸν ᾖ γενέσθαι, θάτερον δὲ ἄνευ τούτου, αὐταρκέστερον γὰρ τὸ μὴ δεόμενον. Illud ſequitur, Quę in noſtra, quàm quę in aliorum poteſtate ſunt: tũ illud, Stabilia incertis quorũ hoc in primo de Moribus lib. tractat pluribꝰ Ariſtoteles, quo loco diſputat de Solonis ſentẽtia. Ab hoc enim loco, beatã vitã, id eſt, εὐδαιμονίαν μόνιμόν τι, καὶ οὐκ εὐμετάβολον eſſe probat. aliter enim aliàs beatũ quẽpiã, aliàs miſerũ ſæpe nos eſſe dicturos. Certe nec hũc ipſum, nec ſuperiorẽ, nec eũ qui ſequitur, Quæ eripi non poſſunt iis quæ poſſunt, in his libris proponit. Nam illũ qui primus eſt in affectione ad res aliquas, Principũ cõmoda maiora, quàm reliquorũ, ſumptũ puto ab eo Ariſtotelis qui poſitus eſt prima pagina huius lib. καὶ τὸ τῷ βελτίονι καὶ τιμιωτέρῳ ὑπάρχον αἱρετώτερον, οἷον θεῷ ἤπερ ἀνθρώπῳ καὶ ψυχῇ ἤπερ σώματι. Latius ergo patet locus Ariſtotelis, niſi forte principũ nomine eos omnes qui præſtãt aut præeſſe debẽt, intelligamꝰ. Illud etiã, Itemq; q iucũdiora, in hoc libro eſt, ſed latius patet, ἔτι διελέσθαι ποσαχῶς τὸ αἱρετὸν λέγεται, καὶ τίνος χάριν, οἷον τοῦ συμφέροντος, ἢ τοῦ καλοῦ, ἢ τοῦ ἡδέος. τὸ γὰρ πρὸς ἅπαντα, ἢ πρὸς τὰ πλείω χρήσιμον

σιμον

σιμον, αἱρετώτερον ἂν εἴη τοῦ μὴ ὁμοίως. Τῶν δ' αὐτῶν ἀμφοτέροις ὑπαρχόντων, ἐπὶ τίνι μᾶλλον ὑπάρχει σκεπτέον, πότερον ἥδιον, ἢ κάλλιον, ἢ συμφερώτερον. Sic ergo, Diuiſio etiã rerum expetendarũ, & quarũ cauſa expetãtur, magnã ſuppeditabit copiã diſputãdi, vt vtilitatis, vel honeſtatis, vel voluptatis gratia res omnes expetẽdas. Quibus enim ad omnia vel ad plura vtimur, ea eis anteponenda ſunt, quibus ad tot res nõ vtimur. Quòd ſi in vtriſq; eadẽ reperiãtur, videndum eſt, vtrũ iucũdiora, an honeſtiora, an vtiliora. Ex quo loco perſpici poteſt, non ſolũ quæ iucũdiora anteponẽda eſſe, verũ etiam quæ honeſtiora, quæq; vtiliora. Illi etiã duo omniũ poſtremi loci, Quę pluribus probata, quę ab optimo quoq; laudata, ſumpti ſunt ex hoc libro. Sed tamẽ apertius ſunt & magis perſpicue traditi & explicati in 1. de Arte rhetorica, καὶ ὃ κρίνειεν ἂν ἢ κεκρίκασιν οἱ φρόνιμοι ἢ πάντες ἢ οἱ πολλοὶ, ἢ οἱ πλείους, ἢ οἱ κράτιστοι, ἀγαθὸν μᾶλλον. ζοι. κράτιστοι enim ad ſingularẽ numerũ trãsferri traduciq; debet, vt ſit locus generi dicẽdi ſplendidiſsimo, ab optimo quoq; laudata & probata. Hæc habui quę de cõparatione locorũ, quos Cicero in Topicis ab Ariſtotele mutuatus eſt, dicerẽ. Nam in reliquis libris aut nihil, aut certe perpauca ſunt quæ ipſe ille inde aſſumpſerit. Quòd ſi cõmentarios ſcribere inſtituiſſem, quibꝰ res & ſentẽtias expenderẽ aut illuſtrarẽ, exẽplorũ copia vſus eſſem. Nunc cùm inſtituti noſtri hæc ſit ratio, quę ſnã Ariſtotelis locos Cicero in Topicis verterit, docere, eóſq; quo facilius intelligi res poſſet, inter ſe conferre: id quoniã quoad fieri potuit, effeci, abſolutũ pẽſum noſtrũ hac quidẽ ex parte iudico. Nã ſi quid in reliquis libris ſit, quod noſtra egeat admonitione, faciemus. Sed antequam ad cæteros veniam, locus eſt quidã poſitus in hoc tertio libro, imò verò definitio quædã pulchritudinis, quam à Cicerone multis locis conſtitutam in hunc librum contuli, quæ me admonet, vt quibus libris ab eo tradita explicatáque ſit, exponam. In verbo enim vno quod definitio illa complectitur, peccatur à multis. Is locus eiuſmodi eſt.

Et pulchritudo corporis, eſt apta quædã compoſitio membrorum, τὸ δὲ κάλλος τῶν μελῶν τις συμμετρία δοκεῖ εἶναι.) Cicero συμμετρίαν μελῶν vocat aptam compoſitionẽ membrorũ, in 1. de Officiis, Vt enim pulchritudo corporis apta compoſitione mẽbrorũ mouet oculos, & delectat hoc ipſo quòd inter ſe omnes partes cũ quodã lepõre conſentiunt: ſic hoc decorũ quod elucet in vita, mouet approbationẽ eorũ quibus cũ viuitur, ordine & conſtãtia & moderatione dictorũ omniũ atq; factorũ. In 4. Tuſculan. videtur dicere apta figura membrorum, his verbis, Et vt corporis eſt quædam apta figura membrorũ cum coloris quadam ſuauitate: eáque pulchritudo, &c.

## ANNOTATIONES IN LIBRVM SEXTVM. CAPVT I.

Superioribus duobus libris prætermiſsis, quoniã nihil aut perpauca magnopere enodationis aut admonitionis indigere videntur, iam ad ſextũ librũ veniamus. In quo quoniã de ſciẽtia & arte definiẽdi Ariſtot. diſſerit, quid Cicero vel ab hoc libro, vel à cæteris in Topica tractans definitionis locũ tranſtulerit, docebimus. Cicero quidẽ in Topicis, expoſitis omnibus argumentãdi locis, quæſtionũque generibus, inſtituit qui loci ad quaſq; quæſtiones ſint accõmodati, docere. Et quoniã eam quæſtionẽ qua quid ſit quæritur, ad definitionẽ rei pertinet, qui loci ad eã apti ſint, paulo poſt tradit his verbis, Ad definitionẽ autẽ pertinet ratio & ſciẽtia definiendi. De ratione autẽ & ſcientia definiẽdi pauca ille: Ariſtoteles hoc libro multa præcipit. Et quoniam pauca illa ab Ariſtotele magna ex parte mutuatus eſt, non alienũ erit hoc

loco



loco vnde ea ſumpſerit exponere. Principio libri, quid ſit definitio, exponit his verbis, Definitio eſt oratio quę id quod definitur, explicat quid ſit. Definitio hec ſumpta eſt ex his libris quẽadmodũ ſuprà docui. Sed illud notandum eſt, ὅρον & ὁρισμὸν definitionem ab Ariſtotele his libris appellari. Itaq; inſcite interpretantur quidã ὅρον terminũ. Semper autẽ apud Ariſtotelẽ reperitur participiũ vel σημαίνων, vel δηλῶν, quod vertit Cicero, quæ explicat. Illud autẽ τὸ τί ἦν εἶναι operæpretium eſt quàm omnes adhuc inſcienter & obſcure expoſuerint, cognoſcere. Dicũt enim, quod quid erat eſſe. quis autẽ hoc intelligere poſsit? Dicamus ergo vel auctore Cicerone, quid ſit, vel vim & naturam rei, vt ipſe Cicero in Oratore. Quod in hac definitione dicit, id quod definitur, Gręce eſt, τὸ ὁριζόμενον. Itaq; Ariſtotelis principio huius libri totidẽ ſunt penè verba, quot Ciceronis in ſuperiore definitione: enumerãs enim quinq; vitia quæ in definitione incidunt, hoc quartũ ponit, εἰ πάντα τὰ εἰρημένα πεποιηκὼς μὴ ὥρισται, μηδὲ εἴρηκε τὸ τί ἦν εἶναι τοῦ ὁριζομένου, id eſt, Si omnia ſuperiora nõ ſint explicata, nec quid ſit id quod definitur, &c. In Oratore pro eo dicit id de quo agitur, quod verbũ fortaſſe reſpõdet πράγματι, quod pleriſq; locis Ariſtoteles adhibet, vt in ſeptimo, εἰ γάρ ἐστιν ὅρος λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ πράγματι δηλῶν, &c. In Oratore aũt ſic definit Cicero, Siquidem definitio eſt oratio, quę quid ſit id de quo agitur, oſtẽdit quàm breuiſſime. Definitionũ genera duo facit Cicero in Topicis, quę ad iuriſperitos & oratores, nõ ad philoſophos pertinent. Sic enim diuidit, Definitionũ autem duo ſunt genera prima: vnũ earũ rerũ quæ ſunt, alterũ earum quæ intelliguntur. Hęc duo philoſophi illi quidẽ vocant τὰ ὄντα, & τὰ νοητά. ſed aliter illa ac Cicero, definiunt. Itaq; hac prætermiſſa, ad eam quę ſequitur, veniamus. Atq; etiã definitiones, inquit, aliæ ſunt partitionũ, aliæ diuiſionũ: partitionũ, cùm res ea quæ propoſita eſt, quaſi in mẽbra diſcerpitur, vt ſi quis ius ciuile dicat id eſſe, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuriſperitorũ auctoritate, edictis magiſtratuũ, more, æquitate conſiſtat. Diuiſionũ aũt definitio formas omnes cõplectitur, quę ſub eo genere ſunt quod definitur, hoc modo, Abalienatio eſt eius rei quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu, aut in iure ceſsio, inter quos ea iure ciuili fieri poſſunt. In hoc 8. lib. huius generis definitionis nõ facit mentionẽ Ariſtoteles, quoniam ad philoſophorũ vſum hæc omnia traduxit. In 1. autẽ de animo aliquid de eo genere præcipit. Definit enim οἰκίαν, id eſt, domũ, σκέπασμα κωλυτικὸν φθορᾶς ὑπ' ἀνέμων καὶ ὄμβρων καὶ καυμάτων, id eſt, operculũ quod ventorũ, imbriũ, caloriſq; iniurias atq; incõmoda propulſat. Itẽmq; hoc modo, λίθους καὶ πλίνθους, καὶ ξύλα. Cicero niſi hæc duo genera definitionũ non adhibet. Sic enim deinceps ait, Sunt & alia genera definitionũ, ſed ad huius libri inſtitutũ illa nihil pertinent. Quod autẽ ſequitur, ſumpſit de 2. lib. de Arte iudicandi, quæ ἀναλυτικὰ ὕστερα dicũtur. Tantũ eſt dicendũ, inquit, qui ſit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt: cum ſumpſeris ea quę ſunt ei rei quã definire velis, cũ aliis cõmunia, vſq; eò perſequi dum propriũ efficiatur, quod nulli in aliã rem transferri poſsit. Hæc inquã, pręcipit Ariſtoteles in eo quẽ modo nominaui lib. quæ etſi alio loco à me prolata ſunt, tamen quoniã inſtitui quæ ab Ariſtotele ille tranſtuliſſet in Topica docere, ſubiiciẽda cenſui. πῶς δὲ δεῖ θηρεύειν τὰ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενα, νῦν λέγομεν. τῶν δὴ ὑπαρχόντων ἀεὶ ἑκάστῳ, ἔνια ἐπεκτείνει ἐπὶ πλέον, οὐ μέντοι ἔξω τοῦ γένους. λέγω δὲ ἐπὶ πλέον ὑπάρχειν, ὅσα ὑπάρχει μὲν ἑκάστῳ καθόλου, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἄλλῳ. οἷον ἔστι τι ὃ πάσῃ τριάδι ὑπάρχει, ἀλλὰ καὶ μὴ τριάδι, ὥσπερ τὸ ὂν ὑπάρχει τῇ τριάδι, ἀλλὰ καὶ μὴ ἀριθμῷ, ἀλλὰ καὶ τὸ περιττὸν ὑπάρχει τε πάσῃ τριάδι, καὶ ἐπὶ πλέον ὑπάρχει, καὶ γὰρ καὶ τῇ

πεντάδι ὑπάρχει, ἀλλ' οὐκ ἔξω τοῦ γένους· ἡ μὲν γὰρ πεντὰς, ἀριθμὸς, οὐδὲν δὲ ἔξω ἀριθμοῦ περιττόν. τὰ δὴ τοιαῦτα ληπτέον μέχρι τούτου, ἕως τοσαῦτα ληφθῇ πρῶτον, ὧν ἕκαστον μὲν ἐπὶ πλέον ὑπάρξει, ἅπαντα δὲ μὴ ἐπὶ πλέον, id eſt, Quẽadmodũ autẽ indaganda atq; inueſtiganda ſint ea quę definitio cõplectitur, nunc diſſeramus. Eorũ igitur, quæ in quaq; re ſemper inſunt, quędã aliarũ rerũ etiã communia ſunt, & ad aliam rem transferuntur, etſi non in aliud genus. Dico autẽ ea in aliam rem trãſferri, quæ non ſolum cuiq; rei quam totum genus cõplectitur, ſed etiam alij conueniunt. vt aliquid eſt quod omni ternioni cõuenit, ſed alij etiam rei quæ non eſt ternio. cuius generis eſt id quod eſt, quod ternioni conuenit, & ei rei quæ non eſt numerus. Quinetiam impar omni ternioni conuenit, ſed in aliam rem transfertur, quippe cum quinq; etiam conueniat, ſed tamen in aliud genus non transfertur, quoniã quinq; numerus eſt, nec quicquam præter numerum impar eſt. Sumendo igitur ea omnia quæ ſunt eius generis, vſq; eò perſequi debemus, dum eiuſmodi ſumpta ſint primum, quorum quicq; cum aliis commune ſit, vniuerſa tamen nullam in aliam rem transferri poſsint. ὑπάρχειν, ἐπεκτείνειν ἐπὶ πλέον. Cicero dicit etiam latius patere, manere, & ad plura pertinere: quod etiam κοινότερον εἶναι Ariſtoteles appellat, quemadmodum alio loco docui. Atq; etiã exemplum quo Cicero vtitur, facilè locum illum ſumptum eſſe ex eo libro indicat. Definit enim hæreditatem his verbis, vt doceat, eum eſſe modum definitionis, quem veteres tradiderunt. Hæreditas, inquit, eſt pecunia, commune adhuc, multa enim genera ſunt pecuniæ: adde quod ſequitur, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit, nondum eſt definitio: multis enim modis ſine hereditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Vnũ adde verbum, iure, iam à communitate res diiuncta videbitur, vt ſit explicata definitio ſic, Hæreditas eſt pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure. Nondum eſt ſatis, adde, nec ea aut legata teſtamẽto, aut poſſeſsione retenta, confectum eſt. Si Cicero non iuriſperitorum, ſed philoſophorũ exemplis vti voluiſſet, profecto idem de ternionis definitione, quod de hæreditatis, oſtendiſſet. Ariſtoteles enim ternioni definitionẽ ſtatuit deinceps, hoc modo, οἷον τριάδι ὑπάρχει πάσῃ, ἀριθμὸς τὸ περιττὸν τὸ πρῶτον ἀμφοτέρως καὶ ὡς μὴ μετρεῖσθαι ἀριθμῷ, καὶ ὡς μὴ συγκεῖσθαι ἐξ ἀριθμῶν. τοῦτο τοίνυν ἤδη ἐστὶν ἡ τριὰς, ἀριθμὸς περιττὸς πρῶτος, καὶ ὡδὶ πρῶτος. τούτων γὰρ ἕκαστον, τὰ μὲν καὶ τοῖς περιττοῖς πᾶσιν ὑπάρχει, τὸ δὲ τελευταῖον καὶ τῇ δυάδι, πάντα δὲ οὐδενὶ, id eſt, Vt hoc, Ternio eſt numerus impar, qui vtroq; modo primus eſt, & quòd numerus eam nõ dimetiatur, & quòd ex numeris nõ ſit cõcreta: vt ſit explicata definitio, ſic, Ternio eſt numerus impar primus, & ſic primus. Eorũ enim partim cõmunia ſunt imparibus omnibus, extremũ autẽ verbũ etiã duobus cõuenit, at nulli omnia. Ex ſuperioribus locis collatis inter ſe facile perſpici licet ἐπὶ πλεῖον ὑπάρχειν dici à Cicerone, in aliã rem transferri. Id quod Ariſtoteles in hoc lib. 6. in vitiis malæ definitionis numerat. Ait enim 1. cap. Εἰ δὲ ἐπὶ πλεῖον εἴρηκε τὸν ὅρον, πρῶτον μὲν σκοπεῖν, εἴ τινι κέχρηται, ὃ πᾶσιν ὑπάρχει. Quod Cicero in 4. Acade. mihi videtur indicare. Quid enim, inquit, agant, ſi cũ aliquid definierint, roget eos quiſpiam, num illa definitio poſsit in aliã rem transferri quamlibet? ſi poſſe dixerint, quid dicere habeant, cur illa vera definitio ſit? Idẽ in ſecundo de Oratore leges definitionis duas ſtatuit his verbis, Cuiuſmodi de ipſo iure ciuili heſterno die Craſſus cõponi poſſe dicebat, vt genera rerũ primũ exponerẽtur, in quo vitiũ eſt, ſi genus vllũ prætermittatur: deinde ſingulorũ generũ partes, in quo & deeſſe aliquã partẽ, & ſuperare mendoſum eſt: tum verborum omnium definitiones, in quibus neq; abeſſe quicqu



quicquam decet, neq; redundare. Hoc lib. Ariſtoteles aliâs περιττὸν εἶναι, aliâs περίεργον appellat, quod Cicero dicit redũdare & ſuperare. Dialectici aiunt, Definitio nihil debet ſuperflui cõtinere, nec diminuti, id eſt, οὐδὲν περιττὸν οὐδὲ ἐλλεῖπον, quod ait Cicero in definitionibus, neq; abeſſe quicquã decet, neq; redundare. Ac Cicero quidẽ nihil redundare decere in definitionibus tradit, ſed quo pacto id vitiũ effugere poſsimus, nullũ verbũ facit: Ariſtoteles autẽ quot modis id eueniat, tradit. Tribus enim modis id dicit fieri: primũ ſi quod verbũ eiuſmodi cõplectatur definitio, quod vel in rebus omnibus quæ ſint intelligatur, vel iis quę eidẽ generi ſubſunt. Secundo cũ proprium eſt quidẽ id quod adiectũ eſt, ſed eo dẽpto rei naturã reliqua declarat oratio. Tertio cũ bis dicitur aliquod verbũ. Quod attinet ad primũ genus, cauſam affert, cur id fiat, eam quã ſupra de modo definitionis Ciceronẽ ab ipſo docui eſſe mutuatũ: ea omnia quę definitio cõplectatur, ab aliquo rem eam quæ definiatur ſeparare ac ſeiungere debere. Itaq; ita cõcludit, ὥστε μάταιον τὸ τοιοῦτον προσκείμενον. In ſecũdo genere hũc locũ proponit, ἁπλῶς δ' εἰπεῖν ἅπαν περίεργον, οὗ ἀφαιρεθέντος, τὸ λοιπὸν δῆλον ποιεῖ τὸ ὁριζόμενον. Ariſtoteles vult eſſe definitionẽ ex genere & differẽtiis, idq; & in 2. lib. poſteriorũ Analyticorũ, & in hoc 6. & in 7. præcipit, cõcluditq; his verbis, νῦν δ' ὅσον ἱκανὸν πρὸς τὴν παροῦσαν χρείαν, τοσοῦτον μόνον λεκτέον, ὅτι δυνατὸν γίνεσθαι καὶ τοῦ τί ἦν εἶναι συλλογισμόν. εἰ γάρ ἐστιν ὅρος, λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ πράγματι δηλῶν, καὶ δεῖ τὰ ἐν τῷ ὅρῳ κατηγορούμενα ἐν τῷ τί ἐστι τοῦ πράγματος μόνα κατηγορεῖσθαι, κατηγορεῖται δὲ ἐν τῷ τί ἐστι τὰ γένη, καὶ αἱ διαφοραί. φανερὸν ὡς εἴ τις λάβοι ταῦτα μόνον ἐν τῷ τί ἐστι τοῦ πράγματος κατηγορεῖσθαι, ὅτι ὁ ταῦτα ἔχων λόγος, ὅρος ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη, id eſt, Nũc quidẽ quod hic locus poſtulare videtur, eatenus hoc ſolũ dicendũ eſt, & definitionẽ & vim naturãmq; rei per ratiocinationẽ poſſe concludi. Nã cũ definitio oratio ſit, quæ quid ſit res explicat, eáq; ſola quę in definitione dicũtur, in natura rei dici debeãt, & dicũtur de natura rei genera & differentiæ: profecto ſi quis ea ſolũ ſumat quæ in natura dici debent quæ hæc ipſa complectetur oratio, definitio ſit, neceſſe eſt. Paulo infra, hoc dicit planius, ὁρισμός ἐστιν ἐκ γένους καὶ διαφορῶν. Cicero autem nunquam differentiam ſtatuit eam quam philoſophi, ſed differentiam & diſsimilitudinem pro eodem dicit. Itaq; ea definitionem non vult explicari, ſed genere & proprietatibus, & communium frequentia, In partitionibus hoc docet his verbis: C. F. Quid? definitionis quæ ratio eſt & quæ via? C. P. Non dubium eſt id quidem quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiã communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit, eluceat. Vocat communia ea de quibus loquitur Ariſtoteles in 2. lib. poſteriorum analyticorũ: quem locum ſupra protuli, à quo modum definitionis ipſe Cice. in Topicis, vt paulo ſupra docui, eliciuit. Quod autẽ in partitionibus ſequitur, Sed quoniam de propriis oritur plerunq; magna diſſenſio, definiendum eſt ſępe ex contrariis, ſæpe etiam ex diſsimilibus, ſæpe ex paribus: id ſumpſit Cicero ex 7. lib. huius operis. Hunc enim locum definiendi proponit, εἰ ὁ ἀντικείμενος τοῦ ἀντικειμένου, καὶ τὸν εἰρημένον τοῦ προκειμένου. Paulo poſt de differentiis quas appellat Cicero proprietates & propria, καὶ τὰς διαφορὰς δὲ ἐναντίας τῶν ἐναντίων ἀξιοῦμεν κατηγορεῖσθαι, καθάπερ λευκοῦ καὶ μέλανος, τὸ μὲν γὰρ διακριτικὸν, τὸ δὲ συγκριτικὸν ὄψεως. ὥστε εἰ τοῦ ἐναντίου αἱ ἐναντίαι κατηγοροῦνται, τοῦ προκειμένου αἱ ἀποδοθεῖσαι κατηγοροῖντο ἄν. Ex paribus paulo poſt definit Ariſtoteles, καὶ ἐκ τῶν ὁμοίως ἐχόντων πρὸς ἄλληλα: εἰ γὰρ τὸ ὑγιεινὸν ποιητικὸν ὑγιείας, καὶ τὸ εὐεκτικὸν ποιητικὸν εὐεξίας. Ex diſsimilibus contrà. Nam vt ipſe Cicero dicit in Topicis, eiuſdem eſt ſimile & diſsimile inuenire. Locus ergo hic

Ciceronis qui eſt in partitionibus obſcurus, Sæpe definiendus eſt ex cõtrariis, ſæpe ex diſsimilibus, ſæpe ex paribus: ſic intelligẽdus eſt, Si propriũ alicuius quod contrariũ habet definiendo explicare velimus, propriũ cõtrarij nobis proponere debemus, ex quo ſic definitionẽ eſſe verã monſtrabimus: Si cõtrarij eius rei de qua agitur propriũ contrarium eſt ei quod ſtatuo, id quod ſtatuo propriũ eſt eius de quo agitur. Locus cõmunis eſt, Contrariorũ cõtrariæ ſunt proprietates. Eadẽ eſt diſsimiliũ & pariũ ratio. Alij aliter interpretantur, vt dicant ex cõtrariis definiri, vt Horatius fecit, Virtus eſt vitium fugere, &c. Sed quoniã illæ nõ ſunt propriæ definitiones, & ipſe Cicerò hoc ipſo ex cõtrariis, diſsimilibus & paribus definiendũ dicit, quòd plerunq; de propriis oritur cõtrouerſia, in qua ad cõtrariorũ propria ſi ita incidat, cõfugiendũ Ariſtoteles cenſet: ob eam cauſam ſic intelligi poſſe hũc locũ arbitror. Sed iam ad propoſitũ reuertamur. Cũ in Topicis tractans hũc definitionis locũ Cicero, duobus generibus definitionis traditis, alia etiam genera definitionũ eſſe dixit, quæ ad eius libri inſtitutũ nihil pertinerent, tum aliud genus eius tradit his verbis, *Sæpe etiam definiunt & oratores & poëtæ per tranſlationes verbi ex ſimilitudine cũ quadã ſuauitate. Sed ego à veſtris exemplis niſi neceſſario nõ recedã. Solebat igitur Aquilius collega & familiaris meus cũ de littoribus ageretur, quę omnia publica eſſe vultis, quærẽtibus iis ad quos id pertinebat, quid eſſet littus, ita definire, Quà fluctus eluderet, hoc eſt, quaſi qui adoleſcentiã florẽ ætatis, ſenectutẽ occaſum vitæ, velit definire.* Tranſlatione enim vtens, diſcedebat à verbis *propriis* rerũ ac ſuis. Ego Ciceronẽ puto hoc genus definitionũ de induſtria ad oratores & poëtas, nõ etiã ad philoſophos accõmodaſſe, quòd vitioſum hoc genus eſſe in philoſophia ab Ariſtotele didiciſſet. Hoc enim 6. lib. 1. pagi. ab Ariſtotele ex hac arte expellitur, his verbis, ἄλλος, εἰ κατὰ μεταφορὰν εἴρηκεν. οἷον εἰ τὴν ἐπιστήμην ἀμετάπτωτον, ἢ τὴν γῆν τιθήνην, ἢ τὴν σωφροσύνην συμφωνίαν. πᾶν γὰρ ἀσαφὲς τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον. Cauſa ergo cur definitio per trãſlationẽ explicata, non eſt vera, eſt obſcuritas. Debet enim perſpicua & lucida eſſe definitio. Quod Cicero in 2. de Oratore attigit. Atq; in hoc, inquit, genere cauſarũ nõnulli præcipiunt, vt verbum illud, quod cauſam facit, lucide ac breuiter vterq; definiat. Lucide Grȩce eſt σαφῶς, id eſt, dilucide & perſpicue & aperte: cuius contrariũ eſt ἀσαφῶς, id eſt, obſcure. De obſcuritate vitanda nihil Cicero præcipit. Ariſtoteles in hoc libro eius prȩcepta & diſciplinam tradit. Primũ ambiguis verbis definitio obſcuratur: deinde verbis iis quibus vox quæ definitur cùm multis modis dicatur, tamen non declaratur quomodo ſit intelligenda: tum ſi per tranſlationem explicetur: ad hæc ſi verbis inuſitatis: poſtremo ſi ea cõtrarij nõ intelligatur declaretúrq; definitio.

## ANNOTATIONES IN LIBRVM SEPTIMVM. CAP. I.

IN ſeptimo libro primum de locis eius generis quod de eodem & alio appellatur, Ariſtoteles diſſerit, quod genus attribuit in 1. lib. definitioni: tum de locis qui ad probandã definitionẽ valẽt, quoniã ſuperiore lib. eos ſolũ propoſuit, qui valent ad eam refellendã: poſtremo hæc quatuor genera dicendi, quæ prædicata appellantur, id eſt, genus, definitionem, propriũ & accidens, confert inter ſeſe, vt quod eorũ firmiſsimã probationẽ, & minimã refutationem habeat, quod cõtrà probatu difficillimũ ſit, quod ad refutandũ facillimũ, intelligatur. Atq; hæc quidẽ eſt quaſi materies huius libri. De genere autẽ quod de eodẽ & alio ſeu altero dicitur, nõnihil in 1. lib. diximus: nũc qui loci in huius ge-



ius generis quæſtionem conueniant dicamus: vt quid Cicero ab Ariſtotele mutuatus ſit, intelligatur. Cice. quidẽ in Topicis extrema propè pagina qui loci ad hanc quæſtionem accommodati ſint, exponit his verbis, *Sed verba paulò altius repetenda ſunt*, Ad definitionẽ autẽ pertinet ratio & ſcientia definiendi. Atq; huic generi finitimũ eſt illud, quod appellari de eodem & altero *diximus*: quod genus forma quædã definitionis eſt. Si enim quæratur idémne ſit pertinacia & perſeuerantia, definitionibus iudicandũ eſt. Loci autem conuenient in eius generis quæſtionem conſequentes, antecedẽtes, repugnantes, adiunctis etiam duobus iis qui ſumuntur ex cauſis & effectis. Nam ſi hanc rem illa ſequitur, hanc non ſequitur: aut ſi huic rei illa antecedit, huic nõ antecedit: aut ſi huic rei repugnat, illi nõ repugnat: aut ſi huius rei hæc, illius alia cauſa eſt: aut ſi ex alio hoc, ex alio illud effectũ eſt: ex quouis horũ id de quo quæritur idémne an aliud ſit, inueniri põt. Atq; hȩc quidẽ Cicero breuiter, vt omnia. *Ariſtoteles autẽ copioſius hos tractat locos in hoc* 7. libro quàm Cicero, quoniam cætera in primo, vt ibi oſtendi, *perſecutus* eſt. Hunc quidẽ primum locũ qui eſt à conſequentibus, Si hanc *rem illa ſequitur*, hanc nõ ſequitur, prima pagina his verbis Ariſtoteles explicat, ὅτι ἐκ τῶν τούτοις συμβεβηκότων, καὶ οἷς ταῦτα συμβέβηκεν ἐπισκοπεῖν. ὅσα γὰρ θατέρῳ συμβέβηκε, καὶ θατέρῳ δεῖ συμβεβηκέναι· καὶ οἷς θάτερον αὐτῶν συμβέβηκε, καὶ θάτερον δεῖ συμβεβηκέναι. εἰ δέ τι τούτων διαφωνεῖ, δῆλον ὅτι οὐ ταὐτά. συμβεβηκότα ergo vocat ea quæ ἀκολουθοῦντα in ſecũdo appellauit. Itaq; συμβεβηκὸς quod adhuc verti accidẽs, ne totã hanc artẽ viderer corrũpere, cõſecutio vno verbo à Cicerone dicitur. In tertio de Oratore, Cognitionis autem tres modi: coniectura, definitio, & vt ita dicam, conſecutio. Nam quid in re ſit, coniectura quæritur: vt illud, Sítne in humano genere ſapientia? Quam autẽ vim quæq; res habeat, definitio explicat: vt ſi quæratur, quid ſit ſapientia? Conſecutio autem tractatur, cum quid quãq; rem ſequatur inquiritur: vt illud, Sítne aliquando mentiri boni viri? Paulo infra, Conſecutionis autem duo prima quæſtionum genera ponuntur. Nam aut ſimplex eſt diſcrepatio, vt ſi diſſeratur, expetendáne ſit gloria: aut ex comparatione, laus, an diuitiæ magis expetendæ ſint? Ciceronem autem appellare conſecutionẽ quod ab Ariſtotele συμβεβηκὸς dicitur, præterquam quòd hic locus indicat, etiã hinc perſpici licet, quòd in primo lib. poſteaquam quid ſit συμβεβηκὸς explicauit, ei rerum inter ſe attribuit comparationes. Scribit enim his ferè verbis, προκείσθωσαν δὲ τῷ συμβεβηκότι καὶ αἱ πρὸς ἄλληλα συγκρίσεις, ὁποσοῦν ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος λεγόμεναι, οἷον πότερον τὸ καλὸν ἢ τὸ συμφέρον αἱρετώτερον. Nam ſimplicẽ quæſtionẽ in idem genus conuenire & perſpicuũ eſt, & idem Ariſtoteles tertio libro docet, cuiuſmodi eſt hȩc, Sítne beata vita expetenda? Ego in hoc ſeptimo libro hunc quem tracto locum, ὅτι ἐκ τῶν τούτοις συμβεβηκότων. &c. exponens, τὰ συμβεβηκότα τούτοις, rerum attributa transfero, quoniam συμβεβηκότα, id eſt, accidentia, & vt paulo ante expoſui, conſequentia, ſunt quæ rem ſequuntur, id eſt quæ rei attribuũtur. Itaq; Cicero in 1. de Inuentione omnes res ait argumentando confirmari, aut ex eo quod perſonis, aut ex eo quod negotiis eſt attributum. Quam diuiſionem ſecutus Quintilianus in capite de argumentis, quæ attributa ſunt rebus, vocat rerum accidentia, his verbis, In primis igitur argumenta ſæpe à perſona ducenda, cũ ſit, vt dixi, diuiſio vt omnia in hæc duo partiamur, res atq; perſonas: vt cauſa, tẽpus, locus, occaſio, inſtrumentũ, modus, & cætera, rerũ ſint accidẽtia: perſonis autẽ nõ quicquid accidit, mihi exequendũ eſt, &c. Sed ad alia veniamus. Quod Cicero dicit, Si huic rei illa antecedit, huic non antecedit, eſt prima etiã pagi-

na ſic explicatum, ἔτι εἰ δυνατὸν θάτερον ἄνευ θατέρου εἶναι, οὐ γὰρ ἂν εἴη ταὐτόν, id eſt, ſi vnū ſine altero cohærere poteſt. Quod ſi cui hi duo loci videantur omnino diſsimiles, vehementer errat. Sunt enim antecedentia, quæ cū rebus cohærēt neceſſario. Sic enim à Cicerone in Topicis definiuntur. Quicquid antecedit quanq; rem, id cohæret cū re neceſſario. Iam illud quod ſequitur, Si huic rei repugnat, illi non repugnat, non reperi. poſtremi autem duo loci, quos adiungit, qui ſumuntur ex cauſis & effectis. Si huius rei hæc, illius alia eſt cauſa, expoſiti ſunt initio libri huius, hoc modo: πάλιν ἐκ τῶν ποιητικῶν, καὶ φθαρτικῶν καὶ γενέσεων καὶ φθορῶν καὶ ὅλως καὶ ὁμοίως ἐχόντων πρὸς ἑκάτερον· ὅσα γὰρ ἁπλῶς ταὐτά, καὶ αἱ γενέσεις αὐτῶν καὶ αἱ φθοραί, καὶ τὰ ποιητικά, καὶ τὰ φθαρτικά. Ad hos locos Ariſtoteles alios etiā adiungit, vt eos qui ducuntur à cōiugatis, à cōtrariis, ex maiore, aliósq; permultos, quos Cicero prætermiſit omnino.

CAP. II.

MAxime autem apti & accommodati ſunt ex omnibus loci ij, qui modo expoſiti ſunt: & qui ex caſibus cōiugatiſq; ſumuntur, εἰσὶ δὲ ἐπικαιρότατοι τῶν τόπων, οἵ τε νῦν εἰρημένοι, καὶ οἱ ἐκ τῶν πτώσεων, καὶ τῶν συστοίχων.) ἐπικαιροτάτους τῶν τόπων nō dico opportuniſsimos locos, ſed maxime aptos & accōmodatos. Sic enim mihi videtur Cicero hoc verbum exponere. In Topicis, Loci autem qui ad quaſq; quæſtiones accommodati ſunt, deinceps eſt videndum. Omnes quidem illi quos ſupra diximus, ad pleraſq; ſunt, ſed alij ad alias, vt dixi, aptiores. Ad coniecturam igitur maximè apta, quæ ex cauſis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis ſumi poſſunt. Pro eodem in libro de Arte rhetorica interdum dicit οἰκειότατος τόπος, quoniam Cicero οἰκεῖον exponit accommodatū. Et quoniam Cicero hoc ipſo libro multis verbis idē declarantibus vtitur, mihi libet ea proponere, vt quæ illis quaſi ex altera parte reſpondeant Græca videamus. Sequitur ſuperiorem apud eum hæc oratio, Ad definitionē autem pertinet ratio & ſcientia definiendi, συντείνει πρὸς ὅρον μέθοδος τοῦ ὁρίζεσθαι. Paulo poſt, Loci autē conuenient in eius generis quęſtionē conſequentes, &c. id eſt τόποι δὲ ἐν τοιούτῳ προβλήματι, οἵ τε ἐξ ἀκολουθοῦντος, &c. Paulo infra, Ad tertiū genus quæſtionis, in quo quale ſit quæritur, in comparationem ea cadunt, quæ paulo ante in comparationis loco enumerata ſunt Cadere & conuenire in comparationem, συμβαίνει τῇ συγκρίσει, ἢ ὑπάρχειν, vel πίπτειν εἰς σύγκρισιν. Ariſtoteles 2. de Arte rhetorica, πίπτει δὲ εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους, ἐν ὑπεροχῇ γάρ ἐστι. Quod in Topicis dicit Cōuenire in quæſtionē. Cicero in Partitionibus, & in 2. de Oratore dicit cū dandi caſu. In 2. de Oratore: Quod autē argumentorū genus cuiq; cauſarum generi maximè conueniat, non eſt artis exquiſitæ præſcribere, ſed eſt mediocris ingenij iudicare. Sic Ariſtoteles 3. de Arte Rhetorica, δεῖ δὲ μὴ λεληθέναι, ὅτι ἄλλη ἑκάστῳ γένει ἁρμόττει λέξις. Quod autē Cicero deinceps dicit, In id autē genus in quo de expetendo fugiendóq; quæritur, adhibentur ea quæ ſunt aut animi aut corporis aut externa, vel commoda vel incōmoda: ego alio loco docui, illo noſtro, adhiberi, par eſſe Græcum προσχρήσασθαι, ſeu προσχρῆσθαι, quod verbū in 2. de Arte dicendi vſurpat Ariſtoteles in hac ipſa re, πᾶσι γὰρ ἀναγκαῖον τὰ περὶ δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου προσχρῆσθαι ἐν τοῖς λόγοις, id eſt, Oēs enim locos eius quod fieri pōt & nō pōt, in dicēdo adhibeant neceſſe eſt. προσκεῖσθαι pro eodem dixit in primo lib. quanquā mihi videtur attribui valere, προσκείσθωσαν δὲ τῷ συμβεβηκότι καὶ αἱ πρὸς ἄλληλα συγκρίσεις. Quod Cicero paulò ſupra ita indicat, hęc enim ſunt definitioni attributa. Quanquam autem vno verbo ſupra dixi οἰκεῖα hæc appellari, tamen non repugnat aliis etiā verbis declarari. Ariſtoteles his libris ſæpe in hac re χρήσιμον dicit, quod

in To



In Topicis vtile eſt, in ea duntaxat re nunquam Cicero exponit. Neq; enim vnquā locos dicit eſſe vtiles ad vllum genus quæſtionum. Itaq; illud adhiberi fortaſſe maluit dicere. Nihil attinet innumerabiles locos proferre ad id oſtendendum. Vel ille qui eum quē tractamus inſequitur, hoc ipſum facile declarat, χρησιμώτατα γὰρ πρὸς πλεῖστα. Itaq; eū expoſui his verbis, maxime enim apti ſunt ad multas quæſtiones. quod etiā ſic dici pōt, ij enim adhiberi poſſunt, &c. χρήσιμος autē τόπος πρός τι ſæpe à me dicitur: Valet locus ad aliquid, & interdū cōtra: quorū poſterius quoniā nō tenuerūt ij qui ante me hos libros verbū è verbo expreſſerunt, aliquot locis rem obſcurauerunt. Proferā locū qui ſequitur in hoc ſeptimo lib. ἔστι δὲ χρήσιμος ὁ τόπος πρὸς τοὺς τιθεμένους ἰδέας εἶναι, καθάπερ πρότερον εἴρηται. Si enim dicas, Eſt autē vtilis locus ad ponentes ideas eſſe, nec ſermo Latinus erit, nec quæ ſententia his verbis ſubiecta ſit, intelligetur. Dicamus ergo cū Cicerone, Valet hic locus cōtra eos qui ideas formaſq; ponūt. In 4. Acade. Sed adhibes artē aduocatā etiā ſenſibus. Pictor videt quæ nos nō videmus. Et ſimul inflauit tibicen, à perito carmē agnoſcitur. Quid hoc? nōne videtur cōtra te valere, ſi ſine magnis artificiis ad quæ pauci accedūt, noſtri quidem generis admodum nec videre nec audire poſſumus? ἐνεργὸς autē τόπος eſt, quem Cicero firmū vocat, Ariſtoteles hoc ipſo lib. paulo poſt ſuperiorem, ἔτι εἰ μεταφέρον εἴρηκε τοὔνομα, ἢ αὐτὸ αὑτοῦ κατηγόρησεν ὡς ἕτερον, καὶ ἐνεργὸς τῶν τόπων ἐστί, τούτῳ χρηστέον. In Topicis Cicero loquens de argumento ex genere cū ex toto quis perſequitur partes, Quod, inquit, genus argumenti in primis firmum videri ſolet. κοινὸν autem τόπον quem Ariſtoteles vocat hoc loco dico late patere cū Cicerone. In Topicis, Similitudo ſequitur, quæ late patet. Nā alio modo κοινὸς τόπος dicitur cōmunis, & ἴδιος proprius, quorū & Ariſtoteles in 1. de Arte Rhetorica, & Cicero multis locis definitionē explicāt. λέγω γὰρ διαλεκτικούς τε καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι, περὶ ὧν τοὺς τόπους λέγομεν. οὗτοι δ᾽ εἰσὶν οἱ κοινοὶ περὶ δικαίων καὶ φυσικῶν καὶ περὶ πολιτικῶν καὶ περὶ πολλῶν διαφερόντων τῷ εἴδει, οἷον ὁ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον τόπος. Paulo infra, ἴδια δέ, ὅσα ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον εἶδος καὶ γένος προτάσεών ἐστιν, οἷον περὶ φυσικῶν εἰσι προτάσεις ἐξ ὧν οὔτε ἐνθύμημα, οὔτε συλλογισμός ἐστι περὶ τῶν ἠθικῶν. Hūc locū ſtudioſorū cauſa transferam. Voco enim dialecticas & rhetoricas ratiocinationes eas, in quibus locos ſumptos eſſe dicimus. Loci aūt alij cōmunes ſunt hi, ex rebus iuſtis, ex naturalibus, ciuilibus, multiſq; aliis, quæ genere differunt, aſſumuntur. huiuſmodi eſt locus, ex maiore & minore. Alij proprij, qui ex ſingulorum generum propoſitionibus exiſtūt. vt rebus naturalibus quædam propoſitiones ſumuntur, ex quibus nec enthymema, nec ratiocinatio de moribus cōficitur. Cicero communes locos vocat, qui in multas cauſas transferri poſſunt: proprios qui non poſſunt. In Oratore loquens de amplificatione, Quę etſi æquabiliter toto corpore orationis fuſa eſſe debet, tamen in cōmunibus locis maximè excellet. qui cōmunes appellati, eò quòd videntur multarum iidem cauſarum, ſed proprij ſingularum eſſe debebunt. In 2. de Inuentione. Hæc ergo argumenta quæ transferri in multas cauſas poſſunt, locos communes nominamus. Quod etiam vocat Ariſtoteles χρῆσθαι τόπῳ, verbum è verbo Cicero dicit vti loco in Topicis, Tria ſunt genera cauſarum, iudicij, deliberationis, laudationis, quarum fines ipſi declarant, quibus vtendum locis ſit. Supra docui χρῆσθαι πίστει, dici à Cicerone tractare argumenta. Cicero hæc etiam genera dicendi vſurpat, Sumere argumentum, ducere, trahere, elicere, & verbum ipſum, argumentari. Argumentum Græce his libris dicitur ἐπιχείρημα in libro de Arte Rhetorica, πίστεις ἐπιχειρεῖν argumentari, Sumere argumentum.

λαμβάνειν πίστιν & πίστεις. In 2. de Rhetorica, ὧν μὲν οὖν δεῖ ὀρέγεσθαι προτρέποντας ὡς ἐσομένων, ἢ ὄντων, καὶ ἐκ τίνων δεῖ τὰς περὶ τοῦ συμφέροντος πίστεις λαμβάνειν, ἔτι δὲ τῶν περὶ τὰς πολιτείας ἠθῶν καὶ νομίμων, διὰ τίνων τε καὶ πῶς εὐπορήσομεν, ἐφ᾽ ὅσον ἦν τῷ παρόντι καιρῷ σύμμετρον εἴρηται, id eſt, Quæ igitur res futuræ aut præſentes in ſuaſionibus & adhortationibus proponi debeãt, ex quibuſq; locis argumenta ad probandũ vtile aliquid ſumẽda ſint, & quibus rebus ac rationibus mores & iura legitima rerũ publicarũ abundanter nobis occurrent, quantũ ſatis eſt ad hunc locũ diximus. Iiſdẽ libris aliquoties dicit φέρειν πίστεις, quod vel dicere, vel trahere, vel elicere argumẽta Cicero nominat. Neq; enim verbum è verbo commodè poſſumus dicere Latinè, ferre argumẽta. In 3. etiam de Arte Rhetorica ſæpe dicit, φέρειν ἀπόδειξιν pro eodẽ, quanquã mihi interdum facere fidem valere videtur, vt in eo loco libri quẽm modo nominaui, ἀποδεικνύειν δὲ χρὴ ἐπεὶ περὶ τεττάρων ἡ ἀμφισβήτησις, περὶ τοῦ ἀμφισβητουμένου φέροντα ἀπόδειξιν, οἷον εἰ ὅτι οὐ γέγονεν, ἀμφισβητεῖ, ἐν τῇ κρίσει δεῖ τούτου μάλιστα τὴν ἀπόδειξιν φέρειν. Vt ſit vertendus locus hoc modo, In confirmãdo autẽ, quoniam de quatuor exiſtit cõtrouerſia, rei dubiæ fides facienda eſt, vt ſi ſit controuerſum & dubium, an ne fecerit, huius rei in iudicio in primis fides fieri debet. Itaq; Cicero argumentum vocat quod rei dubiæ fidẽ facit. vt ſint genitiui caſus quemadmodum apud Græcos. Ita de illo φέρειν πίστεις interdum iudicare debemus. Depromere & eruere argumenta Cicero dicit pro eodẽ. In Topicis, Cum autem à genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id vſq; à capite arceſſere. Eodem libro iungit idem verbũ cum ex præpoſitione. Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, quæ quodãmodo affectæ ſunt ad id de quo quæritur. Ibidem, Commodè etiam tractatur hæc argumẽtatio quæ ex genere ſumitur, cum ex toto perſequare partes. Iungit interdũ hoc verbum cum à præpoſitione. In Topicis, Teſtimonium autem nunc dicimus omne quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendã fidem. In 2. de Oratore, Ac ſi verum quæritis. quod mihi quidem videtur (nihil enim aliud affirmare poſſum, niſi ſententiam & opinionem meam) hoc inſtrumentum cauſarum & generum vniuerſorum in forum deferre debemus, neq; vt quæq; res delata ad nos erit, tum deniq; ſcrutari locos ex quibus argumenta eruamus, &c. In 4. de Finibus quem locũ ſupra protuli. Nam è quibus locis quaſi theſauris argumenta depromerẽtur, veſtri ne ſuſpicati quidem ſunt, ſuperiores autem artificio & via tradiderũt. In Topicis verbo ſimplici vtitur. Sic enim appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes è quibus argumenta promũtur. Paulo infra, Tum notatio, cũ ex vi verbi argumentũ aliquod elicitur. In Oratore loquens de his Ariſtotelis libris, Idẽmq; locos (ſic enim appellat quaſi argumentorum notas) tradidit, vnde omnis in vtranq; partem traheretur oratio. Tot igitur modis Cicero hoc dicendi genus extulit, quorũ illos tres, Promere, depromere, & eruere argumenta per tranſlationẽ expreſsit. Itaq; apud Ariſtotelẽ, qui propriè loqui ſolet, hæc genera non reperi. φέρειν autẽ πίστεις dicit quod (vt dixi) valet vel ducere vel trahere, vel elicere argumenta, quanquã hoc poſtremũ per trãſlationem dicitur. In 2. de Arte rhetorica: ἐπεὶ δὲ περὶ ἕκαστον μὲν γένος τῶν λόγων ἕτερόν τι τὸ τέλος ἦν, περὶ ἁπάντων δὲ αὐτῶν εἰλημμέναι δόξαι καὶ προτάσεις εἰσίν, ἐξ ὧν τὰς πίστεις φέρουσι, καὶ συμβουλεύοντες καὶ ἐπιδεικνύοντες καὶ ἀμφισβητοῦντες, ἔτι δ᾽ ἐξ ὧν ἠθικοὺς τοὺς λόγους ἐνδέχεται ποιεῖν, καὶ περὶ τούτων διώρισται, λοιπὸν ἡμῖν διελθεῖν περὶ τῶν κοινῶν, id eſt, Quoniã autẽ ſuus cuiuſq; generis cauſarũ finis eſt, de quibus omnibus ſumptæ ſunt propoſitiones & quaſi elementa ex quib9 argumẽta ducerẽtur in deliberationib9, laudationibus, & iudiciis: quoniámq;

expoſi



expoſitũ eſt à nobis quibus rebus fieri poſsit, vt oratione animos eorũ qui audirent conciliaremus, reliquũ eſt, vt de argumentis communibus dicendũm eſſe videatur. In principio 8. libri horũ, τοὺς μὲν οὖν τόπους ὅθεν δεῖ λαμβάνειν εἴρηται πρότερον. Apud Ciceronẽ non inueni ſcriptũ hoc genus, Argumentari ex genere vel à forma, ſed omnino argumẽtari. Ariſtoteles contrà ἐπιχειρεῖν iungit, vt λαμβάνειν, & φέρειν πίστεις. Principio 8. libri δεῖ δὲ πρῶτον μὲν ἐρωτᾶν μέλλοντα τόπον εὑρεῖν ὅθεν ἐπιχειρητέον. Ego initio horũ cõmentariorum oſtendi quod Cicero argumentationes appellaret, eſſe apud Ariſtotelẽ λόγον certis quibuſdã locis. Cicero enim vult intereſſe inter argumẽtationẽ & argumentum in Partitionibus. Argumentationẽ, inquit, quærere videris, quę eſt argumenti explicatio. Paulo infra, Eſt ergo, vt ſupra dictũ eſt, explicatio argumenti argumẽtatio. Explicationem appellat tractationem, λόγον autem argumentationem dici ab Ariſtotele, ex 8. libro facile perſpici poteſt, ψευδὴς δὲ λόγος καλεῖται τετραχῶς· ἕνα μὲν τρόπον, ὅταν φαίνηται συμπεραίνεσθαι μὴ συμπεραινόμενος, ὃ καλεῖται συλλογισμὸς ἐριστικός. Paulo ante, λόγος δέ ἐστι δῆλος, ἕνα μὲν τρόπον καὶ δημοσιώτατον, ἐὰν ᾖ συμπεπερασμένος οὕτως, ὥστε μηδὲν δεῖν ἐπερωτῆσαι. Neque enim argumentũ concluditur, ſed fidem facit atque concludit, argumentatio autem concluditur. Argumẽtum autem Latine ἐπιχείρημα eſſe Græce ex eodem libro intelligi licet. Argumentationẽ etiam eſſe hic locus de eodem libro ſumptus indicat. Definit enim ἐπιχείρημα his verbis, ἐπιχείρημα δέ, συλλογισμὸς διαλεκτικός. Cicero etiam interdũ argumentationẽ pro argumento dicit. In primo de Inuentione, Omnis autem argumẽtatio, quæ ex iis locis quos commemorauimus, ſumetur, aut probabilis, aut neceſſaria debebit eſſe. Etenim, vt breuiter deſcribamus, argumentatio videtur eſſe inuentum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſario demonſtrans. In partitionibus argumentum verbis idem declarantibus efficientibúſque definit. In Partitionibus, Quid eſt argumentum? C.P. Probabile inuentum ad faciendam fidem. Cicero in Partitionibus vocat certæ notæ argumentum, quod certe ἐπιχείρημα non dicitur, nec πίστις. Quomodo autem græcè dicatur, quoniam apud Ariſtotelem ſcriptũ reperi, aliis tradendum cenſui. In eo libro, quem modo nominaui, argumẽtorũ duo ponit genera his verbis: Nunc coniecturæ locos quæro. C.P. In veriſimilibus & in propriis rerũ notis poſita eſt tota. Sed appellemus docẽdi gratia veriſimile quod plerunque ita fiat, vt adoleſcentiã procliuẽ eſſe ad libidinem. Propriæ aũt notæ argumentum, quod nunquam aliter fit certũmque declarat, vt fumus ignẽ. Hæ definitiones ab Ariſtotele in 1. de Arte rhetorica tradũtur, his verbis, τὸ μὲν γὰρ εἰκός ἐστιν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενον. Paulo ante, τούτων δέ, τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τεκμήριον. Paulo infra exemplũ affert, τὸ δὲ οἷον εἴ τις εἴπειε σημεῖον τὸ ὅτι νοσεῖ, πυρέττει γάρ, ἢ τέτοκεν ὅτι γάλα ἔχει, ἀναγκαῖον, ὅπερ τῶν σημείων τεκμήριον μόνον ἐστί. Illud ergo perſpicuũ eſt, εἰκὸς veriſimile, τεκμήριον certæ notæ argumentũ à Cicerone nominari, πίστις aũt non ſolũ argumentũ eſt Latine, ſed etiã fides, probatio, confirmatio, quæ pars eſt tertia orationis, cuius contrariũ eſt ἔλεγχος, id eſt, ſiue reprehenſio ſiue refutatio. Quorũ extremum quoniam late patet, in eóque peccatur, Ciceronis & Ariſtotelis mihi authoritatibus cõfirmandũ videtur. Cicero in Partitionibus. C.F. Quoniã igitur vis oratoris omnis expoſita eſt, quid habes de orationis præceptis dicere? C.P. Quatuor eſſe eius partes, quarũ prima & poſtrema ad motũ animi valet, is enim initiis eſt & perorationibus cõcitandus. Secũda narratio, & tertia cõfirmatio fidẽ facit orationi. Paulo infra: Sed iam ad reliqua pergamus. C.F. Nempe ea ſequũtur quæ ad faciendã fidem

pertinēt. C.P. Ita eſt, quæ quidē in confirmationē & in reprehenſionem diuiduntur. Nam in confirmando noſtra probare volumus, in reprehendendo redarguere cōtraria: Vocat tertiā partē orationis confirmationē quam vt Ariſtoteles πίστιν in 3. de Arte rhetorica libro, ſic in Topicis idē Cicero fidem nominat. In Topicis extrema pagina, Quæ autē, inquit, ſequitur narrationem fides ea perſuadendo quoniam efficitur, qui ad perſuadendum loci maxime valēt, dictum eſt in iis, in quibus de omni ratione dicēdi diximus. Ariſtoteles in eo libro, quem modo nominaui ἔστι δὲ τοῦ λόγου δύο μέρη. Paulo infra, τούτων δὲ, τὸ μὲν πρόθεσίς ἐστι, τὸ δὲ πίστις. Probare Cicero dicit & confirmare, & fidē facere, & perſuadere pro eodem, δεικνύναι & ἀποδεικνύναι, & πείθειν & πιστεύεσθαι, Ariſtoteles pro eiſdē κατασκευάζειν confirmare, quod verbum crebris Ariſtoteles in his libris vſurpat ſermonibus, cuius contrariū eſt ἀνασκευάζειν, quod eſt infirmare, nam ἐλέγχειν refutare, redarguere, coarguere, refellere valet. Itaq; ἔλεγχον reprehēſionem & refutatione dico cum Cicerone, redargutionem fugio, etſi verbum vſitatum eſt. ἀναιρεῖν euertere Cicero dicit, vt quod Ariſtoteles his libris ait, ἀναιρεῖν τὸν ὅρον ἢ ἱστάμενον, vertit euertere definitionem. Paulo poſt hūc locum quem tractamus, ἀναιροῦντι μὲν οὖν ἀπόχρη πρὸς ἓν διαλεχθῆναι. ἓν γὰρ ὁποιονοῦν ἀνασκευάσαντες, ἀνῃρηκότες ἐσόμεθα τὸν ὅρον. Quem locum in ſecundo de Oratore Cicero attigit, Etenim definitio primum reprehenſo verbo vno, aut addito aut dempto, ſæpe extorquetur è manibus, &c. Proferre exempla nihil attinet, πιστὸν & πιθανὸν, & iuncta verba ἄπιστον & ἀπίθανον interdum dicit Ariſtoteles, πιστὰ ποιεῖν τὰ αὑτοῦ dicit in 3. de Arte rhetorica libro, quod Cicero vertit noſtra probare, Quintilianus noſtra confirmare, πιθανὸν & πιστὸν credibile ſemel ac iterū dicit Cicero cum nullū verbū aliud cuius bile ſit poſtremæ ſyllabę vſurpet, quòd à verbo ſecundæ, tertię, quartæve coniugationis deductum ſit. Si qua enim apud eum eius generis vſitata ſint, à verbis primæ coniugationis nomē habēt omnia. In Topicis vult eſſe credibiles narrationes. Itēmq; narrationes, vt ad ſuos fines ſpectēt, id eſt vt planæ ſint, vt breues, vt euidentes, vt credibiles, vt moratæ cum dignitate. In hac oratione efficiendū eſt, intelligitur. Legendum eſt autē moratæ, non moderatæ, vt in omnibus libris quos quidem legerim, reperi. eſt enim apud Ariſtotelē in 3. de Arte rhetorica, ἠθικὴν δὲ δεῖ τὴν διήγησιν εἶναι. Atq; hic locus apud Quintilianū capite de narratione eſt integer, quemadmodū à me correctus eſt. πιστὸν εἶναι etiā & πιθανὸν & ἀποδεικτικὸν, id mihi eſſe videtur, quod Cicero frequēter dicit valere & pertinere ad faciendam fidem & perſuadēdum. Exempla horum à Cicerone ſumpta paulo ante protuli. Et certè quum ἀποδεῖξαι ſit probare, ἀποδεικτικὸν erit id quod vim habet, ſeu quod valet & quod pertinet ad faciendam fidem, de quibus verbis in libro de Optimo genere interpretandi diſputaui. Eo enim libro docui, τὰ τελικὰ à Cicerone verti ea quæ ad fines pertinēt: & δρομικὸν eum qui valet ad curſum. Itaq; quod eſt in loco Ciceronis quem ſumptum de partitionibus paulo ſupra attuli, prima pars ad motum animi valet. Ariſtoteles dicit παθητικὸν. ἀποδεικτικὰς quidē πίστεις vult eſſe idem Ariſtoteles in tertio de Arte rhetorica libro, τὰς δὲ πίστεις δεῖ ἀποδεικτικὰς εἶναι, id eſt Argumenta autē ad perſuadendū, ſiue ad faciendā fidem valere aut pertinere debent. Quanquam hæc multis verbis dicit interdum Ariſtoteles. In tertio huius operis, εἰ αὐτοὶ δὲ τόποι χρήσιμοι καὶ πρὸς τὸ δεικνύναι ὅτι οὖν αἱρετὸν ἢ φευκτόν. In ſecundo, χρήσιμον δὲ καὶ πρὸς τὸ κατασκευάζειν ἢ ἀνασκευάζειν. In his enim locis, atque ſimilibus χρήσιμον dico non vtile eſt, ſed valet. Valent ergo, dicam iidem loci etiam ad perſuadendum, vel ad faciendam fi

dam fi



dam fidem, quacunque re propoſita, eam eſſe expetendam, aut fugiendam. Nunquam enim Cicero vtile dicit χρήσιμον in locis tractandis. Itaque cum ſæpe dicat valere vel χρήσιμον idē declarare, vel ἀποδεικτικὸν vel ἔνεργον exiſtimare debemus, præſertim cum ἰσχύειν nunquā legerim in locorū tractatione, nec δύνασθαι, quorum verborum vſum in libro de Optimo genere interpretādi tradidi. Sed antequā aliò veniā, melius eſt, quoniā quidem ſemel cœpi, hunc locū de argumentis abſoluere. Quibus verbis & ab Ariſtotele & à Cicerone appellaret argumentatio, & argumentū, diximus. Nūc partes argumentationis inſtitui, quibus nominibus vocētur tradere. Ex tribus partibus perfecta argumentatio cōficitur, quarū prima πρόθεσις, altera λῆμμα, poſtrema συμπέρασμα, interdū etiā συλλογισμὸς nominatur. πρότασιν Cicero in libro de Inuentione appellat propoſitionem. quod verbū vt cæteros eius libros euoluas, non reperies, Propoſitum enim mauult dicere: vt in Partitionibus. Vitare aūt ſimilitudinē poterimus, nō ſemper à propoſito ordientes, &c. In 1. de Inuentione facit quinq; partes, ſed rationes propoſitionis & aſſumptionis in partibus numerat. Quinque ſunt igitur partes eius argumētationis quæ per ratiocinationem tractantur. Propoſitio, per quā breuiter locus is exponitur, ex quo omnis vis oportet emanet ratiocinationis. Approbatio per quā id quod breuiter expoſitū eſt rationibus affirmatū, probabilius & apertius fit. Aſſumptio per quā id quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis approbatio per quā id quod aſſumptum eſt, rationibus firmatur. Cōplexio per quā id quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur. In hoc ergo libro πρότασιν propoſitionē appellat, λῆμμα aſſumptionem, συμπέρασμα aut potius συλλογισμὸν cōplexionē, quorum primū vt iam probaui, in cæteris libris reſpuit, λῆμμα exponit ipſe in ſecūdo de diuinatione libro, ſumptionē. Sed demus, inquit, tibi iſtas duas ſumptiones ea quæ lemmata appellāt Dialectici, ſed nos Latine loqui malumus. Paulo infra appellat aſſumptionē. Sequitur enim, Aſſumit aūt Cratippus hoc modo, Sunt autem innumerabiles præſenſiones nō fortuitæ, at ego dicam nullā. Vide quanta ſit cōtrouerſia. Iam aſſumptione non cōceſſa, nulla cōcluſio eſt. Hoc loco συμπέρασμα cōcluſionē ab eo vocari tam perſpicuum eſt, vt non neceſſe habeā id cōfirmare pluribus. Tantum ſatis eſt intelligi, illum hoc vocabulum ſemper tenere, illud alterū repudiare in cæteris libris. Quintilianus lib. 6. πρότασιν & intentionē appellat & propoſitionē, ſed intentionē ſæpius dicit, credo ꝙ haberet rationē verbi à quo πρότασις nomen duceret. προτείνειν enim verbū ipſum eſt, cuius ſimplex τείνειν tendere dicitur. συμπέρασμα aut συλλογισμὸν ſæpius dicit connexionē, quā concluſionē. Verba eius pauca ſumpta de illo libro ſubieci. Huic generi probationis tribus occurritur modis, id eſt, per omnes partes. Aut enim expugnatur intentio, aut aſſumptio, aut cōcluſio, nōnunquā omnia. Paulo infra, Cōnexio aut vera negatur, cū aliud colligit, quàm id quod ex prioribus conficitur, aut nihil ad quæſtionē dicitur pertinere. Quod hoc loco dicit, colligit, eſt Græce συλλογίζεσθαι, vt quod alio loco vocat inferre, ἐπιφέρειν, quo verbo in proximo libro Ariſtoteles vtitur. Cicero nunquā inferre dicit, nec colligere, niſi in libris de Inuentione. Quod mihi confirmandū exēplis putaui. In 1. ergo libro ſic ſcribit, Si peperit, cum viro concubuit. Peperit autem, conficitur hoc, Concubuit igitur cum viro. Hoc ſi nolis inferre, & inferas id quod ſequitur, Fecit igitur inceſtū, & feceris argumentationem, & perſpicuā fugeris cōplectionē. Sæpe hoc verbo vtitur in eodē libro. Verba autem vnde trium partiū argumētationis nomina de qua commo-

moraui

moraui paria ſunt apud Græcos,eiuſmodi ſunt,προτείνειν,λαμβάνειν,περαίνεσθαι,συμπεραίνεσθαι aut συλλογίζεσθαι. Cicero hæc tria vertit vna oratione in Partitionibus.Argumentādi aūt duo ſunt genera,quorū alterū ad fidē directo ſpectat,alterū ſe inflectit ad motum.Dirigitur, cū propoſuit quod probaret,ſumpſitque ea quibus monſtretur,atque his cōfirmatis ad propoſitū ſeſe retulit atq; cōcluſit.His ergo verbis vtitur in cæteris libris.Ita qui multa verba de libris quos de Inuentione admodū adoleſcens ſcripſit ſumet,is non videbitur continuo Ciceronianè dicere.Huius generis ſunt Colligere, inferre,& multa alia.Cicero , vt ex ſuperioribus exemplis intelligi potuit, hoc verbum aſſumit pro ſimplici dicit interdum , quod in 8.libro reperi, προσλαμβάνειν. Nunquam autem legi πρόσλημμα ἢ πρόσληψιν,cùm Cicero id dicat aſſumptionem.Ariſtoteles interdum συνάγειν dicit præſertim in libro de arte Rhetorica,pro συμπεραίνεσθαι , quod in libro de Inuentione expreſſum eſt verbum ex verbo, conducere.

## ANNOTATIONES IN LIBRVM OCTAVVM. CAP. I.

OCtauo libro & extremo de ordine & diſpoſitione locorū Ariſtoteles diſſerit.τάξιν enim ordinem & diſpoſitionē vertit Cicero & collocationem. Vocat enim vt Ariſtoteles in tertio de Arte rhetorica libro,ſecundam partem eius artis τάξιν, ſic Cicero modo diſpoſitionem, modo collocationem. Non ſolum autem de diſpoſitione locorum & argumentorum agit , ſed etiam de elocutione, quam in tertio de Arte rhetorica libro λέξιν appellat. Itaque quēadmodum in illo libro , ſic in hoc tria proponit oratori quæ præſtare debeat.Principio quidem huius libri his verbis, Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τάξεως καὶ πῶς δεῖ ἐρωτᾶν λεκτέον.δεῖ δὲ πρῶτον μὲν ἐρωτᾶν μέλλοντα τόπον εὑρεῖν ὅθεν ἐπιχειρητέον,δεύτερον δὲ ἐρωτηματίσαι καὶ τάξαι καθ᾽ ἕκαστα πρὸς ἑαυτόν. τὸ δὲ λοιπὸν καὶ τρίτον,εἰπεῖν ἤδη ταῦτα πρὸς ἕτερον. Sic ego, Sequitur vt de diſpoſitione & ordine argumentorum interrogandiq; ratione dicendum eſſe videatur. Primum quidem locum ex quo argumentū ſumat inuenire debet is qui quæſtionē poſiturus eſt,deinde quærere ipſe per ſe & diſponere omnia,poſtremo hæc omnia apud alios tractare & eloqui.Initium autem tertij de Arte rhetorica libri,hoc eſt,ἐπειδὴ τρία ἐστὶν ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον,ἓν μὲν ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται, δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν,τρίτον δὲ πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου.περὶ μὲν τῶν πίστεων εἴρηται, &c.id eſt,Quia tria ſunt,quæ in ratione dicendi tractari debent,vnum ex quibus argumenta ſumūtur, alterum de elocutione & dictione,tertium quemadmodum partes orationis diſponendæ ſint:de argumentis inueniendis iam diximus,&c.

Illud etiā proderit,concluſiones tacere,eáſque poſt vniuerſas enumerare,ἔτι τὰ συμπεράσματα μὴ λέγειν,ἀλλ᾽ ὕστερον συλλογίζεσθαι ἀθρόα.)Quoniā hoc libro de tractādis argumētis Ariſtoteles,vt dixi,diſſerit,non alienū erit quę hinc Cicero ſumpſerit,afferre.In 2.de Oratore pleraq; præcepta hinc ſumpſit.Iam illud videmus,nequaquā ſatis eſſe reperire quid dicas,niſi id inuētum tractare poſsis. Hæc oratio penè eſt iiſdē verbis explicata in principio de Arte Rhetorica lib.οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν,ἀλλ᾽ ἀνάγκη καὶ ταῦτα,ὡς δεῖ εἰπεῖν. Cicero enim in libros de Oratore,in Partitiones,& in Oratorem ſuum maximā partem trium librorū Ariſtotelis de Arte Rhetorica contulit.Id quod ſpero me iuuāte Deo in lib.de optimo genere interpretādi oratores,explicaturū.Sequitur in 2.de Oratore,Tractatio aūt varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem qui audiat,aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate.





Proponi oportet quid afferas,& id quare ita ſit oſtendere,& ex iiſdē illis locis interdum concludere,relinquere alias,alioq; tranſire.ſæpe nō proponere,ac ratione ipſa afferenda quid proponendū fuerit,declarare, ſi cui quid ſimile dicas,prius vt ſimile cōfirmes, deinde quod agitur adiungas:puncta argumentorū plerūque vt occulas, ne quis ea numerare poſsit,vt re diſtinguantur,cōfuſa eſſe videantur.Hæc ille.Id extremū quod dicit, Puncta argumentorū plerūq; vt occulas,ne quis ea numerare poſsit,vt re diſtinguātur,confuſa eſſe videantur:eſt quod principio huius loci protuli , τὰ συμπεράσματα μὴ λέγειν,ἀλλ᾽ ὕστερον συλλογίζεσθαι ἀθρόα.συμπεράσματα em̄ puncta ſunt argumētorū.Itaq; ſi quis priora cōcedat,nec attendat quid ex his efficiatur,& ſequat̄,in eo ferè fit,vt refellat̄.Occulere aūt κρύπτειν verbū ex verbo hoc loco Ariſtoteles exprimit.Dat enim præcepta occulēdę cōcluſionis.

Et quanquā non videtur verè hoc loco occurri, &c. ἴσως μὲν οὖν οὐκ ἀληθὴς ἡ ἔνστασις,&c.)ἔνστασις Latinè dici nō poteſt cōmodè inſtantia,quo verbo paſſim vtuntur Dialectici:nec ἐνίστασθαι inſtare,vt etiā illi dicunt. Itaq; quibus verbis Latinè hæc dicātur,non incōmodum erit hoc loco tradere. Ariſtoteles quidem cū multa verba idē declarantia vſurpet,tamen nomen nullū ab vllo verbo dicit,niſi ἀπὸ τοῦ ἐνίστασθαι,ἔνστασιν. Verba aūt quibus hoc li.vtitur,ſunt hęc,ἐνίστασθαι,ἀπαντᾶν,ἀντιτείνειν,ἐνίστασθαι,& ἀντιτείνειν Cicero dicit reſiſtere,ἀπαντᾶν occurrere.Hæc mihi digna vident̄, quæ illuſtrētur exēplis. Non inueni niſi ſemel,ἀντιτείνειν in hoc octauo lib.idq; prima pagina,ἔτι τὸ μὴ σπουδάζειν κἂν ὅλως χρήσιμον ᾖ. πρὸς γὰρ τοῦτο σπουδάζοντας μᾶλλον ἀντιτείνουσι. ἐνίστασθαι,dicit ſępius,& pro eodem ἔνστασιν φέρειν.Multos locos proferre poſſum ex hoc octauo ad id probandū,ſed ne ſim multus in re minimè neceſſaria,vno cōtentus ero,in quo vtrūque verbū poſitū eſt. Secūda enim ferè pagina ſcribit his verbis , πρὸς δὲ τοὺς ἐνισταμένους τῷ καθόλου,μὴ ἐν αὐτῷ δὲ τὴν ἔνστασιν φέροντας, ἀλλ᾽ ἐν τῷ ὁμωνύμῳ. Longa eſt enim oratio , & ſatis eſt genus dicēdi intelligi. In partitionibus, Sæpè etiā quæſtionibus reſiſtendum eſt,quòd dolorē fugientes multi in tormentis emētiti perſæpe ſunt,moríq; maluerunt falſum fatendo,quā vera inficiādo dolere.In 4. Academ.loquēs de Chryſippo,Quā multa ille cōtra ſenſus , quā multa cōtra omnia quæ in conſuetudine probantur,diſſoluit:idem quidē mihi nō videtur. Sed diſſoluerit ſanè,certè tam multa nō collegiſſet , quæ nos fallerent probabilitate magna,niſi videret his reſiſti nō poſſe.In eodē lib.ἀπαντᾶν appellat occurrere.Eadē dici poterūt in omnibus partibus.Si enim dicēt ea de quibus diſſerunt,ſe dilucidè perſpicere,nec vlla cognitione viſorū impediri, cōprehēdere ea ſe poſſe fatebuntur.Sin aūt negabunt vera viſa à falſis poſſe diſtingui,qui poterūt longius progredi?occurretur enim,ſicut occurſum eſt.Paulo infra eodē verbo vtitur.Quod aūt in ſuperiore exemplo dicit , Longius progredi,apud Ariſtotelē eſt in hoc lib. πορρωτέρω προϊέναι & προάγειν. πολλάκις μὲν γὰρ οὐ λέλυκε μὲν ὁ μέν τοι πυνθανόμενος,οὐ δύναται , πορρωτέρω προάγειν. Exemplū illius,ἀπαντᾶν eſt eiuſmodi,ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀσαφῶς καὶ πλεοναχῶς λεγομένων,ἀπαντητέον.Iterum eodē verbo paulo infrà vtitur. Quoniā autem Latinum nomē nullum reſpondet illi Græco ἔνστασις,ad verbi ſignificationem & vſum cogimur dicendi genus traducere.Eius etiam qui reſpondet officium eſt non ſolum occurrere,ſed etiā refellere,& reprehendere:quanquam hæc idem valent.de quo paulo infrà diſſeremus.

Cùm autem eadem res & ſine incōmodo,& cum incōmodo , per ratiocinationem cōcludi poteſt:hoc,an illo modo efficiatur, nihil ad eū qui neceſſaria ratione,nō probabili cōcludit, ὅταν δὲ ἐνδέχεται τὸ αὐτὸ ἄνευ τοῦ ἀδυνάτου

δυνάτου, καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου συλλογίζεσθαι ἀποδεικνῦντι μὲν καὶ μὴ διαλεγομένῳ οὐδὲν διαφέρει, ἢ οὕτως ἢ ἐκείνως συλλογίσασθαι.) συλλογισμὸν τὸν εἰς τὸ ἀδύνατον ἄγοντα dialectici appellant ſyllogiſmum ducentem ad impoſſibile: Ego verò voco ratiocinationem per quā quis incōmodo vrgetur. ἄγειν enim in hac re Cicero dicit potius cōpellere, impellere. Vrgere incōmodo aliquē, id mihi videtur quod ἄγειν τινὰ εἰς τὸ ἀδύνατον dicit Ariſtoteles, ſed id refert ad ratiocinationē atq; argumentū. Ac Ciceronē quidē ita appellare perſpiciet, qui argumentationē eius in 1. de Inuentione libro expoſitā, qua Hermagorā refellit, ſpectauerit. Vrget enim eum incōmodo, illa argumētatione, vt cogat eum vel ſententiā ſuam retractare, vel certe id quod fieri non poteſt cōcedere. Itaque tandē hæc verba ſubiicit, quæ hoc mihi vidētur indicare. Atq; hoc eodem incōmodo vrgebitur, ſiue conſtitutionē primā cauſæ accuſatoris confirmationem dixerit, ſiue defenſoris primam deprecationem. Nam cum eadem omnia incommoda ſequentur.

Propoſitio enim dialectica eſt, ad quā reſpondere licet, aut etiā, aut non, ἔστι γὰρ πρότασις διαλεκτικὴ, πρὸς ἣν ἔστιν ἀποκρίνεσθαι, ναὶ ἢ οὔ. Hoc genus dicendi ſic vertit Cicero vt feci in 4. Academica, Quæ cū expoſuiſſet adiungit dupliciter dici aſſenſus ſuſtinere ſapientē: vno modo cū intelligatur, omnino eum rei nulli aſſentiri, altero cum ſe à reſpondendo, vt aut approbet aut improbet, quod ſuſtineat, vt neque neget aliquid neque aiat: Id cum ita ſit, placere alterum vt nunquam aſſentiatur, alterum tenere, vt ſequens probabilitatem, vbicunque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam aut non reſpondere poſſit, &c. Iterum eodem libro dicit.

Sed profecto facilis non eſt diſſerendi ratio, niſi quid ſit aut quale id de quo inſtituitur diſputatio, intelligatur. μὴ γινομένου δὲ φανεροῦ τί ποτ' ἐστὶ τὸ προκείμενον οὐ ῥᾴδιον ἐπιχειρεῖν. Hunc mihi locū adumbraſſe videtur Cicero in Oratore his verbis, Niſi enim inter eos qui diſceptant, conuenit quid ſit illud de quo ambigitur, nec rectè diſſeri, nec vnquā ad exitum perueniri poteſt. In 1. de Oratore hoc ſic explicat. Ego vero, inquit, pergam, & id faciam quod principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo, vt quid illud ſit, de quo diſputetur, explanetur, ne vagari & errare cogatur oratio, ſi ij qui inter ſe diſſeruerint, non idem eſſe illud de quo agitur, intelligent. In principio 1. libri de officiis, & 2. de Finib. eadem eſt ſententia: quam quoniam in lib. de optimo genere interpretandi vnà cum Platonis ex Phædro quam tranſtulit, protuli, non neceſſe habeo eam hic iterare.

Neq; enim multa ad ea probāda argumēta poſſunt ſuppetere, οὐ γὰρ ἐνδέχεται πολλοὺς πρὸς αὐτὰ λόγους πορίσασθαι.) Hoc loco ſplendidiſſimū genus dicendi noſtrū cui Græco par ſit, decreui tradere. Neque enim à quoquā adhuc traditū arbitror. πόρον Græce, diſerte interpretabimur copiā, & εὐπορεῖν ἐπιχειρημάτων magnā ſuppetere argumentorū copiam. In ſecundo libro huius operis, ἔτι ὁ σοφιστικὸς τρόπος, τὸ ἄγειν εἰς τοιοῦτον πρὸς ὃ εὐπορήσομεν ἐπιχειρημάτων. Paulo ſuprà, μὴ εὐποροῦντι δὲ ἐπιχειρήματος πρὸς τὴν θέσιν, σκοπεῖν ἐκ τῶν ὡρισμένων, &c. Dat ei verbo infinitum modum in ſeptimo, extrema oratione, οἱ μὲν οὖν τόποι δι' ὧν εὐπορήσομεν πρὸς ἕκαστα τῶν προβλημάτων ἐπιχειρεῖν, σχεδὸν ἱκανῶς ἐξηρίθμηνται. Cicero in Topicis hæc genera diſerte expoſuit. Toto igitur loco cauſarū explicato ex earū differentia in magnis quidē cauſis vel oratorū vel philoſophorū magna argumentorū ſuppetit copia. In eodē libro ſuppeditare pro eodē dicit, Et ſi enim omnes loci ſunt omniū diſputationū ad argumenta ſuppeditāda, tamen aliis diſputationibus abundātius occurrunt, aliis anguſtius, Ibidē, Hic locus ſuppeditare ſolet oratoribus & poëtis, ſæpe



ſæpe etiam philoſophis, ſed iis qui ornatè & copioſè loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi, cum denunciant quid ex quaque re ſit futurū. Suppeditare copiā, duobus verbis Ariſtoteles mihi dicere videtur, ποιεῖν εὐπορίαν, ídque extrema pagina huius libri, τοῦτο γὰρ πρός τε τὸ βιάζεσθαι πολλὴν εὐπορίαν ποιεῖ, καὶ πρὸς τὸ ἐλέγχειν μεγάλην ἔχει καὶ βοήθειαν, ὅταν εὐπορῇ τις καὶ ὅτι οὕτως, καὶ ὅτι οὐχ οὕτως. In Partitionibus aliter explicat pluribus verbis εὐπορεῖν, habere copiā: Vterque vero ad augendū habeat exemplorum aut recētium quo notiora ſint, aut veterum quò plus auctoritatis habeāt copiā. Non legi hoc genus ἔχειν εὐπορίαν. quod ſi vſitatū ſit, certe huic generi reſpōdet, Neq; apud Ciceronē abundare argumētis: εὐπορήσομεν παραδειγμάτων, & ἐπιχειρημάτων dicamus licet cōmode, habebimus exēplorum argumētorúmq; copiā, vt ne ſemper à perſona ad rē genus dicendi trāsferamus, Cū ad elationem ſiue ad cōparationem & augmentum hoc genus Ariſtoteles accommodat, dicit ἔχειν εὐπορώτερον, quod dicamus licet maior nobis ſuppetet copia, vel maiore copia inſtructi erimus, vel maiorem copiā afferemus. Locus talis eſt extrema pagina huius libri, πρὸς δὲ γυμνασίαν καὶ μελέτην τῶν τοιούτων λόγων, πρῶτον μὲν ἀντιστρέφειν ἐθίζεσθαι χρὴ τοὺς λόγους. οὕτως γὰρ πρός τε τὸ λεγόμενον εὐπορώτερον ἕξομεν. Et ſic, μᾶλλον εὐπορεῖν. Extremo enim ſexto, ὥς τε μᾶλλον ἐπιχειρημάτων εὐπορεῖν. Quod aūt ſignificatione agēdi Cicero dixit, Suppeditare copiā πορίζεσθαι & πορίσασθαι & πορίζειν τοὺς λόγους Ariſtoteles appellat, vt ex eo loco quē primū omniū hic protulimus, perſpici licet, eodē verbo vtitur aliquoties in hoc libro: de quo quoniā in li. de Optimo genere interpretādi dixi, hic plura nō dicam. Contrariū illius ſuperioris εὐπορεῖν eſt ἀπορεῖν: quo vtitur Ariſtoteles in 2. libro, μᾶλλον γὰρ ἀπορεῖν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ συμβαίνει τοῖς ἐρωτῶσιν, πάντων τιθεμένων αὐτοῖς τῶν τοιούτων ἐὰν μὴ περαίνωσιν, id eſt, Fere enim fit vt non habeāt quod dicāt ij, qui ponūt quæſtionē, ſi his omnibus talibus poſitis & cōceſſis, minimè cōcludent orationē. ἀπορεῖν enim eſt non habere quod dicas, deſtitui copia, deeſſe, deficere. In oratione περὶ στεφάνου inſignis eſt locus, cuius dū hæc tracto mihi venit in mentē, οὐκ ἀπορῶ δ' ὅ, τι χρὴ περὶ σοῦ καὶ τῶν σῶν εἰπεῖν, ἀπορῶ τὰ πρῶτα μνησθῶ. Sic ego, Cumq; mihi nō deſit quid de te ac de tuis dicā, tamē quid primū dicā dubito. Itaq; quos eadē oratione ἀπόρους vocat & εὐπόρους. Cicero tenues & inopes vno verbo, & copioſos nominat & locupletes. Sed de his aliiſq; cōpluribus illo in lib. Deo iuuāte dicemus.

Quòd ſi ambiguū verbū non attendat, ídque tum cum alterius haberet rationem cōcedat: ſi ad alterum impellatur, fateri debet ſe id cōceſſiſſe, cū nō ipſum illud ad quod vocatur, ſed alterum ipſe & ſpectaret & attēderet. ἐὰν δὲ μὴ προΐδῃ τὸ ἀμφίβολον ἀλλ' εἰς ἕτερον βλέψας θῇ, ῥητέον πρὸς τὸν ἐπὶ θάτερον ἄγοντα ὅτι οὐκ εἰς τοῦτο βλέπων ἔθηκεν, ἀλλ' εἰς θάτερον αὐτῶν.) Hunc locū expreſſit Cicero in 1. de Inuentione, quo loco agit de reprehenſione, Ambiguū ſi conceſſeris ex ea parte quā ipſe intellexeris, eam partem ſi aduerſarius ad aliā partem per cōplexionem velit accōmodare, demonſtrare oportebit, nō ex eo quod ipſe cōceſſeris, ſed ex eo quod ille ſumpſerit cōfici cōplexionē.

Argumētatio aūt quinq; modis reprehendi ſolet: primo, cū ex iis quæ rogata ſunt & quæſita, nihil cōcludit' oīno, nec quod ad rē pertineat, quod falſa ſint vel nō probabilia oīa, aut certe plurima eorū ex quibus concluſio efficitur, &c. καθ' αὑτὸν δὲ τῷ λόγῳ πέντε εἰσὶν ἐπιτιμήσεις, πρώτη μὲν, ὅταν ἐκ τῶν ἠρωτημένων μὴ συμπεραίνηται, μήτε πρὸς τὸ τεθὲν μήτε ὅλως μηδὲν ὄντων ἢ ψευδῶν, ἢ ἀδόξων, ἢ πάντων, ἢ τῶν πλείστων, ἐν οἷς τὸ συμπέρασμα, &c. Hoc loco Ariſtoteles de reprehēſione & refutatione argumētorū diſſerit. ἐπιτιμᾶν enim τῷ λόγῳ elegāter & ornate dicamus licet, nō increpare, quo vtūt' is qui hos libros verbum

bum ex verbo expreſsit, ſed reprehẽdere argumentationẽ. Ita ἐπιτίμησις eſt reprehenſio. Cicero in 1. de Inuentione, pręcepta eadẽ ferè dat reprehẽdendi quæ hic Ariſtoteles. Itaq; libet locos vtriuſq; conferre. Omnis, inquit, argumentatio reprehẽditur, ſi aut ex iis quæ ſumpta ſunt, non conceditur aliquod vnũ pluráve: aut his conceſsis, cõplexio confici ex his negatur: aut ſi genus ipſum argumentationis vitioſum oſtenditur. In Partitionibus hæc facilius perſpici poſſunt, Aut totũ eſt negandum quod in argumentatione aduerſarius ſumpſerit, ſi fictũ aut falſum eſſe poſsis dicere: aut redarguenda ea quæ pro veriſimilibus ſumpta ſunt. Primũ dubia ſumpta eſſe pro certis, deinde etiam in perſpicue falſis eadem poſſe dici. Tum ex iis quæ ſumpſerint, non effici quæ velint. Hæc ille. Hoc extremũ genus reprehendendi reſpondet primo Ariſtoteles, quod vnum ſuprà protuli, ὅταν ἐκ τῶν ἠρωτημένων μὴ συμπεραίνηται. Nã ἠρωτημένα ſumuntur, & ex iis aliquid efficitur. Illud, Aut redarguenda ea quæ pro veriſimilibus ſumpta ſunt, eſt quintum genus reprehenſionis apud Ariſtotelẽ huiuſmodi, εἰ ἐξ ἀδοξοτέρων καὶ ἧττον πιστῶν τοῦ συμπεράσματος. Illud autem primum, Aut totum eſt negandum, &c. pars eſt primi generis Ariſtotelis. Eſt enĩ ὄντων ἢ ψευδῶν, ἢ ἀδόξων, ἢ πάντων, ἢ πλειόνων. Hæc etiã de generibus ſumptis de primo libro de Inuentione dici poſſunt. Verba autem idem declarantia quod ἐπιτιμᾶν, quibus vtitur Ariſtoteles ſunt, ἀναιρεῖν, κινεῖν & ἐλέγχειν. quorum poſterius redarguere & coarguere dicit Cicero: ſuperiora duo, tollere, euertere, refellere, refutare.

Neque verò ij qui falſis vera concludunt, iure reprehendi poſſunt, cum præſertim & neceſſe ſit ſemper falſum ex falſis, & liceat interdũ verum ex falſis cõcludi, τοῖς δὲ διὰ ψευδῶν ἀληθὲς συμπεραίνουσιν, ἐδίκαιον ἐπιτιμᾶν, ψευδὲς μὲν γὰρ ἀεὶ ἀνάγκη διὰ ψευδῶν συλλογίζεσθαι, τὸ δ᾽ ἀληθὲς ἔστι καὶ διὰ ψευδῶν συλλογίζεσθαι. Illud τοῖς δὲ συμπεραίνουσι ad eos qui argumentationẽ tractãt, retuli, poteſt etiã ad ipſas argumẽtationes accõmodari, vt ſit ſenſus, Argumentationes autem eæ quę ex falſis verũ efficiunt, non iure reprehendũtur. Cicero his præceptis & regulis Dialecticorũ vtitur. In 4. de Finibus, Teneamus illud neceſſe eſt, cum conſequens aliquod falſum ſit, illud cuius id conſequens ſit, non poſſe eſſe verũ. In 2. de Diuinatione, Ex falſis, vt ab ipſis didicimus, verum effici non poteſt. Notanda eſt igitur hæc ratio vertendi elegans, διὰ ψευδῶν ἀληθὲς συμπεραίνεται, ἢ γίνεται, ἢ συμβαίνει. Ex falſis verũ efficitur, vt ne διὰ ψευδῶν per falſa, dicamus. Hoc enim peccatũ latiſsimè patet in philoſophia. Interdũ apud Ariſtotelem verba quæ valent ad cõcludendum, non cũ διὰ, ſed cum ἐκ iunguntur, id quod ex ſuperiore annotatione intelligi poteſt. Eſt enim ſcriptum, ὅταν ἐκ τῶν ἠρωτημένων μὴ συμπεραίνηται.

Sophiſma autem ratiocinatio pugnax, σόφισμα δὲ συλλογισμὸς ἐριστικός. In 4. Academica definit σόφισμα, cuius verbis libenter vſus fuiſſem, niſi reprehenſionẽ nonnullorũ vitare maluiſſem. Verba eius ſubieci, Atq; habebam moleſtos vobis, ſed minutos, Stilbonem, Diodorũ, Alexinum, quorum ſunt contorta & aculeata σοφίσματα. Sic enim appellãtur fallaces cõcluſiũculæ. Vertit ergo συλλογισμὸν concluſionẽ, quod multis locis neceſſario mihi fuit faciundũ in his conuertendis libris. Fallacẽ dicit, quomodo interdũ verti: ἐριστικὸς hoc loco σοφιστικὸς dicitur, nã σοφιστικὸν & ἐριστικὸν συλλογισμὸν ferè pro eodẽ dicit. In libro de reprehenſionibus captioſis & fallacibus, quos elenchos dicũt, aliquid vult intereſſe. Ait enim, ἐριστικὸν νίκης χάριν, σοφιστικὸν aũt δόξης χάριν τῆς εἰς χρηματισμόν, verba ſubieci, οἱ μὲν οὖν τῆς νίκης αὐτῆς χάριν τοιοῦτοι ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλέριδες δοκοῦσιν εἶναι. οἱ δὲ δόξης χάριν τῆς εἰς χρηματισμόν, σοφιστικοί. ἡ γὰρ σοφιστική ἐστιν ὥσπερ εἴπομεν, χρηματιστική τις ἀπὸ σοφίας φαινομένης. Prima autem pagina definit σοφιστικὴν vt ait, & σοφιστὴν his verbis, καὶ ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ᾽ οὐκ οὔσης. Cõiungit has duas definitiones ſophiſtæ in 4. Acade. Cicero, At quis eſt nunc hic ſophiſtes? Sic enim appellantur ij qui oſtentationis aut quæſtus cauſa philoſophantur. In eodẽ lib. negat ſe Cicero σοφιστικὸν ἢ σοφιστὴν, & ἐριστικὸν ἢ φιλέριδα, his verbis, Ego enĩ ſi aut oſtentatione aliqua adductus, aut ſtudio certandi, ad hanc potiſsimũ artem me applicaui, non modo ſtultitiam meam, ſed etiam mores & naturam condemnandam puto. Nam ſi minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coercetur: ergo de omni ſtatu conſilióq; totius vitę aut certare cum aliis pugnaciter, aut fruſtrari cũ alios tum meipſum. Illas duas definitiones mihi videtur his verbis diſerte exponere. Nã & τῆς δόξης χάριν, eſt quod ait, oſtentatione aliqua adductum: & φιλέριδα verbum ex verbo, eũ qui ſtudio certandi, diſputat. Quanquam ἐριστικῶς eum puto vertere ſtudio certandi vel certe quod idem valet, ἔριδος χάριν. Sed de his verbis cum edemus librũ de Reprehẽſionibus captioſis, qui iam verſus eſt, plura dicemus.



Iam definitionum nobis magna vis ſuppetere debet, eáſque in promptu habere debemus maxime, quibus ea quæ probantur & prima & perſpicua declarantur. ἔτι τε ὅρων εὐπορεῖν δεῖ, καὶ τῶν ἐνδόξων τε καὶ τῶν πρώτων ἔχειν προχείρως.) hic vſurpat hoc genus ἔχειν προχείρως ὅρους. Paulo infra vtitur hoc genere, ἔχειν προχείρως. Quod dicimus, habere in promptu, gentiles mei Galli ad verbum ferè dicũt, hic vel ille habet Ciceronem ad manum, pro in promptu. πρόχειρος enim ex πρὸς & χεὶρ iunctum verbum puto, & vocalitatis cauſa σ eſſe detractum. Hoc Cicero dicit etiam in promptu habere. προχείρως autem expeditè, & τὸ πρόχειρον περί τι, expeditum aliquid habere. hanc enim locutionem vſurpat paulo infra Ariſtoteles, πρόχειρον εἶναι περὶ τὰς ἀρχὰς κατέχειν λόγους. Mihi hoc poſtremum Cicero videtur dicere, tenere memoria. non enim dicimus, continere memoria, προχείρους ἔχειν, expeditos habere. In 2. de Oratore, Quos quidem locos (vobis hoc Cotta & Sulpiti dico) multa commentatione atq; meditatione paratos atque expeditos habere debetis.

Et quanquã æquum eſt omnino diſputare, tamen non ſemper decet, δίκαιον μὲν πάντως πειρᾶσθαι συλλογίσασθαι, οὐκ εὔσχημον δέ.) δίκαιον συλλογίσασθαι Cicero dicit in 4. Acade. æquũ eſt diſputare, Sed quod nos facere nũc ingredimur, vt cõtra Academicos diſſeramus, id quidã è philoſophis & hi quidẽ non mediocres faciendũ omnino non putabant, nec æquũ eſſe vlla ratione diſputare cum iis qui nihil probarent. Vtrunq; dicit, Diſſerere cõtra Academicos, & diſputare cũ iis qui nihil probãt, quod Ariſtoteles dicit διαλέγεσθαι πρός τινα. In hoc libro, οὐδὲν γὰρ κωλύει τὸν μὲν λόγον φαῦλον εἶναι, τὸν δὲ ἐρωτῶντα ὡς ἐνδέχεται βέλτιστα πρὸς τὸν ἀποκρινόμενον διειλέχθαι. Dat etiã huic verbo dandi caſum ſine præpoſitione. In hoc li. extremo, οὐχ ἅπαντι δὲ διαλεκτέον. niſi forte ille caſus eſt verbi poſitiui quod vocant. Ego quidem cum Poetio expoſui hoc modo, Non cum quouis diſputationes inſtituere debemus.

Hinc enim maledicta, hinc contumeliæ, hinc iracundæ concertationes cõtentionéſq; naſcitur, ἀνάγκη γὰρ πονηρολογίαν συμβαίνειν.) πονηρολογίαν pluribus verbis declaraui. hoc enim verbum latè patet. Hunc locum in 1. de Finib. videtur Cice. attigiſſe: Quamobrem diſſerentium inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ: maledicta, cõtumeliæ, tum iracundæ cõtentiones cõcertationéſq; in diſputãdo pertinaces, indignæ philoſophia mihi videri ſolent. Tunc Torquatus, inquit, prorſus aſſentior. Neq; enim diſputari ſine reprehenſione: nec cũ iracũdia, aut pertinacia, rectè diſputari põt.

Hæc habui quę in his coniungendis & explicandis Topicis dicerẽ. Mul-

ra enim ſciens præterij, quod cum in aliis commentariolis noſtris, tum in lib. de Optimo genere interpretandi explicata eſſe recordabar. Omnibus autē ſtudioſis hunc noſtrum laborem probatum iri confido, iis præſertim qui Ciceronis Topica cū Ariſtotelis coniungere cupiebant, vt quæ ille ab hoc mutuatus eſſet, cognoſceret. Nam de ſtudio & diligētia quam in his libris transferendis adhibuimus, hoc verè poſſum dicere, cū primus, ſecūdus, tertius, & octauus cæteris copia & elegantia præſtent, me eò cōtuliſſe omnem operam, vt quantū ingenio conſequi, quātum induſtria, facultate dicendi, quæ certè in me exigua eſt, poſſum, cum omnes, tum illi ipſi libri ſi nō Latini, at certè multo puriores & cultiores ex noſtra quaſi officina prodirēt.

## EIVSDEM OBSERVATIONES IN ARISTOTELIS ELENCHOS.

MVlta à nobis in aliis libris quos ab Ariſtotele tranſtulimus, notata ſunt, quæ ad hunc locū pertinēt. Itaq; ne longiores ſimus, nos hoc loco perpauca dicemus, alij reliqua inde aſſumēt, quę ad hūc locū pertinere videbūtur. Agamus igitur, vt cœpimus.

De reprehenſionibus fallacibus, iíſq; quæ reprehēſionis ſpeciem præ ſe ferunt, cū captiones ſint, nō reprehenſiones) περὶ δὲ τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων, καὶ τῶν φαινομένων μὲν ἐλέγχων ὄντων δὲ παραλογισμῶν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐλέγχων.) Hoc principiū eſt libri, in quo cū δὲ collocatū ſit, facilè apparet, hūc librū nō per ſe ab Ariſtotele editū eſſe, ſed adiunctū ſuperioribus. Itaq; in eo extremo perorans, nō ea ſolū quæ hoc lib. continentur repetit atq; enumerat, ſed ea etiā quæ libri octo Topicorū profitentur. Ego autem caſu potius quam conſultò, hunc ab illis ſeparaui, quod tum illos edidi, cùm magnis curis confectus eſſem. quanquā in eo cōſilium meum ſpectari volo, quod tum Ariſtotelis Ciceroníſq; Topica conferenda inter ſe ſuſceperā. Sed ad verba veniamus, Σοφιστικοὺς ἐλέγχους, appello reprehenſiones fallaces, quod σοφίσματα Cicero, vt docui in Topicis, fallaces concluſiunculas nominet. Et quoniā hæc verba crebra ſunt in hoc lib. libet de iis etiā accuratius diſſerere, quàm in Topicis feci, Non ſolū Ariſtoteles σοφιστικὸν ἔλεγχον dicit, ſed etiā λόγον, id eſt diſputationē aliâs, aliâs argumentationē, & argumentū. itémq; ἐριστικὸν appellat, & ἀγωνιστικὸν eundem. Quod vel ex illo vno loco perſpici poteſt, qui in hoc libro poſitus eſt ſecunda ferè pagina, περὶ δὲ τῶν ἀγωνιστικῶν καὶ ἐριστικῶν νῦν λέγωμεν. Nam cùm ſiue diſputationes, ſiue ſermones, ſiue argumentationes diſtribuiſſet in partes quatuor, quarum in quarta τοὺς ἐριστικοὺς collocauit: tamen ἐριστικοὺς & ἀγωνιστικοὺς hoc loco coniunxit. Quid autē inter ſe differant, mox diſſeremus: homines etiā qui his argumētationibus vtūtur, σοφισταὶ, & σοφιστικοὶ, & ἐριστικοὶ, & ἀγωνιστικοὶ nominant, etſi hoc poſtremū apud illū pro hominibus nō legi. De cæteris exempla mihi afferēda putaui, vt eorum diſtinctio intelligatur. In medio ferè hoc lib. ſcribit his verbis, ἐκεῖ τε οἱ πάντως νικᾶν προαιρούμενοι, πάντων ἅπτονται, καὶ ἐνταῦθα οἱ ἐριστικοὶ, οἱ μὲν οὖν τῆς νίκης αὐτῆς χάριν, τοιοῦτοι ἐριστικοὶ ἄνθρωποι καὶ φιλέριδες δοκοῦσιν εἶναι. οἱ δὲ δόξης χάριν τῆς εἰς χρηματισμὸν, σοφιστικοί. ἡ γὰρ σοφιστική ἐστιν, ὥσπερ εἴπομεν, χρηματιστική τις ἀπὸ σοφίας φαινομένης. διὸ φαινομένης ἀποδείξεως ἐφίενται, καὶ τῶν λόγων μὲν εἰσιν οἱ φιλέριδες καὶ σοφισταὶ, ἀλλ᾽ οὐ τῶν αὐτῶν ἕνεκεν. καὶ λόγος ὁ αὐτὸς μὲν σοφιστικὸς καὶ ἐριστικὸς, ἀλλ᾽ οὐ καθ᾽ αὐτὸ ἀλλ᾽ ᾗ μὲν νίκης φαινομένης, ἐριστικὸς, ᾗ δὲ σοφίας, σοφιστικός. Ego ſic conuerti, Quēadmodū illic oēs qui ſibi victoriā ꝓponūt, ſic hic ij qui pugnaces ſunt, tentāt experiuntúrq; omnia. Ac ij quidē qui vincēdi ſtudio eos ſe pręſtant, homines litigioſi & amantes litiū videntur: qui autē oſtentationis aut quæſtus cauſa, ſophiſtæ. Eſt enim Sophiſtice, vt diximus, quædam ratio quærēdi opes





opes ſimulatione ſapientiæ. Itaq; ſtudio eſt illis concluſio, quæ neceſſariam fallaciter imitetur. Súntq; orationum earundem amantes & ij qui certandi ſtudio diſputant, & ſophiſtæ, ſed non eundē ſibi finem proponunt. eadémq; oratio litigioſa & fallax eſt, ſed nō eadē ex parte: ſed quia victoriæ ſpeciem ſequatur, litigioſa: quia ſapientiæ, fallax nominatur. Atq; ex his perſpici poteſt, & orationum fallacium, & eorum qui eas adhibent diſtinctio. Cicero autē in 4. lib. Academicarum quæſtionum homines his multis nominibus appellat. Ego ſi aut oſtētatione aliqua adductus, aut ſtudio certandi ad hāc potiſſimū philoſophiam me applicaui, non modo ſtultitiam meam, ſed etiā mores & naturam condemnandam puto. Sophiſten enim ſignificat, cùm dicit, oſtentatione aliqua adductus: & ἐριστικὸν cùm ait, ſtudio certandi: quāquā verbum è verbo ἀγωνιστικόν. In hoc enim verbi vim Cicero ſpectauit: in illo finem quē ſophiſtæ ſibi proponūt, vt quod ait Ariſtoteles τῆς δόξης χάριν, oſtentatione adductus, dici poſſe videatur, quanquā oſtentationis cauſa etiam dicit eodem lib. qui dicantur Sophiſtæ definiens his verbis: Sic enim appellantur ij, qui oſtentationis aut quæſtus cauſa philoſophantur. Sed ad alia veniamus, ἔλεγχον reprehenſionem dico cum Cicerone, redargutionem fugio, etſi verbū redarguere in vſu eſt apud eundē. Sed de his ſatis multa in Topicis diximus. φαινόμενόν τι ἔλεγχον modo appello, quod prę ſe fert ſpeciem reprehenſionis, modò quod reprehenſionis eſt ſimulachrum, ſimulatio, & fallax imitatio. Sic Cicero 4. Academica. quæſtionum. Nam quæ voluptate quaſi mercede aliqua ad officiū impellitur, ea non eſt virtus, ſed fallax imitatio, ſimulatióq; virtutis. Nam illud genus, ſpeciem præ ſe ferre alicuius, crebrum eſt apud eundem, & in hoc lib. ſemel multis verbis dicit hoc Ariſtoteles, εἶδος ἔχειν. φαίνεσθαι autem idem valere, quod prę ſe ferre ſpeciē, hinc intelligi poteſt, quod εἶναι eſt vere eſſe aliquid. hinc ſæpe apud Græcos τῷ ὄντι idē quod vere efficit. Alioqui quàm inculta futura eſt oratio, ſi φαίνεσθαι ſemper apparere dicamus? Quis aūt nos ferre poſsit, niſi fortè imperitus, ſi φαντασίαν apparentiam, & φαινομένως apparenter transferam? His enim verbis cōiugatis hoc lib. vtitur, quorū illud ſpeciem dico, (nam viſionem & viſum in alta re dicit Cicero) & hoc fallaciter, vt ἐριστικῶς, vel ἀγωνιστικῶς pugnaciter cum Cicerone. παραλογισμὸν autem captionem vno verbo appellari à Cicerone in Topicis demonſtraui, & his pluribus, fallacem concluſionem, vt τῷ συλλογισμῷ, id eſt argumento ratione concluſo contrarium eſſe videatur. Ac fortaſſe hoc loco ſic melius dici poteſt. Nam ὄντων δὲ παραλογισμῶν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐλέγχων dicit, quod παραλογισμὸς non ſit συλλογισμὸς, cùm eſſe debeat, ſi quidē ſit ἔλεγχος, cum omnis reprehenſio ſit ratiocinatio. Ἀπάτη etiam hoc libro captio dicitur, & fallacia, vt ἀπατᾶν capere & captare, & decipere, & fallere, & ἀπατητικὸς captioſus & fallax. Nam deceptorius barbarum eſt vocabulum. Idem valet παρακρούειν, & παραλογίζεσθαι, quod poſterius in iis eſt verbis, vt in Topicis docui, quæ vtranq; habent ſignificationem. Cicero in 4. Academicarum quæſtionum, Quid ad illum qui te captare vult, vtrum tacentem irretiat te, an loquentem? ibidem, Sapientis autem hanc cenſet Archeſilas vim eſſe maximam, Zenoni aſſentiens, Cauere ne capiatur, ne fallatur videre. Ibidem, Alterum eſt, quod fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atq; decepti quidam, cū eas diſſoluere non poſſunt, deſciſcūt à veritate. Capi ergo eſt decipi, & captare decipere: ex illo captio orta eſt, id eſt fallacia. nā deceptionis verbū barbarū eſt. Quod Cicero dicit, captiones diſcutere, & diſſoluere, Ari. hoc lib. appellat τοὺς παραλογισμοὺς λύειν.

Vt enim in aliis hominibus vera corporis cōſtitutio ineſt) καὶ γὰρ τὴν ἕξιν οἱ

μὲν ἔχουσιν εὖ) ἔχειν εὖ τὴν ἕξιν, idem valet quod εὖ ἔχειν τὸ σῶμα, quod dicitur vno verbo εὐεξία. de quibus dicendi generibus & latinis Ciceronis multa in libro de optimo interpretandi genere diximus.

Quòd more pomparum ſe ipſi comunt & comparant) φυλετικῶς φυσήσαντες, καὶ ἐπισκευάσαντες ἑαυτούς.) Hanc Græcorum conſuetudinem ad noſtram tranſtuli, quò facilius res intelligi poſſet. Res autem apud Athenienſes ita erat, auctore Athenæo in li. qui Δειπνοσοφισταὶ inſcribitur. Cum vtraq; φυλὴ, id eſt tribùs, in ſacris faciendis alteram diebus feſtis immolando vincere ſtuderet, in aditu templorum flatu faciebat, vt carnes quas immolabat ſagina & abdomine refertę eſſe viderentur. Et quoniam in eis non erat vera ſagina, ſed eius modo fallax imitatio ac ſpecies, ob eam cauſam Ariſtoteles eos in quibus non eſt vera pulchritudo corporis, ſe comparare eo modo ait ſolere, quo tribùs Athenis carnes, quas diis feſtis diebus immolabant, ſpeciem abdominis præ ſe ferre faciebant. Si cui ergo hoc noſtrum factum & cōſilium minus probabitur, is ſic habeat, hunc locũ hoc modo explicari poſſe, φυλετικῶς φυσήσαντες, id eſt qui vt Athenis tribus carnibus abdominis ſpeciẽ flatu ementiebantur, ſic craſsiori veſtitu ſe ipſi cōparant. His enim tot verbis φυλετικῶς declarare cogimur: quoniã ſi dicam, tribuũ more, parũ dicam.

Imperitis enim idem vſuuenit, quod iis qui res procul proſpiciunt, οἱ γὰρ ἄπειροι, ὥσπερ ἂν ἀπέχοντες πόῤῥωθεν θεωροῦσι.) Alexander Aphrodiſæus duobus modis exponit hũc locum, quorum eum quem magis probat, ſecutus ſum.

Eſt enim in prōptu, πρὸ ἔργου γάρ ἐστι.) πρὸ ἔργου εἶναι, vulgo putatur, operæprecium eſſe, & è re, vt dicimus è rep. & è re tua eſt. Alexãdri tamẽ ſentētia eſt, & in hoc loco, & in altero qui hũc añcedit, πρὸ ἔργου εἶναι, τοιαύτην τὴν δύναμιν, καὶ ἐκείνην τὴν δόξαν, valere εὐχερῆ καὶ ῥᾳδίαν εἶναι, id eſt expeditã & facilẽ.

Aliæ enim ad docendum, aliæ ad diſſerendum valent, διδασκαλικοὶ, διαλεκτικοὶ) De nominibus quorũ finis eſt ικος, quemadmodũ transferenda ſint cùm multis aliis locis, tum in lib. de Optimo genere interpretãdi multa diximus. Quos hîc Ariſtoteles ſermones διδασκαλικοὺς vocat, Quintilian⁹ tertio libro, capi 1. δογματικοὺς nominat. Loquens enim de Platone, Sed alij, inquit, ſunt eius ſermones ad coarguendos qui contrà diſputant compoſiti, quos ἐλεγκτικοὺς vocant: alij ad præcipiendum, qui δογματικοὶ appellantur.

Aliæ enim reprehenſiones in verbis ſunt, aliæ in rebus, οἱ μὲν γάρ εἰσι παρὰ τὴν λέξιν, οἱ δὲ ἔξω τῆς λέξεως.) Cicero dictionem pro oratione ſolet dicere, nō pro vno vocabulo, vt dictionem verbum græcum φράζειν exponat, quod etiam elocutio dicitur. Reprehenſionũ diuiſionem iiſdem penè verbis expoſui, quibus rhetores figuras, quarum alias verborũ, id eſt λέξεως faciunt, alias διανοίας, id eſt ſententiarũ. Sed quia reprehendit in hoc libro Ariſtoteles eos qui ſic reprehenſiones patiebantur, nō dixi, alias eſſe in ſententiis, ſed in rebus, quod verbum ſæpe Cicero dicit pro ſententiarum. Neq; enim illud ἔξω τῆς λέξεως mihi placet ſi transferatur, extra dictionem, aut verbũ: ſed id quod dixi, & Ciceronis ſententia adductus: qui, vt dixi, res pro ſentẽtiis dicit, & ab Alexandro Aphrodiſæo admonitus, qui hunc locum explicans, Ariſtotelem ἔξω τῆς λέξεως, pro οἱ δὲ ἐπὶ τὰ πράγματα dixiſſe cōfirmat.

Earum quæ in verbis ſpectantur, ſex genera ſunt, homonymia, ambiguitas, adiunctio, diſtinctio, accentus, forma orationis, ἔστι δὲ τὰ μὲν παρὰ τὴν λέξιν ἐμποιοῦντα τὴν φαντασίαν, ἓξ τὸν ἀριθμὸν, ταῦτα δ᾽ ἐστὶν, ὁμωνυμία, ἀμφιβολία, σύνθεσις, διαίρεσις, προσῳδία, καὶ σχῆμα λέξεως.) Quia Ariſtoteles duo genera facit, ὁμωνυμίαν, & ἀμφιβολίαν, quæ duo ita inter ſe differunt, vt hoc in verbis coniunctis, illud in ſingulis ſpectetur: ego etiam hæc ſeparaui, Cicero quidẽ duo



duo hęc vno ambigui verbo complectitur, σύνθεσις, & διαίρεσις vulgo dicũtur cōpoſitio & diuiſio. quoniã Boetius qui primus hunc librum cōuertit, verbũ è verbo ita reddidit, Ego adiunctionẽ vel coniunctionẽ & diſtinctionem, latine dicenda cenſeo. Quod mihi omnes conceſſuros ſpero, ſi vis horum verborũ quæ ſit explicauero. διαιρέσεως quidẽ captio tum incidit, cũ fit diſtinctio in verbo in quo nō facienda: & contrà σύνθεσις, cũ non fit diſtinctio in eo in quo facienda eſt: ſed id coniungitur cũ altero, à quo diſtingui debet. Vt verbi cauſa, in hac oratione qua paulo poſt vtitur Ariſtoteles, ἐγώ σ᾽ ἔθηκα δοῦλον ὄντα ἐλεύθερον, quã ſic verti, vt locus eſſet captioni, Ego te feci ſeruũ exiſtẽtem liberũ: magnopere refert vtrũ participiũ ὄντα ad accuſandi caſum ἐλεύθερον pertineat, an ad δοῦλον. Quod ſi vitandæ ambiguitatis cauſa, rectè & latinè omnes diſtinguendam quadam nota orationem eſſe dicent, quæ ſignificet quò verbũ illud quod ambiguã orationẽ faciebat referendũ ſit, id eſt, cum quo coniungendũ: certè omnes etiam hoc mihi dabunt, hæc duo latinè exprimi poſſe diſtinctionis & coniunctionis nominibus. Neque enim tum diuidendã orationem, ſed diſtinguendam eſſe dicimus, & certè notam illam diſtinctionẽ pleriq; nominant. In hoc verbo diu commoror: quoniam διαίρεσις rectè etiã interdum diuiſio dicitur, ſed cum res in partes ſignificamus tribui. Nam συντίθεσθαι vix vnquam componere dicitur: σύνθετον enim Cicero non compoſitũ dicit, ſed concretũ: & raro, aut potius nunquã illud verbũ componere conuertit. σχῆμα λέξεως dico formã verbi. ſic enim malo λέξιν verbũ, quàm orationẽ, quoniam in verbi ſimilitudine ſpectatur, cuiuſmodi ſunt valeo & doceo. λέξιν tamen conuerti orationem: ne ſi à cæteris diſcederẽ, artẽ viderer cōfundere. Et quoniã hoc totũ genus in analogia cernitur, libentius σχῆμα dicam vel proportionẽ, vel rationem, vel analogiam, quemadmodũ Varro, cum verba ſpectat ex ea, vt ſi doceo actionẽ ſignificet, cur etiam valeo non ſignificet? σχῆμα tamẽ formã dico, & cæteri figuram, vtrunq; rectè, cum Varro appellat formã & figurã vocis & verbi.

Ex homonymia autẽ captiones ducuntur hoc modo, Qui ſciunt, diſcunt, εἰσὶ δὲ παρὰ μὲν τὴν ὁμωνυμίαν οἱ τοιοῦτοι τῶν λόγων, ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι.) Ariſtoteles tradens locos vnde ſumunt argumenta captioſa ſophiſtæ, vtitur hac ferè præpoſitione, παρὰ cum accuſandi caſu, dici propter παρὰ non placet duntaxat in hoc genere. Illuſtrãdæ igitur orationis cauſa variis modis tranſtuli. quibus Cicero argumentorũ tractationẽ docet. Ego his cōmentariis nō ſuſcepi argumenta tractanda, ſed tamen libenter ſtudioſorũ diſcẽdi gratia, quæ Ariſtoteles prętermiſit, tractabo. Illud ergo intelligendũ eſt, hoc exemplũ quod hoc loco attulit, Qui ſciunt, diſcunt, eſſe concluſionẽ argumẽti quod tractari rectè poteſt hoc modo, Grammatici profitentur artem ſuam: Qui autem profitẽtur, diſcunt: Igitur qui ſciunt diſcunt. Hoc argumentũ ſumptũ eſt ex Euthydemo Platonis, itaq; verba eius hic poni meli⁹ eſt. καὶ πρὶν ἀναπνεῦσαι καλῶς τε καὶ εὖ τὸ μειράκιον, ἐκδεξάμενος ὁ Διονυσόδωρος, τί δὲ ὦ Κλεινία, ὁπότε ἀποστοματίζοι ὑμῖν ὁ γραμματιστὴς, πότεροι ἐμάνθανον τῶν παίδων τὰ ἀποστοματιζόμενα, οἱ σοφοὶ ἢ οἱ ἀμαθεῖς, οἱ σοφοὶ, ἔφη ὁ Κλεινίας. οἱ σοφοὶ ἄρα μανθάνουσι, ἀλλ᾽ οὐχ οἱ ἀμαθεῖς, id eſt, Ac prius quàm puer reſpiraret præclarè eũ & percōmodè Dionyſodorus excepit, Quid Clinia, cũ Grãmaticus prælegit ac profitetur vobis, vtri tandẽ pueri diſcunt & intelligunt ea quæ profitetur, docti, an ignari & indociles? Docti, inquit. Docti igitur intelligũt, nō ignari. hæc ille. Ex quo facilè intelligi poteſt prætermiſſam eſſe aſſumptionem, vt per enumerationẽ argumentũ tractatur hoc modo, Cũ Grammaticus profitetur, aut docti intelligunt quæ profitetur, aut ignari. Non ignari:

docti igitur intelligunt & diſcunt ea quæ grammaticus profitetur. Quanquam verbo latino parum commodè hoc tractari poteſt,vt verbum ambiguum maneat.Sed ad alias captiones veniamus eiuſdem generis, qualis eſt illa quam ſecundo loco proponit Ariſtoteles, Mala eſſe in bonis, quæ concluſio eſt.Tractemus hoc modo licet: Mala oportet eſſe. Bona etiam oportet eſſe:Mala igitur bona ſunt.in Græco exemplo ita diſſoluit hanc captionem Ariſtoteles, vt dicat τὰ δέοντα homonymum eſſe. δέοντα autem dico quæ oportet,cum Cicerone,non quæ expediunt, vt cæteri. Neq; enim δεῖν expedire valet,ſed oportere tantummodo.Cicero pro Cornelio Balbo,Nũc verò quid dicitur?quid ait accuſator feciſſe Pompeium? quod ei facere nõ licuerit.quod grauius eſt,quàm ſi id factum ab eo diceret, quod non oportuiſſet.Eſt enim aliquid quod non oporteat,etiã ſi licet.quicquid verò non licet , certè non oportet. Tertium etiam exemplum illud captionis quæ ex homonymia ſumitur,eundem ſedere & ſtare, concluſio eſt argumenti captioſi,cuius tractatio talis eſt,Qui ſedet,ſurgit: qui autẽ ſurgit,ſtat : qui igitur ſedet ſtat. Eodémq; modo tractari illud poteſt , cuius eſt illa concluſio, Eundem ægrotare & valere:qui curatur,valet:qui autem ægrotat,curatur: valet igitur is qui ægrotat.

Ex ambiguitate hoc modo , Velle me hoſtes capere , παρὰ δὲ τὴν ἀμφιβολίαν οἱ τοιοίδε, τὸ βούλεσθαι λαβεῖν με τοὺς πολεμίους.) Dixi quid inter ὁμωνυμίαν & ἀμφιβολίαν intereſſet:hanc enim in coniunctis verbis ſpectari, illam in ſingulis. Quod vel facillimè ex hoc exemplo , quod primum attulit Ariſtoteles,intelligi licet. Neque enim vllum verbum eſt quod multa declaret, ſed ambigua eſt oratio ſolum ob verborum coniunctionem.Tractaremus etiã hoc genꝰ vt ſuperiora,ſi ratiocinatione poſſet.Tale eſt illud, Dico te Æacida Romanos vincere poſſe.

Itaque ad alia veniamus.Secundum ambigui genus eſt illud,Num quod quis cognoſcit,id cognoſcit? Ambiguum eſt enim propterea q. id nominãdi caſus eſſe,& accuſandi poteſt.Hoc aũt facile eſt,& quod ſequitur,Num quod quis videt,id videt?

Et liceátne σιγῶντα loqui? καὶ ἆρά ἐστι σιγῶντα λέγειν;) Ego in hoc græcũ relinquere malui,quàm latinũ parum aptum dicere.Neq; enim ſi ſilentia dicamus,ambiguo locũ vllum relinquemus,quoniã in hoc exemplo ſi ponatur erit neutrũ multitudinis.σιγῶντα autẽ & neutrũ multitudinis, & virile numeri ſingularis.Tractatio autẽ eius eſt huiuſmodi:Licétne σιγῶντα dicere?Si is quẽ roget,aiat:Lapides aũt quæ ſunt σιγῶντα dicis:σιγῶντα igitur dicunt.Quanquã hoc modo nõ proprie videor dicere, quoniã non latina videtur hæc oratio,Dicis lapides, vt apud Græcos λίθους λέγεις. ſed dicimus, de lapidibus loqueris,aut dicis.Sumptũ eſt etiã hoc genus ex Euthydemo Platonis penè extremo, apud quẽ explicatum eſt hoc modo, ἦ γὰρ οὐχ οἷόν τε, ἔφη ὁ Διονυσόδωρος, σιγῶντα λέγειν; Οὐδ' ὁπωστιοῦν, ἦ δ' ὃς ὁ Κτήσιππος. ἆρ' οὐδὲ λέγοντα σιγᾶν; Ἔτι ἧττον, ἔφη. Ὅταν οὖν λίθους λέγῃς καὶ ξύλα, καὶ σιδήρια, οὐ σιγῶντα λέγεις; &c. id eſt,quid enĩ,inquit Dionyſodorꝰ,poſsúntne σιγῶντα loqui?Nullo modo,inquit Cteſippꝰ.An ne λέγοντα quidẽ tacere?Multo etiã minꝰ,inquit. Quid cũ de lapidibus infers ſermonẽ,de lignis,& ferro,nónne σιγῶντα dicis? &c.Nã cũ hic Cteſippꝰ tacuiſſet,eũ Dionyſodorꝰ reprehẽdit, & facilè intelligimus quid cõcludere velit argumẽtatio. Hæc vocabula σιγῶντα in ſuperiore captione,& in ea qua quæſitũ eſt,ἐστι λέγοντα græca relinquẽda ſunt,ſi locũ captioni relinquẽdum exiſtimamꝰ,ſicuti exiſtimare debemꝰ.Nã in ſuperiore Platonis exẽplo,σιγῶντα & λέγοντα,duobꝰ caſibꝰ accipi,hinc intelligi põt, q.

& is qui

& is qui interrogatus eſt numero ſingulari ea accipi intelligẽs,id totũ negauit , & Dionyſodorus ad multitudinis numerũ traduxit vt captaret alterũ. Abſoluto perfectóq; hoc argumento ibi id quod cœperat abſoluit Dionyſodorus,ἐστι λέγοντα λέγειν,multáq; alia,quæ ſi quis legere cupiat,locũ indicaui.

Ex coniunctione autem hæ ſunt orationes,Sedentem ambulare poſſe, & eum qui non ſcribat,ſcribere, παρὰ δὲ τὴν σύνθεσιν τὰ τοιάδε, οἷον τὸ δύνασθαι καθήμενον βαδίζειν, καὶ μὴ γράφοντα γράφειν.) Perſequamur inſtitutum , & ſi hæc genera captionum ad explicandum facillima ſunt,Prior captio,hoc modo, Qui ſedet ambulare poteſt.Socrates autem ſedet:Socrates igitur ſedens ambulare poteſt.Altera hoc modo,Qui non ſcribit,is ſcribere poteſt:Ariſtoteles autem dormiens non ſcribit:Ariſtoteles igitur non ſcribens, poteſt ſcribere.Vel hoc modo,vt ſuperiorum propoſitiones in concluſione collocentur,Socrates ſedens ambulare poteſt : Socrates autem ſedet, Qui ergo ſedet ambulare poteſt.Eodémque modo altera.Hæc enim poſterior tractatio ad Ariſtotelis ſententiam magis dirigitur. Ego enim longa obſeruatione Ariſtotelem in exemplis proferẽdis animaduerti , tum cum exemplo proponit ὅτι,eam enuntiationem in concluſione ponendam: cum tractatur argumẽtatio,cum ἄρα,aut ſimilem vocem in propoſitione.vt has tres partes argumentationis perfectę intelligamus,propoſitionem,aſſumptionem,& cõcluſionem. Quocirca de hac re ab Alexandro Aphrodiſæo valde diſſentio. Is enim duo illa exempla in prima parte argumentationis vult collocari.Atq; etiam in tractatione ab eo diſcrepo,concludi enim vult in his captionibus enuntiationem in qua verbum poſſum aut ſimile non collocetur. Vt ſi explicem argumentum hoc modo,Qui ſedet,poteſt ambulare : Socrates autẽ ſedet,Socrates igitur ambulat.At idem etiam non ſedet:Socrates igitur ambulat & non ambulat.Neq; enim puto quenquam adeo amentem vt id velit concludere. Quòd ſi quis velit , tamen non erit in coniunctione captio. Argumentum enim ducetur,vt vulgus dialecticorum dicit,à poſſe,ad eſſe. Eſt enim illius argumẽti explicatio.At eius de quo hic agitur explicatio eſt illa quam hic Ariſtoteles tradit, vt diſtinguamus, Socratem ſedentem ambulare poſſe, quæ eſt propoſitio , an tum cum ſedet ſimul ambulare poſsit, quod fieri nõ poteſt:an tum cum ſedet,vim eam habeat,vt aliquando ambulet,quod verum eſt.Sic in eodem ſenſu concluſio erit danda.

Ex diſtinctione hoc modo, Quinque ſunt tria & duo, & par numerus & impar , παρὰ δὲ τὴν διαίρεσιν ὅτι τὰ πέντε ἐστὶ δύο καὶ τρία , καὶ περιττὰ καὶ ἄρτια.) Quæ hoc loco proponit,concluſiones ſunt,id eſt tertia pars argumentationis,quam hoc modo tractare poſſumus,Quinq; ſunt duo & tria : Duo autẽ & tria ſunt par numerus & impar, Quinq; igitur ſunt par numerus & impar.Nam illud primum quod affert, Quinq; ſunt duo & tria, propoſitionẽ eſſe exiſtimo totius argumentationis: & id quod ſequitur, par numerus & impar,concluſionem,vt tantum deſit aſſumptio.In illa autem concluſione quæ apud illum ſequitur deinceps,Quod maius eſt,æquale eſſe,dandi caſus intelligitur,vt ſit hæc plena oratio,Quod maius eſt,æquale minori eſſe.Atq; tractabitur hoc modo , Octo & duodecim ſunt minor numerus & maior: Duodecim autem ſunt octo & quatuor : Maior igitur numerus par eſt , & æqualis minori. Sic enim tractandum eſſe argumẽtum ratio illa Sophiſtarum indicat : propterea quòd tantum eſt, & eo amplius. Sed argumentum illud eſt infirmum, Duodecim ſunt octo & quatuor,Duodecim igitur ſunt octo. Quod illi volunt. Nam & coniunctè eſt accipiendum , non diſtinctè: vt in hac oratione,Ariſtoteles eſt,& Dialecticus & Phyſicus.

Hoc ȣ imbre putreſcit, τὸ μὲν ȣ καταπύθεται ὄμβρῳ.) Dimidiatus eſt verſus ex 23. Iliados Homeri ſumptus, totus autem verſus eſt,

ἢ δρυὸς ἢ πεύκης, τὸ μὲν ȣ καταπύθεται ὄμβρῳ. id eſt,

Ilicis aut piceæ pars non putreſcit in vnda.

Ego auté in dimidiato verſu ȣ. i. non, græcum reliqui, vt quid Homeromaſtiges & inuidos reprehēdere in Homero hac in parte Ariſtoteles diceret, intelligeremus. Neq; enim mihi probatur, quod Boetius hoc loco fecit. Hoc enim dimidiato verſu, iiſq; omnibus quæ ad eum explicandum pertinent, detractis, ipſe verſum Vergilianum Ariſtotelem pronuntiantem facit, quod quàm ridiculum ſit, omnes ſcire arbitror. In dimidiato autem illo verſu transferendo, ȣ ſic poſui, vt græci ſolent, qui non abſumunt vocales.

Plurimū auté valet ad exprimendū aliquid, quod ſit contra opinionem omniū, id quod Callicles in Gorgia commemorat. Atq; etiā veteres omnes ex eo quod naturæ, & legi conſentaneum eſt, id effici putabant. Naturam enim legi repugnare, & iuſtitiā lege honeſtam eſſe, natura non eſſe. Debet igitur ei qui naturæ conſentaneū quid dixerit, lex opponi, & natura ei qui legé proferet, &c. πλεῖστος δὲ τόπος ἐστὶ τοῦ ποιεῖν παράδοξα λέγειν, ὥσπερ καὶ ὁ Καλλικλῆς ἐν τῷ Γοργίᾳ γέγραπται λέγων. καὶ οἱ ἀρχαῖοι δὲ πάντες ᾤοντο συμβαίνειν παρὰ τὸ κατὰ φύσιν καὶ κατὰ τὸν νόμον, ἐναντία γὰρ εἶναι φύσιν καὶ νόμον, καὶ τὴν δικαιοσύνην κατὰ τὸν νόμον μὲν εἶναι καλὸν, κατὰ φύσιν δὲ οὐ καλόν. δεῖν οὖν, πρὸς μὲν τὸν εἰπόντα κατὰ φύσιν, κατὰ νόμον ἀπαντᾶν. πρὸς δὲ τὸν κατὰ νόμον, ἐπὶ τὴν φύσιν ἄγειν.) Hūc totum locū ex Gorgia Platonis ſumptū, non alienum erit afferre. καὶ ἔγωγε κατ' αὐτὸ τοῦτο, οὐκ ἄγαμαι Πῶλον, ὅτι σοὶ συνεχώρησε, τὸ ἀδικεῖν αἴσχιον εἶναι τοῦ ἀδικεῖσθαι. ἐκ ταύτης γὰρ αὖ ὁμολογίας αὐτὸς ὑπὸ σοῦ συμποδισθεὶς ἐν τοῖς λόγοις, ἐπεστομίσθη αἰσχυνθεὶς ἃ ἐνόει εἰπεῖν. σὺ γὰρ τῷ ὄντι ὦ Σώκρατες εἰς τοιαῦτα ἄγεις φορτικὰ καὶ δημηγορικὰ, φάσκων τὴν ἀλήθειαν διώκειν, ἃ φύσει μὲν οὐκ ἔστι καλὰ, νόμῳ δέ. ὡς τὰ πολλὰ δὲ ταῦτα ἐναντία ἀλλήλοις ἐστὶν, ἥ τε φύσις καὶ ὁ νόμος. ἐὰν οὖν τις αἰσχύνηται, καὶ μὴ τολμᾷ λέγειν, ἅπερ νοεῖ, ἀναγκάζεται ἐναντία λέγειν. ὃ δὴ καὶ σὺ τοῦτο τὸ σοφὸν κατανενοηκὼς, κακουργεῖς ἐν τοῖς λόγοις. ἐὰν μέν τις κατὰ νόμον λέγῃ τὰ κατὰ φύσιν ὑπερωτῶν, ἐὰν δὲ τὰ τῆς φύσεως, τὰ τοῦ νόμου, ὥσπερ αὐτίκα ἐν τούτοις τῷ ἀδικεῖν τε καὶ τῷ ἀδικεῖσθαι, Πώλου τὸ κατὰ νόμον αἴσχιον λέγοντος, σὺ τὸν νόμον ἐδιώκαθες. φύσει μὲν γὰρ πᾶν αἴσχιόν ἐστιν ὅπερ καὶ κάκιον τὸ ἀδικεῖσθαι, νόμῳ δὲ τὸ ἀδικεῖν. Vertā vt potero. Ob eamq; cauſam non laudo Polum, q; tibi conceſſerit, turpius eſſe facere quàm accipere iniuriam. Hoc enim conceſſo, ita à te diſputando irretitus eſt, vt ore compreſſo vereretur quæ ſentiret dicere. Nam tu quidem certè, Socrates, dum te verum ſequi profiteris, ad res nos importunas & proprias concionum traducis diſſerendo, quæ natura honeſtæ ſunt, lege non item. Hæ enim res duæ, lex & natura inter ſe, vt pleræq; aliæ, contrariæ ſunt. Ita ſi qs vereatur nec auſit dicere quæ ſentiat, pugnātia dicere cogetur. Quod tu cum animaduertas, tamen veteratoré te in diſputando præbes, & ſi quis id dicat quod cum lege conſentiat, tum de eo quod accommodatū naturæ eſt interrogas: ſin ea quæ naturæ congruant, de iis, quæ legi ſunt conſentanea, vt modo cū de inferéda accipiédáq; iniuria diſſereres, Poluſq; id quod legi cōgrueret turpius eſſe diceret, legé tu es perſequutus. Natura enim accipere iniuriā vt turpius eſt, ſic in maiore vitio: lege autem, facere iniuriā.

Et Euthydemi illa oratio, Vidiſtíne triremes nunc quæ ſunt in Pyræo, ex Sicilia? καὶ ὁ Εὐθυδήμου λόγος, ἆρα οἶδας σὺ νῦν οὔσας ἐν Πειραιεῖ τριήρεις ἐν Σικελίᾳ ὤν;) Erunt fortaſsis qui hanc interrogationé ſumptam eſſe putabunt ex Euthydemo Platonis, atq; ego ipſe in eadem fui ſententia, quoad perlecto diligéter eo libro, eam illic non reperi. Itaq; eam ex illius aliquo lib. Ariſtotelem





ſumpſiſſe exiſtimo, vel ex fama, vulgiq; ſermone. Facilis eſt autem eius quæſtionis explicatio. Eſt enim in diſtinctione, quoniam ex coniunctione exiſtit captio. Ponamus quempiam eſſe nobiſcum in Piræo qui cum diſputemus, Eſt autem portus Athenienſium, aut erat potius. Tractatio erit huiuſmodi, Es nunc tu in Piræo, & triremes hinc vides, quæ ſunt in Sicilia: vides igitur nunc tu triremes quæ ſunt in Piræo è Sicilia.

Eiuſmodi eſt hæc. An ȣ habitas domus eſt? eſt ergo ȣ habitas, negatio illius habitas, οἷον οὗτος ὁ λόγος, ἆρά γέ ἐστι, τὸ οὗ καταλύεις οἰκία; ναὶ, οὐκοῦν τὸ ȣ καταλύεις τοῦ καταλύεις ἀπόφασις.) In hac captione ȣ coactus ſum relinquere, vt vis eius maneret. In propoſitione ȣ eſt tono circunflexo notatum, & idem efficit quod vbi, καταλύειν enim eſt interdum habitare, quomodo Plato initio Pythagoræ vſus eſt. Loquens enim de Pythagora Hippocrates, καταλύει δὲ, ὡς ἐγὼ ἤκουσα, παρὰ Καλλίᾳ τῷ Ἱππονίκου, id eſt, Habitat autem vt ego audio, apud Calliam Hipponici filium.

Vt in hac oratione, fierine poſsit, vt aliquis quid ſimul faciat & fecerit? Atqui fieri poteſt, vt aliquis quid videat, & eadé ex parte viderit, οἷον ἐν τῷ δὲ τοῦ λόγῳ, ἆρ' ἐνδέχεται τὸ αὐτὸ ἅμα ποιεῖν τε καὶ πεποιηκέναι; ἀλλὰ μὲν ὁρᾶν γέτι καὶ ἑωρακέναι τὸ αὐτὸ, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἐνδέχεται.) In queſtione intelligenda eſt reſpōdétis negatio, vt à ſimili Sophiſtes refellere videatur. Ita fit vt in cōcluſione id quod querebatur, ſit collocādū, hoc modo, Fierine poteſt, vt aliquis quid faciat & fecerit? quo negato, Atqui fieri poteſt, vt quis quid & videat & viderit ex eadem parte. Vt ergo etiā aliquid faciat & fecerit. Argumentatio hec duabus tantū cōſtat partibus. Sed facilè propoſitio illa intelligitur. Eiuſdem rationis & figuræ ſunt facere, feciſſe, videre & vidiſſe. Quæ propoſitio niſi diſſoluatur & explicetur, quemadmodū tradit Ariſtoteles, certè firma erit argumētatio. Dicendū eſt igitur non eſſe ſimilis figuræ, quia facere agere ſignificat: videre auté pati quid & accipere. Quæ eadé explicatio in ſimili illa captione valet, An aliquid eorū quæ patiuntur, etiam facere poſsit?

Eiuſdem generis hæ omnes ſunt, An ea manu quā quis non habeat verberet? Aut eóne oculo quis videat qué non habet? ὅμοιοι δὲ καὶ οἵδε πάντες, ἆρ' ᾗ μὴ ἔχει, χειρὶ τύπτοι ἄν; ἢ ᾧ μὴ ἔχει ὀφθαλμῷ, ἴδοι ἄν; Hæ captiones aliæ ſunt, atque multi patent. Intelligūtur enim in iis hominibus qui duas manus, duóſque oculos ipſi habeāt, Vt quæratur, an ſi altera manu verberet, aut altero oculo videat, is eáve ſit eius habenda? Et Sophiſtes quidé vult nō eſſe illius, cum habeat duas. Ariſtoteles auté id refellit, quoniā nō pulſat manu quam non habet, ſed quatenus non habet. Neq; enim vnā modo habere illum, & modo qualitatem quandā ſignificat aut nō cum alio. Multi autem poterunt primo quaſi aſpectu has captiones transferre ad eos, qui verberent alios, accepta illorum aut aliorū manu: & ad eos qui cum cæci ſint, aliorum oculis aſpectúque intueantur: qualis eſt ille apud Callimachum, qui mutilum hominem illum quidem, ſed videntem in humeros ſuos impoſuit.

Et, An quod diſcit quiſpiā, id eſt quod diſcit? καὶ ἆρ' ὃ μανθάνει ὁ μανθάνων, τοῦτό ἐστιν ὃ μανθάνει;) In hac captione quæſtio quātitatis ad qualitaté refertur. Quod facilè ex tractatione intelligi licebit. Quod quis diſcit, id eſt quod diſcit: Quis aūt diſcit tardè, quod celeriter traditur: eſt igitur tarde idem quod celeriter. propoſitio eſt in quātitate, & qualitas cōcluditur. Nā oratio preſertim vocalis eſt in categoria quantitatis, & tarditas & celeritas in qualitate.

Scíſne quid ex te ſim quæſiturus? Noſtin' eum qui ad nos venit & eum qui opertus eſt? an ſtatua opus tuum eſt? an tuus canis pater? an admodum pauca pauca ſunt?) Hæ captioſæ interrogationes ex attributis perſonarum

& accidente naſcuntur. Totam argumentationem tractabimus ſigillatim, hoc modo, Sciſne quid ex te ſim quæſiturus? faciamus alterum negare. tum refellendo ita Sophiſtes ducet argumentum. Quid ſit Dialectica ſcis: Hoc autem à te fui quæſiturus, Quod igitur à te fui quæſiturus, id ſcis. Noſtin' eum qui ad nos venit & opertus eſt? Si neget, Sophiſtes ita refellet: Corydoné noſti, Corydon autem ad nos venit: Eum igitur qui ad nos venit & opertus eſt, noſti. Eum auté dixiſti te ignorare: Eundé igitur & noſti & ignoras. Illud etiam eodem modo: Eſtne hæc ſtatua opus? Si concedat, vt certè concedet: tum ille, Statua auté hæc tua eſt: Statua igitur hæc opus tuum eſt. Atqui eſt ſtatuarij opus. Eſt igitur hæc ſtatua & nõ eſt opus tuum. Facilior his explicatu eſt hæc trita omniũ ſermonibus, Eſtne hic canis pater? Ponamus enim canem habere catulos. Itaque aſſentietur. Eſt auté tuus. Eſt igitur hic canis tuus pater. Hæc auté poſtrema pluribus à Cicerone diſputatur in 4. Academicarum quæſtionum. Suntne admodum pauca, pauca? Si annuat, tum ille concludet, Sunt autem exempli cauſa, centum ad decies centena millia pauca. Centum igitur pauca ſunt. Atqui multa ſunt ad decem. Centum igitur & multa ſunt & pauca. Communis harum omnium captionum explicatio, alia atque alia intelligentia, ratio & cogitatio eſt.

Fierine poſsit, vt idem ſimul ſancte iuret & peieret? Hoc ſi alter neget, ille ita contendet, Aliquis, exépli cauſa, Socrates qui iurauit ſe peieraturum, peierauit. Rectè igitur iurauit, quoniam id quod ſe facturum eſſe iurauerat, præſtitit. Idem igitur ſancte iurat & peierat. Hanc interrogationem aliqui vt Chryſippus & Cicero eum ſecutus in inexplicabilibus ponunt. Ariſtoteles autem ponit eam exiſtere ex eo quod quadam ex parte eſt, quod certe falſum eſt. Non enim qui ſe iurat peieraturum, rectè iurat: quandoquidem periurium etiam naturæ lege non eſt conceſſum. Nec ſi quis præſtat quod ſe iurauit facturum, idcirco rectè iuraſſe intelligitur.

Quò στέλλεσθε, ὅποι στέλλεσθε.) In hac στέλλεσθε græcum coactus ſum relinquere, vt ambiguũ verbũ maneret. Si enim dicam, Quò mittimini, mittor vno modo dicitur, στέλλεσθαι auté, vt ait Alexander, & mitti, & ire. Quod autem ponit Ariſtoteles, περὶ τὴν κεραΐαν, interpretor, ad direptioné, quoniá κεραΐζω eſt depopulor, diripio, euerto, niſi forte euerſionis verbum erit aptius.

Et, vtra boum ἔμπροσθεν peperit? neutra, ſed ponè vtraque. In hac etiam captioſa interrogatione ἔμπροσθεν reliqui, quòd verbum eſt ambiguum, vt ex reſponſione intelligi poteſt. Nam ἔμπροσθεν aduerbium eſt temporis ſignificans ſuperiore tempore, ſiue prius & antehac, & contrarium eſt ὄπισθεν, quod quoniam valet a tergo, retro, ponè, illud etiam valet à fronte, anté. Locus huic captioni noſtra lingua eſſe poteſt vt ſi quærat quiſpiam, *Laquelle de ces deux vaches a veſle par ci deuant?* & reſpondeatur, *ne l'une ne l'autre, mais toutes deux par derriere.*

Et καθαρὸς Poreas? certè nõ. interfecit enim médicum & emptoré quendam.) καθαρὸς apud Græcos tranquillus dicitur, & caſtus ſeu integer. Quod ergo is qui ponit quæſtionem intelligebat, de tranquillitate Aquilonis, id ad impuritatem reſpondens tranſtulit. Verbum ergo Græcum non potui commodè & aptè ad captionis ambiguitatem detrahere.

Hæc omnino perpauca ſunt, quæ vel admonuimus vel tractauimus, his de cauſis quæ initio expoſitæ ſunt à nobis. Nam & verba alia ferè aliis locis explicauimus, & captionum reliquarum facilis eſt tum explicatio, tum tractatio.

FINIS.

INDEX

# INDEX GRAECVS OBSERVATIONVM PERIONIJ in Organum Ariſtotelis, in quo prior numerus ſignificat paginam, poſterior lineam.


A

Αἰ quomodo vertit Cic. 555.12
ἄγειν 606.4
ἀγνοία 587.6
ἄγειν ἐπὶ τὸ καθόλου 578.46
ἀδυναμεία 545.37
αἰσθητικός 536.47
ἀκόλουθα 583.35
ἀλλοίωσις & ἀλλοιοῦσθαι 536.36.& 38 & 548.29.& 30
ἄλογος 558.47 & 50
ἅμα φύσει 548.22
ἅμα κατὰ τὸν χρόνον 548.21
ἀμφισβητεῖν 541.29
ἀνάγεσθαι 562.41
ἀναιρεῖν 602.8
ἀνάκλισις 544.22
ἀναίσθητος 557.2
ἀνασκευάζειν 602.39
ἀντικεῖσθαι ἀντιφατικῶς 553.19
ἀντιστρέφειν 544.33.& 545.2.& 561.36
ἀντιλέγειν 571.29
ἀξίωμα 550.31.& 34.& 566.33
ἀξιοῦν 566.34
ἀόριστα αἰτία 587.32
ἀπαντᾶν 605.20
ἀπατᾶν 611.38
ἀπάτη ibid.37
ἄπιστον καὶ ἀπίθανον 602.22
ἁπλῶς 552.28.& 43
οὐχ ἁπλῶς 552.30
ἀποδεικνύναι 602.10
ἀπόδειξις 560.19
ἀποδεικτικόν 560.26.& 602.33
ἀποδιδόναι 542.36
ἀπόδοσις 542.39
ἀπορεῖν 565.37.& 607.27
ἀπόρημα 563.37
ἄποροι & εὔποροι 607.31
ἀπόφασις 558.16
ἀργὸς λόγος 556.45
ἀρχή 366.8
ἀσαφῶς 596.30
ἄσωμα 530.30
ἄτοπον 556.32

Β

Γ

Γένεσις 585.46
γένεσις & φθορά 548.26
γυμνικά 574.28

Δ

Δεικνύναι 562.25.& 602.10
δείκνυσθαι ἐξ ἀλλήλων 563.45
δεικτικῶς 563.14
ἡ κύκλῳ δεῖξις 563.41
δηλῶν 593.6
διὰ cum genitiuo per ex vertitur, non per 608.35
διαιρεῖται εἰς δύο 537.50
διαίρεσις 612.50.& 613.4
διάθεσις 541.27
διαλέγεσθαι 573.50
διανοητικὴ τέχνη 564.48
διαπορεῖν 574.2.& 5
διαφορά 536.29
διαφυλάττειν τὴν δόξαν 570.22
δόξης χάριν 609.11
δρομικὸν 602.31
δυνατὸν 558.24

Ε

Εἶδος ἔχειν 611.28
εἰκὸς 564.6.& 601.28
εἶναι 611.26
εἶναι pro euenire 556.12
ἐλέγχειν 602.5
ἔλεγχος 611.17
ἔλλειπον 534.23
ἐνεργὸς τόπος 599.11
ἐνδέχεσθαι 558.36
ἐνιστᾶσθαι 605.18
ἔνστασις ibid.44
ἐν τῷ τί ἐστι ἐν τῷ ὁποῖον ἐστι 532.39
ἕξις 545.35
ἔξω τῆς λέξεως 612.34
ἐπαγωγή 588.18
ἐπεκτείνειν ἐπὶ πλεῖον 594.16
ἐπιδιδόναι 547.20
ἐπίδοσις ibid.
ἐπίδοσιν λαμβάνειν 547.22
ἐπικαιρώτατος 598.13
ἐπίκτητον 576.51
τὰ ἐπὶ μέρους 578.47
ἐπὶ πλέον ὑπάρχειν 534.28.& 594.16
ἐπιστήμη ἀποδεικτική 560.29


ἐπιτί

ἐπιτίμησις 608.1
ἐπιτιμᾶν τῷ λόγῳ 607.49
ἐπιφάνεια 543.4
ἐπιφέρει 603.42
ἐπιχείρημα 599.43
ἐποχὴ, 570.37
ἕνεκα χάριν 609.13
ἐρωτᾶν 571.23
ἔσχατον 543.9.& 561.5
ἕτερον Cicero aliud & alterum dicit, 574.42
ἑτερότης 536.39
εὐπορεῖν 607.6
ἕως 534.19
ἐρωτῶν 571.15

Z

Ζητούμενον 579.19

H

Ησυχάζειν 536.18

Θ

Θέσις 544.30.& 565.28.& 576.1. & 578.45
Θεώρημα pro quæſtione 574.46

I

ἵστασθαι 567.13

K

τὰ καθ᾽ ἕκαστα 580.28
καθόλου aduerbium 552.6.& 561.39
καθόλου nomen ibid.4.& 46
κατὰ μέρος 553.11.& 580.28
κατασκευάζειν 602.48
τὰ κατὰ συμπλοκὴν 540.18
καταφατικὴ καὶ ἀποφατικὴ πρότασις 561.32.
κατηγορεῖσθαι 532.39
κοινὸς τόπος 599.20
κοινότερον εἶναι 594.16
κὸς & τὸς exeuntia quomodo vertenda 537.8
κρινόμενον 579.12
κρύπτειν 605.11
κύκλῳ δείκνυσθαι 563.43
κύκλῳ στρέφεσθαι 563.41
κύκλῳ φέρεσθαι 563.36

Λ

Λαμβάνειν λόγον 572.2
λείπεσθαι 538.50
λῆμμα 603.9
λόγον διδόναι 570.9
λόγον λαβεῖν 570.11
λόγον ὑπέχειν 570.9
λόγος pro argumentatione, 576.11 & 610.31.& 601.13
λόγος pro fabula & ficto exemplo 588.41

M

Μέθοδος 570.2
μεῖζον pro πλεῖον 590.41
μείωσις 548.25
μὴ ἐπὶ πλέον ὑπάρχειν 534.20
μὴ ὤν, μὴ ὄντες, μὴ ὄντα 547.42.& 43
μυριοστὸν ἔτος 557.10

O

Οἰκειότατος 598.22
ὅλως 559.28
ὁμώνυμα, συνώνυμα, παρώνυμα melius relinquuntur Græce quàm Latine dicuntur, 539.3 & per totam paginam.
ὀρεκτὰ 574.27.& 598.49
ὅρος inepte dicitur terminus 560.49
οὕτως ἔχει πράγματα 556.48
οὕτως εἶχεν 557.50

Π

Παρὰ in cōpoſitione quiddam præpoſterum vel falſum indicat, 573.24.& 613.30
παραβολὴ 588.28
παράδοξα 575.44
παραλογισμοὶ 611.31
παραλογισμὸς 573.34
παύεσθαι 536.19
πεζὸν 541.26.31 & 33
πείθειν 601.6
περίεργον 534.22
περίεργον εἶναι 595.1
περιττὸν 534.22
τὰ ἐκ περιουσίας 591.11
πιθανὸν εἶναι 602.24
πιστεῦσαι ibid.11
πίστις 601.41
πίστις & ἔλεγχος contraria, 601.43
πιστὸν εἶναι 602.34
πόρος 606.39
πραγματεία 569.42
προαίρεσις 569.39
πρόβλημα 574.44.& 575.50
πρόγνωσις 565.5
προγινώσκειν 565.4.& 5
προσκείμενον 579.9
πρὸ ἔργου εἶναι 612.22
πρόληψις 565.26
προσημαίνειν 551.35
προσκεῖσθαι 598.41
προδιαλέγεσθαι 571.21
προχρήσασθαι 598.37
πρότασις 550.37.& 603.22
πρότασις ἄμεσος 603.33
πρότερον 556.18
προϋπάρχουσα γνῶσις 565.15
προχείρως 609.22
προχείρως ἔχειν 609.19
πρῶτον 572.34.& 566.9
πρῶτα 572.30
πτηνὸν 541.40.& 42

P

Σ

Σαφῶς 596.36
σημαίνων 593.6
σκέπτεσθαι 577.30
σκέψις 560.18.& 577.28
στάσις 544.27
σχῆμα 561.50
σχῆμα λέξεως 613.20
συγκατατίθεσθαι 589.38
συγκατάθεσις ibidem
συλλογισμὸς 573.3.& 45
συλλογισμὸς ἐριστικὸς καὶ ἀγωνιστικὸς, 610.36
συλλογισμὸς δεικτικὸς 562.28
συλλογισμὸς ἀποδεικτικὸς 560.27
συλλογισμὸς ἐριστικὸς & σοφιστικὸς quid differunt 573.16
συλλογισμοὶ ἐξ ὑποθέσεως 563.3
συλλογίζεσθαι, 570.5.573.1.603.42
συμβαίνει 572.23
συμβαίνειν 556.39
συμβεβηκὸς 597.32
σύμβολον 559.45.& 583.48
συμμετρία μελῶν 592.29
συμπέρασμα 572.50.& 603.24
συμπλοκὴ 540.23
συμπλέκειν 540.30
συναίτια 586.25
σύνεργα 586.25
συνέχον 542.48
σύνθεσις quomodo vertendum 612.50.& 613.5

T

Τὰ μὴ ὄντα 535.30
τάξις 604.22
τὰ ὄντα 535.25.& 554.30
τὰ πρός τι 544.32
τεκμήριον 564.20.& 601.41
τελικὰ 602.40
τεταλμένως Cic.dicit conſtans, 587.28
τὸ ὂν qualiter 535.22
τὸ τί ἦν εἶναι 593.14
τύπῳ 552.43

Υ

ὕλη 586.26
ὑπάλληλα 540.50.& 541.2.& 7
ὑπάρχειν 589.15
ὑπέχειν λόγον, 570.14.17.& 38.& 572.1
ὑπὸ 541.4
ὑπόθεσις pro ficto exemplo 588.44
ὑπόθεσις 575.24
ὑποθέσθαι 563.11
ὑποκεῖσθαι 531.17
ὑποκείμενον 546.32.& 44
ὑποτάσσεσθαι 531.16
ὕστερον 556.20
ὑφιστάναι 530.11

Φ

φαίνεσθαι 611.27
φαντασία ibid.28
φέρειν πίστεις 600.8.18.& 40
φέρειν εἰς τὸ καθόλου 578.37
φέρειν ἀπόδειξιν 600.10
φθορὰ 537.47
φίλερις 609.6
φορὰ 548.34
φυσιογνωμονεῖν 564.25

X

Χὰ & χῶς aduerbia numeralia quomodo vertuntur 537.17
χρήσιμόν ἐστι 602.49
χρήσιμον pro apto 598.50
χρῆσθαι πίστεσι 599.46
χρῆσθαι τόπῳ 599.43
χωριστὰ 530.24

Ψ

Ω

ὡρισμένα αἴτια 587.30
ὡρισμένον ποσὸν 542.46


FINIS.

# INDEX LATINVS OBSERuationum Perionij.


A

Adiuncta & conſequentia quid diſferunt 583.24
Adſignificare pro ſignificare. 551.35
Aduentitium 591.1
Affectio 531.5
Aiens & negans propoſitio, 561.33
Albedo & nigredo quomodo Latinè dicuntur 534.42
Alexandri & Philoponi diſſenſio de ordine Topicorum & Analyticorum 569.12
Alteratio minus Latinum, quomodo dicitur 536.37
Analytica quomodo vertẽdũ 569.25
Argumentationis partes quæ ſint, & quomodo Græcè & Latine dicantur 603.8
Argumentum 600.17.& 601.17.& 27
Argumentum propriæ notæ, quid & quomodo Græcè dicantur, 601.34.& 564.9.& 565.30
Argumenta eruere & depromere, 576.34. & 600.41
Attributa generi & definitioni. 575. 35
Audire velle de aliqua quæſtione, 571. 32

B

C

Cadere & conuenire in comparationem 598.30
Captio 573.35
Capi 611.46
Cauſſarum genera quomodo Græcè & Latinè dicantur, 586.22
Circulariter probare barbarum, 563.44
Collatio locorum à comparatione ex Ariſtot.& Cicer. 590.1
Communes & proprij loci quid diſferunt 589.7
Concretum pro abſtracto 534.40
Confirmatio 601.47
Coniugata 585.14
Coniugatio quomodo Græcè dicitur 585.24
Coniunctio 550.47
Conſecutio 597.22
Conſignificare pro adſignificare barbarum 551.36
Contra diſputare ac dicere eius eſt, quem opponentem dicunt 571.27
Contrarie & contradictorie opponi barbara 553.20
Contrario & contradictorio nomine opponi 553.20
Conuenire in quæſtionem 598.33
Connexum 550.48
Cum addito barbarum 552.32
Cum adiunctione ibid.

D

Defendere diſputationẽ barbarum, 570. 42
Definiendo aperire 535.8
Definitum vocabulum Dialecticum minus Latinum quomodo Latinè dicitur 534.14
Demonſtratio quia eſt & propter quid 555.35
Deſpicere 547.2
Dici de omni & dici de nullo 561.17
Dictio pro oratione 612.34
Diffinitio prædicamenti ad aliquid Latinè verſa & explicata 544.2
Diſcretum & continuum barbara, 542. 43
Diſputare in vtranque partem 574.6
Diiunctio 551.1
Duci ad impoſsibile & incõueniens barbarum quomodo Latine dicitur 556.38
Dum 534.19

E

Etſi abſque verbo Ciceroni dicitur, 537.28

F

Facultates in plurali non dicit Cice. pro potentia 558.44
Fides 601. 41

G

Genus generaliſsimum quomodo Latine dicatur 535.19


Græca




Græca cõpoſita ab α priuatiua quomodo Cic.vertit 530. 26

H

I

Inconueniens Dialecticorum verbum barbarum quomodo Cicero dicit 556.32
In eo quod quid eſt, & in eo quod quale eſt, minus Latina quomodo Latinè dicantur 532.19
In plus eſſe pro de plus dici barbarum, 534.28
Inſiſtere 567.14
Inſtare & inſtantia in ſignificatione Dialecticorum barbara 605.14
Inſtitio 567.25
Intellectiua diſciplina barbarum, 564.48
Ita in concluſione valet ὥστε, 577.23

K

L

Latini nomine generis vtuntur loco ſpeciei 537.32
Latio barbarum 548.34
Latius patere, manare 594.15
Liber Elenchorum coniunctus eſt Topicis 610.26
Locorum collatio de eodem & altero ex Ariſt.& Cic. 596.49
Locorum collatio Ariſtotelis in Rhetorica & Ciceronis in Oratore, 577. 11
Locus in Ora.Cic.declaratus 537.12
Locus Ciceronis in Topicis emendatus 602.30
Locus Plato.ex Gorgia verſus, 616.33
Locus de vniuerſitate declaratus, 544.20
Locus Ciceronis in Partitionibus declaratus 596.1
Locus Elenchorũ explicatus 610.46
Locus Tuſculanæ primæ emendatus, 571.7

M

Mens 549.16

N

Neutra adiectiua ſubſtantiua facta Græcis quomodo Ciceroni dicuntur 543.13
Neutra adiectiuorum Græca ſingularia quomodo Latine vertenda, 533. 42
Negationes infinitarum cõiunctionum 550.45

O

Omnino & totum & ex omni genere pro vniuerſaliter dicit Cicero, 579.2
Opponẽs & reſpõdens barbara Dialecticorum vocabula, 570.11

P

Perſpicere ex forma naturã, 564.41
Ponere de quo quis velit audire, 571.24
Poſcere quæſtionem, 570.46
Poſsibile minus Latinum, 558.24
Prędicari de aliquo minus Latinum, 531.45
Probatio 601.41
Procedere & progredi 547.22
Progreſsio & progreſſus, 547.20
Propoſitio particularis barbarum quomodo Latine dicitur 561.13
Propoſitio affirmatiua & negatiua prædicatiua barbara quomodo Latine dicantur 561.35
Propoſitiones ſingulares & vniuerſales quomodo Latine dicantur, 558.19
Propoſitiones de futuro poſsibili & impoſsibili quomodo Latine dicantur 558.3
Propoſitio immediata quomodo Latine dicatur 566.24
Propria quæ vulgo efferuntur in bilis, quomodo Latine dicatur 533.16

Q

Quæſtio τὸ ὅτι 567.1
Quadam ex parte, pro ſecundũ quid, 578.50.& 579.1

R

Rationale quomodo à Cicerone dicitur 533.1
Ratiocinatio per quam quis incommodo vrgetur 606.3

S

Scire quod, quia, quare, aut propter quid barbara quomodo Latine dicantur 566.40


Secund

Secundum quid barbarum 553.12
Secundum quid cum adiectiuis barbarũ eſt, pro quo Cicero quadam ex parte, 578.50
Sophiſtæ definitio 609.1
Sophiſtici elenchi 610.20
Species ſpecialiſsima minus Latinum, 536.18
Specifica differentia minus Latinum, 536.43
Specierum & ſpeciebus minus Latini obliqui pro quibus Cicer. dicit formarum & formis 570.2
Statutum eſſe vel dari barbarum 567.14
Subſiſtere barbarum pro conſtare, 530.10
Superficies barbarum 543.4
Suppeditare 606.46
Supponere pro ponere barbarum: 563.12
Suppoſitio barbarum 566.33
Suſtinere 570.31
Syllogiſmus ad impoſsibile barbarum, quomodo Latine dicendum, 563.7.& 606.4

T

Terminus Græcis ὅρος barbarum, 560.49
Totum pro omnino 553.17
Tractare argumentationem, 577.25
Trahere, ducere argumenta, 577.31
Triangulum in neutro genere, 563.28.& 566.1

V

Veriſimile 564.8
Via 569.48
Vniuerſa propoſitio pro vniuerſalis, 561.38
Vniuerſaliter barbarum quomodo Latine dicatur 553.17
Vniuerſaliter pro omnino, minus Latinum 552.6
Vniuerſum genus 578.24
Vox alba nigra quod Græce dicitur, Latine clara & fuſca dicitur, 576.20
Vtrumlibet & alterutrum quid differant 556.3

FINIS.